
UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00674293 6

IOANNIS SARESBERIENSIS EPISCOPI CARNOTENSIS POLICRATICI

SIVE

DE NVGIS CVRIALIVM ET VESTIGIIS PHILOSOPHORVM LIBRI VIII

RECOGNOVIT

ET PROLEGOMENIS, APPARATV CRITICO, COMMENTARIO, INDICIBVS INSTRVXIT

CLEMENS C. I. WEBB, A.M.

COLLEGII BEATAE MARIAE MAGDALENAE APVD OXONIENSES SOCIVS

TOM. I

OXONII
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO
MCMIX

LONDINI ET NOVI EBORACI
APVD HENRICVM FROWDE

REGISTRVM

EORVM QVAE IN HOC TOMO CONTINENTVR

REGISTRVM

REGISTRVM

PROLEGOMENA

§ I.

Habes in manibus, lector beneuole, Ioannis Saresberiensis *Policraticum* ad fidem optimorum manu scriptorum codicum recognitum et commentario illustratum qui litterarum antiquiorum studiosis facilius ostendat quibus ex fontibus deducta sit hominis omnium aetatis suae doctissimi uaria et multiplex eruditio. Abhinc iam sedecim annis coram Societate Aristotelica quam uocant apud Londinenses ad studia philosophica promouenda fundata de Ioanne disserturus[1] animo proposui et *Policratici* et *Metalogici* nouam editionem in lucem dare; quod tamen ne ex parte quidem perfecissem, nisi me auctoritate consilio doctrina adiuuisset uir clarissimus Ingram Bywater, Linguae Graecae in Vniuersitate Oxoniensi nuperrime Professor Regius. Neque huic modo sed etiam Reginaldo Lane Poole, rerum medii quod uocant aeui si quis alius perito, qui ipse de Ioannis uita et scriptis optime bis tractauit[2], Henrico Austin Wilson, Cuthberto Hamilton Turner, Christophoro Cookson, Latinitatis nostrae castigatori amicissimo, sociis meis in collegio B. Mariae Magdalenae apud Oxonienses, insuper aliis quorum nomina referre longum est, gratias et debeo et habeo maximas. Neque tacendum est de Preli Clarendoniani Delegatorum insigni patientia, qui mihi in opere, quod quarto abhinc anno absoluere debueram, diu moranti benignissime ignouerunt, de ipsorum typographorum cura et sollertia, de bibliothecarum quibus usus sum curatorum beneuolentia, praesertim

[1] *Proceedings of the Aristotelian Society*, II. 2. ii, Lond., 1893, pp. 91 seqq.

[2] *Illustrations of the Hist. of Mediaeval Thought*, Lond., 1884, pp. 201 seqq.: *Dict. of Nat. Biog.*, xxix, pp. 439 seqq.

egregii uiri Caroli W. Moule, in Collegio Corporis Christi apud Cantabrigienses bibliothecarii, cuius in me fauore patuit liberrimus ad *Policratici* codicem Cantuariensem[1] accessus. Confiteor me in initio operis rei criticae et palaeographicae quam uocant artis paene omnino inexpertum editoris partes temere suscepisse; quae quomodo agendae sint an inter agendum discere incipiam, uideant ii qui librum legere dignentur.

§ 2.

Venio ad codicum quos ad textum recognoscendum adhibui descriptionem et ad demonstrationem siglorum quibus eos designaui.

C (Cantuariensis) = cod. Coll. Corporis Christi apud Cantabrigienses 46. Saeculo xiii tribuit Iac. Nasmith in catalogo a. 1777 edito, sed eum et saeculi xii esse et e bibliotheca Ecclesiae Christi apud Cantuarienses prouenisse atque eundem esse qui inter libros S. Thomae archiepiscopi reputatur in catalogo antiquo auctoritate Henrici de Estria istius Ecclesiae ab a. 1284 usque ad a. 1331 Prioris confecto, abhinc annis decem uidit v. cl. Montacutus Rhodes James Coll. Regalis apud Cantabrigienses tunc socius hodie autem Praepositus, qui rem ita se habere cum comperisset, mihi qua beneuolentia erga litterarum studiosos est protinus significauit. Librum descripsit idem; v. *The Sources of Archbishop Parker's Collection of MSS. at Corpus Christi College, Cambridge*, Cantab. 1899, pp. 5, 22; cf. *The Ancient Libraries of Canterbury and Dover*, Cantab. 1903, pp. xlii, 85, 158, 510. Membranaceus est codex in folio continens *Policraticum* et *Metalogicum*. In fol. 1 legitur *Die. secunda D. ii G. x* (i.e. *demonstracione secunda, distinctione secunda, gradu decimo*) *policraticus iohannis de sarisberie. Item metalogicon eiusdem. Sci. Thome archiepiscopi* (erasa sunt haec tria uocabula). Indicem ordine alphabetico instructum addidit manus saeculi xv. Librum Collegio C. C. Cantab. dedit Matthaeus Parker archiepiscopus Cantua-

[1] Vide § 2 infra.

riensis. Hic codex libri S. Thomae dum cancellarius est dicati cum inter S. Thomae libros inuentus sit, vix dubium esse potest quin ipsum illud sit exemplar quod patrono suo dono dederit Ioannes. Explicit *Policraticus* in fol. 183.

B (de Bello) = Bodl. MS. Lat. misc. c. 16. Membranaceus est codex in folio. Folia 170 habet. Continet *Policraticum* totum qui desinit in fol. 136, et *Metalogicum* usque ad iv 36 *ut autem a plato*[*nis*]. In fol. 1 inscribitur *Liber Sci. Martini de Bello ex Dono Domini Ricardi Abbatis* (qui obiit a. 1235). Descriptus est a F. Madan, *Summary Catalogue of Western MSS. in the Bodleian Library* 32708. Odonem Ioannis Saresberiensis amicum, qui ex monacho Cantuariensi abbas de Bello a. 1175 factus a. 1200 mortem obiit, codicem hunc scripsisse, quod temere suspicatur catalogi librorum e bibliotheca Phillippsiana Iun. 9 a. 1899 uenditorum conditor, nihil est quod ad nobis persuadendum sufficiat. Emerunt a. 1899, me auctore pretioque ex parte ab amicis meis collato, Bibliothecae Bodleianae curatores. Rarissime inter se dissident codd. C et B. B non contuli nisi forte aut discrepabant ceteri codices aut ipse de uera lectione dubitabam.

A (S. Albani) = Mus. Brit. MS. Reg. 13 D. iv. Membranaceus est codex in folio. Folia 219 habet, quae continent *Policraticum* 1–161, *Metalogicum* 161–208, *Entheticum* 210–219. In fol. 1 legimus: *Hunc librum fecit domnus Symon abbas Sco. Albano, quem qui ei abstulerit aut fraudem commiserit aut titulum deleuerit uel corruperit, anathema sit.* Addidit manus saeculi xiv: *Policraticon, Metalogicon, Enteticus Iohannis Sarisberiensis. Hunc librum uenditum domino Ricardo de Bury Episcopo Dunelm. emit Michael Abbas Sci. Albani ab executoribus predicti Episcopi Anno Dni millesimo ccc^mo^ xlv^to^ circa purificationem beate uirginis* (i. e. Feb. 2, 1346). Symonem, qui ex Priore ecclesiae S. Albani Abbas a. 1167 factus a. 1188 mortem obiit, S. Thomae Cantuariensis amicum fuisse et eius partium studiosum constat ex Matthaei Parisiensis *Chronicis Maioribus* s. a. 1170 (ed. Luard ii,

pp. 278, 279) et *Gestis Abbatum S. Albani* (ed. Riley i, pp. 184 seqq.). De scriptoribus ad librorum copiam praeparandam ab eodem in monasterio suo sustentatis uide quae refert Matthaeus Parisiensis in *Gestis Abbatum* (p. 192). Michael de Mentmore abbas S. Albani fuit ab a. 1335 usque ad a. 1349. Vide Walsinghamium in *Gestis Abbatum S. Albani* (ed. Riley ii, pp. 299–371); de fauore eius in scholasticos et studentes sunt quaedam ibidem (pp. 302, 305, 306). Ricardus de Bury, Episcopus Dunelmensis mortem obiit Apr. 14 a. 1345. *Policraticum* citat Episcopus ille litterarum amantissimus (aut, si mauis, sub nomine eius Robertus Holcot) in libro qui *Philobiblon* inscribitur c. 14 § 190, et sex uersiculos ex *Enthetico in Policraticum,* tacito auctoris nomine, in c. 15 § 194 transcripsit.

S (Suessionensis) = Suess. Bibl. Publ. cod. MS. 24 (26). Membranaceus est codex saec. xii in 4^to^. Descriptus est in *Catalogue Général des Manuscrits des Bibliothèques Publiques de France, Départements,* iii, pp. 78, 79. Folia 346 habet. In fol. 1 scripta sunt manu saeculi xii epitaphia quaedam uirorum doctorum, quae subiungam. 1. (de Anselmo siue Ansello Laudunensi) *Dormit in hoc tumulo celeberrimus ille magister Ansellus, cui per diffusi climata mundi Vndique noticiam contraxit et undique laudem. Sana fides, doctrina frequens, reuerentia morum, Splendida uita, manus diffundens, actio cauta, Sermo placens, censura uigens, correctio dulcis, Consilium sapiens, mens sobria prouida clemens; Sed quas larga dei congessit gratia dotes Idibus inuisis dissoluit iulius ater. Qua uiuens uiguit comitetur gratia functum.* (v. Bulaei *Hist. Vniu. Paris.* i. 560, *Gall. Christ.* ix. 560 de decanis Laudunensibus; *Hist. litt. de la France* x. 179; Hildeberti Cenomanensis *Opp.* ed. Beaugendre, p. 1321, Migne, *P. L.* clxxi. 1393; Hauréau, *Les mélanges poétiques d'Hildebert* pp. 19 seqq. Olim Lauduni in ecclesia S. Vincentii tumulo Anselmi inscriptum exstabat.) 2. (de Radulfo Laudunensi, Anselmi fratre) *Appositus patribus dormit cum fratre radulfus, Eggregius doctor, doctrinam*

moribus ornans, Gloria cleri, preco salutis, mitis ad omnes, Sol patrie, decus ecclesie, lux fusa per orbem, Forma boni, fratrisque sui non moribus impar. Sed quas contulerat diffundens gratia laudes Subtrahis o iuli post idus luce sequenti. Suscipiant tantos celestia gaudia fratres. 3. (de Abailardo) *Est satis in titulo, petrus hic iacet abailardus. Pars aliis in parte latet; mirabile dictu Huic soli patuit scibile quicquid erat.* 4. (de Petro Comestore) *Petrus eram quem petra tegit, dictusque comestor Nunc comedor; docui uiuus nec cesso docere Mortuus ut discat qui me uidet incineratum: Quod sumus ille fuit erimus quandoque quod hic est* (Etiam tumulo in ecclesia S. Victoris inscriptum olim exstabat; v. Bulaei *Hist. Vniu. Paris.* ii. 765). 5. *Hunc unum fecit natura scientia proles, Quadruplici studio quatuor unus erat Paulus, aristotiles, plato, tullius unicus unus, Cui laus summa fuit sed probitate minor; Nam sua prosperitas, sensus, facundia fastum, Fraudem, garritum iussit abesse procul; Et sua mens, manus, os, prudens, prelarga, disertum Sensu, re, uerbo consuluere bonis. Considat huic igitur mens, dextera, lingua bonorum, Mens gemitu, dono dextera, lingua prece. Trans hominem citraque deum, plus hoc minus illo, Nescio quis neuter inter utrumque fuit.* Post epitaphia eadem manu adscriptum fuerat nomen possessoris: *Liber iste est magistri* . . . [nomen ipsum erasum est], *quem qui furatus fuerit uel abstulerit uel fraudem fecerit quominus ipsum habeat aut titulum istum deleuerit anathema sit.* Eadem in fol. 346 dicit exstare catalogus supra laudatus. In fol. 2 manu longe recentiore: *Ioannis Salesberiensis Episcopi Carnotensis ad D. Thomam Cantuariensem Polycraticon Libri octo De nugis curialium et uestigiis Philosophorum.* Tum manu saec. xvi: *Ce liure icy est de grande estime manuscript de L'auteur mesme qui l'a dedié a St Thomas euesque de Catorbie martyr et je l'ay acheté par hazard uingt pistolles et par conséquent je ueux comme entends que mes enfans le gardent soigneusement. Iac. Cornuty.* Tum manu saec. xvii: *Hunc librum emi pro bibliotheca*

Praemonstratensi Libris undecim a Mro. Ludouico Goutier bibliopola Parisiensi. Sexta die martii an. 1661. Suppresso monasterio Praemonstratensi in bibliothecam Suessionensem publicam translati sunt codices in eius bibliotheca inuenti. In fol. 3 manu saeculi xv (quae eadem etiam in fol. 346 scripsit): *Laurencius Surreau in utroque iure licenciatus de hac ciuitate oriundus Canonicus rothomagensis dedit et legauit in suo testamento huic uenerabili ecclesie senonensi hunc librum talibus adiecit* (? *adiectis*) *condicionibus quod in hac libraria perpetuo quamdiu durabit manebit incathenatus nec poterit uendi aut quouismodo alienari nec prestari aut extra librariam poni nisi in eminenti periculo et pro maiori securitate. Orate pro eo ut celestibus ac perpetuis fruatur gaudiis.* Desinit *Policraticus* in fol. 322. In eodem folio manu saeculi xiv adscripti sunt uersiculi quos in Appendice II edidi. Eadem manus, nisi fallor, in margine codicis nomen Catulli Parmensis (de quo uide § 5 infra) aliorumque auctorum addidit. Sequitur usque ad fol. 339 index et capitulorum tabula, alter manu saeculi xiii, altera ut uidetur manu saeculi xiv. Codicem S totum contuli, partim in bibliotheca ipsa Suessionensi, ubi me non semel comiter excepit dominus Judas curator optimus, partim in bibliotheca Bodleiana, quo eum mittere ut inspicerem bis uoluerunt uiri egregii Rei Publicae Francogallicae administratores, quibus propter tantam beneficentiam gratias debitas referre iuuat; nec minoris aestimo beneuolentiam cuius interuentu liberalitatem illam experiri mihi contigit, eorum scilicet quibus apud nos rerum exterarum data est procuratio.

M (Malmesburiensis) = Bodl. cod. MS. Barlow 6. Membranaceus est codex saec. xii in 4to; folia 209 habet. Litteris initialibus nitide illuminatis et auratis gaudet. *Policraticum* continet. In fol. 209: *Explicit Policraticus per Salomonem sub Abbate Roberto II*: i. e. Roberto de Meleduno, qui abbas Malmesburiensis a. 1187 constitutus a. 1205 supremum diem obiit. In folio codici praefixo hac

subscriptione significari Robertum monasterii S. Michaelis Abbatem perperam notauit Thomas Barlow Episcopus Lincolniensis, qui hunc librum (ut in folio 1 ipse memorauit) dum Coll. Reginae apud Oxonienses est socius, emit, postea autem bibliothecae Bodleianae, cui ab a. 1652 usque ad a. 1660 praefuerat, cum aliis testamento legauit. In *Regist. Malmesbur.* cap. 137 (edd. Brewer et Martin i, p. 461), inter testes cuiusdam donationis a conuentu Malmesburiensi sub praedicto Roberto a. 1193 factae, Salomonem *qui cartam scripsit* inuenias; cf. etiam cap. 132, p. 458. Eodem folio 209 manu saeculi xv: *Richardus Ramsaeus possidet.* Tum alia manu, eiusdem tamen saeculi: *In hoc uolumine continetur liber qui dicitur pollicraticon quem composuit Iohannes Sar. qui olim fuit cum* [*sancto*, at uocabulum erasum est] *thoma Cant. Epo.* Addidit manus saeculi xv, recentior tamen, ut uidetur: *Et postea fuit Epus. Carnotensis in Francia. Et ideo a pluribus sic allegatur: Carnotensis in suo policraticon sic dicit tali libro uel taliter et tali libro.* Fol. 209 b inuenias (si librum inuertere uelis) manu saeculi xvi *Wyllyam Fittz.* In fol. 1. *Αἰὲν ἀριστεύειν*, quod libris suis inscribere solebat Thomas Barlow, de quo supra. Hunc codicem totum contuli.

Cyr. (Cyrencestrensis) = Bodl. cod. MS. Barlow 48. Membranaceus est codex saec. xiii ineuntis; folia 141 habet. Haec in fol. 1 circa a. 1300 exarata sunt: *Liber ecclie. sce. marie de Cyrencestr. Hec continentur in isto uolumine. Policraticus Iohannis Sar. diuisus in viii libros. Item explanacio quorundam uerborum extraneorum. Item opusculum Probe uxoris Aldelphi ad testimonium ueteris et noui testamenti uersifice compositum.* Desinit *Policraticus* in fol. 137. Incipit *Explanatio* in fol. 138. Desideratur *opusculum Probae*, de quo uide Isidorum in *Etymol.* i. 39 § 26 (Migne, *P. L.* lxxxii. 121); exstat liber ipse in Migne, *P. L.* xix. 801 seqq. Tegumento codicis interiori haec manu saec. xvii Cambrice inscripta sunt *Robert ap powell ap rychard ap lln.* (= *llewellyn*) *or plwyth lantowny in comit. Herford.* i. e. Robertus Powelli filius,

Ricardi nepos, Leolini abnepos, ex parochia Lantoniae in comitatu Herefordensi; quae tamen Lantonia hodie in comitatu Monumetensi reputatur. Ex litteris initialibus pulcre coloratis nonnullas exscidit nescio quis homo sceleratus. Hunc codicem, qui cum Malmesburiensi fere omnino conuenit, tantum ad paucos locos contuli.

P (Pontiniacus) = Schol. Med. Montepessulanae cod. MS. 60. Membranaceus saec. xii aut potius saec. xiii ineuntis est codex in folio. Descriptus est in *Catalogue Général des MSS. des Bibl. Publ., des Dép.* tomi i, a. 1849 editi, p. 309. *Policraticum* sine *Enthetico in Policraticum* continet. Librorum post I, II longe recentior nec omnium eadem scriptura esse uidetur. In fine: *Liber sce. marie pontiniaci. Finito libro reddantur iura magistro.* Hunc usque ad finem libri II in bibliotheca Schol. Med. Montepessulanae contuli et codici Suessionensi cum alias tum etiam quoad nomina auctorum (inter quos est Catulus Parmensis, de quo in § 5 infra) quae in margine adscripta sunt, simillimum esse inueni.

Manent codices duo quos inspexi tantum, sed nusquam in apparatu critico conficiendo adhibui:—

Brit. Mus. Reg. 12 F. viii codex saec. xiii ineuntis. Manu eiusdem saeculi, recentiore tamen, post libri III capitulorum indicem: *Liber de claustro roffensi per Ierardum monachum.* Capitula Libri I aliter quam ceteri quos inspexi codices disposita habet.

Bibliothecae regiae Monacensis codex Lat. 631 membranaceus in quarto, saeculis xii–xiv scriptus. Liber olim fuit H. Schedelii ciuis Nurembergensis qui obiit a. 1485 (v. Voss. *de Hist. Lat.* iii. 6 in ed. *Opp.* Amstelod. 1699 t. iv, p. 178; Doppelmayr, *Hist. Nachr. von den Nürnbergischen Künstlern* Nuremb. 1730, p. 181 n.; Zedler, *Vniv. Lex.* xxxiv. 1061 seq.). In bibliothecam tunc ducalem, hodie autem regiam, a. 1618 migrauit. Huius folia 34–61 excerpta ex *Policratico* manu saeculi xiii, ni fallor, exarata exhibent. *Policraticum* uelle dicere *de pluralitate iudiciorum* opinatur excerptor. Catulum Parmensem (de quo

infra in § 5) historiae de Chilone i 5 narratae auctorem citat. Cf. *Catalog. codd. latinorum bibl. reg. Monacensis* Monac. a. 1892 editi t. i p. 164.

§ 3.

Prodierunt *Policratici* editiones septem:

(*a*) Editio princeps sine anno uel loco uel typographi nomine indicato in folio prodiit; ex M. de la S. Santander (*Bibliogr. du XV^{e} siècle* 1210 t. iii p. 340) sententia, cui assentiunt F. A. Ebert (*Allgem. Bibliogr. Lex.* 10816 t. i pp. 884, 885) L. Hain (*Repert. Bibliogr.* *9430, t. ii p. 162) et C. Schaarschmidt (*Ioh. Saresb.* p. 283), Bruxellis apud Fratres Vitae Communis (de quorum typographia cf. Santand. op. supra cit. i pp. 356 seqq.) circa a. 1476 impressa est. Huius editionis exemplar penes me habeo, quod olim ex libris fuit Tobiae Matthew Episcopi Dunelmensis (qui postea Archiepiscopus Eboracensis a. 1628 supremum diem obiit), et a *J. Faulkner*, 4 *Queen Street, Little Tower Hill* in saec. xix pulcre sed non sine marginum deminutione ligatum est. In editione principe post ad lectorem pauca fol. 1 uerso de uita scriptisque Ioannis sequitur primum foll. 2–31 index ordine alphabetico instructus, tum *Entheticus Iohannis episcopi Carnotensis ad policraticon*, denique ipse *Policraticus*, qui in fol. 38 incipit. Ad calcem *Policratici* fol. 247 *Finit opus preclarum de nugis curialium et uestigiis philosophorum cuius iohannes salesberiensis actor fuit.* Restant folia tria quae implet carmen de membris corporis aduersus stomachum conspirantibus, ut locum *Policr.* vi 24 illustraret adhibitum. Hoc carmen, quanquam ipsius Ioannis esse non profitetur, tamen inter eius opera edidit J. Giles in ed. *i*, de qua infra.

(*b*) Paris. 1513 in 4to. In fronte *Policratici Contenta. Festiuum opus: et omni statui delectabile lectu: quod intitulatur Policraticum De nugis curialium et uestigiis philosophorum Ioannis Salesberiensis doctissimi uiri: exemplar unde excusum est emendatissimum et annotationibus marginalibus adiutum: prestante et emissionem*

procurante grauissimo doctissimoque patre Confessore regio . . . Venale in uico Sancti Iacobi in Sole aureo: et in Lilio aureo apud beniuolos mercatores magistrum Bertholdum Rembolt: et Ioannem Paruum. Quae de *Confessore regio* dicuntur, intellegenda sunt de Guillelmo Paruo siue Petit, quem uocat Claude de Seyssel, *Hist. de Louys* XII, Par. 1615 p. 293, *Maistre Guillaume Parvi, homme de bonne vie et de profonde science,* et cui idem erat nomen quod etiam huius editionis typographo alteri; v. Schaarschmidtium, *Ioh. Sar.* p. 285. Is regum Ludouici XII et Francisci I confessor fuit; a. 1519 episcopus Trecensis factus, a. 1527 ad sedem Siluanectensem translatus, a. 1536 supremum diem obiit; v. *Gall. Christ.* x. 1441 seq., xii. 516 seq., Zedler, *Vniu. Lex.* xxvii. 1082 seq. Eadem de uita scriptisque Ioannis Saresberiensis habet editio Parisiensis quae editio princeps, addito tamen paragrapho ex I. Trithemii abbatis Spanhemensis *Catal. Script. Eccles. lxxvii.* Sequuntur *Entheticus Iohannis episcopi Carnotensis In policraticon,* ipse *Policraticus,* carmen de membris conspirantibus cum eadem atque in ed. pr. superscriptione, contentorum tabula, index ordine alphabetico instructus. In fol. 232 recto: *Finit opus preclarum Policratici De nugis curialium et uestigiis philosophorum: cuius Ioannes Salesberiensis actor fuit. In Sole aureo uici sancti Iacobi, Impressum Parrhisius opera et expensis magistri Bertholdi Rembolt et Ioannis parui. Anno domini MDXIII. Die uero xxv Maii.* Ab editionis principis textu rarissime discrepat.

(*c*) Eodem anno prodiit Lugduni in octauo editio praecedente melior. In fronte: *Iohannis saresberiensis Policraticus de nugis curialium et uestigiis philosophorum in octo partiales diuisus libros: cum eorundem tabulis in operis exordio dispositis.* Sic in exemplari meo; in exemplari Bodleiano *Iohannis* etc. ut in meo usque ad *philosophorum*; tum uero *continens libros octo*; statim sequitur materiarum in libris tractatarum breuis enumeratio. Pp. 3–14 tabula contentorum. Pp. 15–23 *Entheticus in Policraticum* sine titulo. Tum *Policraticus* ipse in foll. 375

contentus. Ad calcem *Policratici* in fol. 375: *Iohannis saresberiensis policraticus de nugis curialium et uestigiis philosophorum in octo partitus libros partiales: finitur. Curauit imprimi honestus uir Constantinus Fradin bibliopola. Anno domini Mccccc et xiii. Extrema manus apposita fuit eodem anno xvii Kalendas Maii.* Lectiones uarias in margine huius libri adscriptas pace Schaarschmidtii (*Ioh. Sar.* p. 285) raro probandas esse dixerim.

(*d*) Anno 1595 Lugd. Batau. prodiit editio noua: *Ioannis Saresberiensis Policraticus Siue De nugis Curialium et uestigiis Philosophorum Libri Octo. Lugduni Batauorum Ex officina Plantiniana Apud Franciscum Raphelengium* MDXCV. Hanc ex collatione ed. Lugdunensis a. 1513 cum ceteris duobus antiquioribus ortam esse innuere uidetur epistola H. L. B. ad Conradum Withmarum Ostfrisiae Praesidem dedicatoria. Post epistolam sequuntur I. Trithemii (qui hic Trittenhemius uocatur) de Ioanne Saresberiensi testimonium; *Autor ad opus suum* (i.e. *Entheticus ad Policraticum*); testimonium Iusti Lipsii ad Tac. *Ann.* xii; *Policraticus* ipse; ad extremum indices duo, alter auctorum, alter rerum et uerborum.

(*e*) Anno 1639 editus est *Ioannis Saresberiensis Policraticus, siue De nugis Curialium, et uestigiis Philosophorum, Libri Octo. Accedit huic editioni eiusdem Metalogicus Cum Indice copiosissimo. Lugduni Batauorum, Ex Officina Ioannis Maire* MDCXXXIX. Hanc editionem Salmasio dedicauit Ioannes Maire. In *Policratico* editionem Raphelengiorum (quam *d* uocauimus) secutus est; *Metalogicus* autem *e codice manuscripto Academiae Cantabrigiensis. Editio altera priore* (i.e. *Metalogici* ed. pr. Par. 1610 impressa) *accuratior et emendatior* est.

(*f*) Iterum excusa est uel saltem prodiit haec editio Amstelod. 1664. Haec impressio non nisi e Schaarschmidtii loco infra citato mihi nota est.

(*g*) A. 1622 in *Bibliotheca Patrum* Colon. t. xv, pp. 339 seqq. prodierunt ex editione a. 1595 *Policraticus* et ex editione I. Massoni, Par. 1611 *Epistolae*.

(*h*) A. 1677 in *Bibliotheca Patrum* Lugd. t. xxiii, pp. 242 seqq. prodierunt secundum editionem praecedentem *Policr.* et *Epistolae*, tantum addito Philippi Labbe in t. i *in Bellarminum de Script. Eccles.* de Ioanne Saresb. testimonio.

(*i*) *Ioannis Saresberiensis postea Episcopi Carnotensis Opera Omnia nunc primum in unum collegit et cum codicibus manuscriptis contulit I. A. Giles Iur. Ciu. Doctor et Collegii Corporis Christi Oxon. olim Socius.* Haec editio, utilis quidem sed parum accurata, de qua uide Schaarschmidtii iudicium non iniuria acerbum, in tomis v comprehensa, quorum iii et iv *Policraticum* siue, ut mauult Giles, *Polycraticum* (cf. interpretationem in cod. Monacensi, de quo supra, inuentam) continent, Oxonii a. 1848 prodiit. Victori Cousin opus dedicauit editor.

(*k*) Editionem Oxoniensem et ipsam, ut diximus, parum accuratam parum accurate rettulit J. P. Migne Par. 1855 in *Patrol. Lat.* t. cxcix. *Notitiam in Ioannem Saresberiensem* ex *Gall. Christ. nou.* t. viii, col. 1146 et ex Fabricii *Biblioth. med. et inf. Latinitatis*, vi. 131, nec non interdum locos ex Bibliis Sacris et ex poetis notissimis a Ioanne citatos adnotauit. Numeri quos in editionis nostrae marginibus inuenies, columnas Mignianas indicant.

De editionibus uide etiam Schaarschmidtium, *Ioh. Sar.* pp. 283 seqq.

Editionibus *Policratici* enumeratis subiungam quae dicenda esse uidentur de uirorum doctorum dissertationibus.

De Ioanne Saresberiensi optime meruit Carolus Schaarschmidtius in libello egregio qui inscribitur *Iohannes Sarisberiensis nach Leben und Studien, Schriften und Philosophie*, et Lipsiae a. 1862 prodiit. Collegam et amicum meum, Reginaldum Lane Poole, de Ioannis uita scriptisque bis accuratissime et elegantissime tractauisse iam in Proleg. § 1 memoraui. Opusculum Pauli Gennrichii Gorhae a. 1894 uulgatum, *Die Staats und Kirchenlehre Johanns von Salisbury*, nonnunquam mihi profuit. In Museo Britannico (plut. 720 b. 25) seruatur exemplar

Policratici ed. Lugd. Batau. 1595, notis manu Ieremiae Markland in margine scriptis instructum, quae mihi Ioannis Saresberiensis eruditionis fontes antiquos exquirenti commodissime sunt opitulatae. Dissertationes B. Thorlacii (Hauniae 1819), H. F. Reuteri (Berol. 1842), M. Demimuid (Par. 1873), quanquam inspexi, ex usu mihi non fuerunt.

§ 4.

De meae editionis ratione pauca dicam. Textum codicis Cantuariensis, quippe qui S. Thomae ipsius, cui *Policraticum* suum dedicauit auctor, olim fuerit liber, ceteris paribus sequi uolui; cui tamen aliorum codicum lectionem interdum praeferre non metui, praesertim cum a mediocris tantum ingenii scriba saltem ex parte scriptus esse uidetur. Quo in codice cum nonnunquam ę loco diphthongi *ae* legitur, ego *ae* constanter scripsi ubi, si *e* scripsissem, oriri poterat ambiguitas. *Prae* ubique scripsi. Litteras *c* et *t*, quas uix discernunt libri manuscripti, non ad istorum normam sed secundum Latini sermonis morem distinxi, nec codicum de his discrepantiam rettuli.

In apparatu critico uariationem a textu in codicibus C B A S M repertam indicaui, aliquando etiam codd. Cyrencestrensis et Pontiniaci testimonium adhibui. C^2 B^2 etc. correctionem designant in codice aliquo manu scribae ipsius aut coaequali aut saltem uetusta factam; quales correctiones si quando in textum recepi, lectionem eiusdem codicis primitiuam per sigla C^1 B^1 etc. indicaui.

§ 5.

Restat ut auctores quibus in *Policratico* usus sit Ioannes Saresberiensis ex ordine temporum enumerem. A Graecis incipio. Constat Ioannem ipsum linguae Graecae ignarum fuisse; uide *Ep.* 169 ed. Giles et consule de hac re Schaarschmidtium *Ioh. Sar.* pp. 108 seqq.; quanta tamen in eo

esset cupiditas sciendi quicquid ab hominibus saeculi post Christum duodecimi occidentalibus de ista lingua scibile esset, ex operum eius plerisque locis apparet[1]. In Apuliam, ubi etiam tum florebat Graeci sermonis usus, iter bis fecerat (v. *Policr.* vi. 24, vii. 29, *Metal.* iii in prologo, *Ep.* 85 ad Petrum Cellensem). Illic de uocabulis et locutionibus Graecis nonnihil a *Graeco interprete et qui Latinam linguam commode nouerat* se didicisse in *Metal.* i. 15 fatetur. In *Policratico* semel uerbum litteris Graecis exaratum, MOIPAN scilicet, quod ex Macrob. *Sat.* v. 16 § 8 desumpserat, in textum inserere ausus est; alibi et in *Metalogico,* ubi saepius occurrunt, characteribus Latinis expressa uocabula Graeca codices exhibent. In *Ep.* 169 Ioannes noster *obstaculum* in Ambrosio repertum *quod nullus magistrorum nostrorum sufficit amouere, quia Graecae linguae expertes sunt,* Ioanni, Sarraceno dicto, linguae Graecae perito, expediendum proponit; quo etiam ad Dionysii qui uocatur Areopagitae libros *de Caelesti Hierarchia, de Ecclesiastica Hierarchia, de Diuinis nominibus* Latine denuo interpretandos usus est, ut ex *Epp.* 147, 239 (Robertson, *Materials for the Hist. of Becket, Epp.* 189, 333) ad Magistrum Raymundum cancellarium Pictauensem, 149, 230 Ioannis Sarraceni, 169 ad Ioannem Sarracenum potest colligi. De philologia linguarum Graecae et Latinae comparatiue disserit in *Metal.* iv. 34. Nomina specie quidem Graeca sed uix rationi Graeci sermonis accommodata, *Policraticum* scilicet, *Metalogicum, Entheticum* libris suis imponere uoluit, quorum primum *Librum in usum ciuitatibus imperantium,* alterum *Apologia pro logica scientia* significare uidetur. Quid dicere uelit *Entheticus,* equidem nescio. Quod ad carmen *Policratico* praefixum attinet, idem significare potest quod *Introductio*; sed haec interpretatio *Enthetico de Dogmate Philosophorum* non conuenit; suspicatur Schaarschmidtius Ioannem de *Nuthetico* quasi de *Monitore* cogitauisse.

Sed, ut ad propositum redeam, Graecos scriptores non nisi Latine uersos legere potuit Ioannes; ac, si apud illum pauca

[1] Cf. *Proceedings of the Aristotelian Society,* II. 2. ii, pp. 105, 106.

quaedam sunt inuenta quae ex Graeco fonte defluxisse sentimus, quo tamen meatu incertum est, non ideo talia nullius interuentu interpretis uel scriptoris Latini usque ad illum peruenisse credo; ea quae me fefellerunt alios meliore fortuna usos spero reperturos.

HOMERVM ex Valerio Maximo, Apuleio *de Deo Socratis*, Cassiodoro in *Historia Tripartita*, Macrobio in *Saturnalibus* citat. In *Policr.* viii. 25, ubi alia de libertate dicta sunt, quorum auctorem non agnosco, quorundam fons uidetur esse locus Homericus, *Odyss.* xvii. 322, 323. Quae de Phaeacibus in *Policr.* viii. 6 leguntur, non dubito quin ex Macrobii *Saturnaliorum* libris amissis desumpta sint.

HERODOTVS ex Hieronymo *aduersus Iouinianum* citatur.

ARISTOPHANES ex Valerio Maximo.

PLATONIS *Timaeum* ex Chalcidii uersione, *Phaedonem*, *Phaedrum*, *Rempublicam* ex Cicerone *de Officiis*, Augustino *de Ciuitate Dei*, Boethio *de Consolatione Philosophiae*, Macrobio in *Saturnalibus* citat. Alia de Platone apud Valerium Maximum, Apuleium *de Dogmate Platonis*, Aulum Gellium, Hieronymum *adu. Iouin.*, Chalcidium in *Comm. in Timaeum*, Flauianum in libro *de Vestigiis et Dogmatibus Philosophorum* nunc amisso legit. Dicta non nulla Platonis in collectionibus sententiarum inuenit, quales in libro qui *Caecilius Balbus* uocatur congessit Eduardus Woelfflinus; uide comm. nostrum ad *Policr.* iii. 14. Inter dicta huiusmodi in *Policr.* v. 7 reperiuntur uestigia *Legg.* ix. 862 E.

ARISTOTELIS *Categoriarum* et libri *de Interpretatione* uersionem a Boethio factam in manibus habuit; etiam *Analyticorum* et *Topicorum* interpretationem quae usque ad nostra tempora sub Boethii nomine circumfertur. Quae an uere Boethii sit, dubitauerunt uiri docti C. Schaarschmidtius (*Ioh. Sar.* p. 120) et V. Rose (*Herm.* i, p. 382). Hac certe usus est Ioannes, qui, ut unius tantum loci testimonium adferam, non nisi ex ea uocabula *aegrotatiuus*, *sanatiuus* (*Policr.* vii. 10), *proteruire* (pro δυσκολαίνειν, *Policr.* vii. 7) discere potuit. Hanc autem non absurde

suspicatur loc. supra cit. V. Rose eandem esse de qua narrat Robertus de Torigneio in *Chronicis* sub a. 1128 (non a. 1228, ut refert Schaarschmidtius, *Ioh. Sar.* p. 122, cuius de hac re rationem omnino perturbauit hoc de anno erratum): *Iacobus clericus de Venetia retulit de Graeco in Latinum quosdam libros Aristotelis et commentatus est, scilicet Topica, Analyticos priores et posteriores et Elenchos, quamuis antiquior translatio super eosdem libros haberetur* (ed. Howlett, p. 114). Sed antiquiorem translationem cuius mentionem facit Robertus, certe ignorauerunt cum alii tum etiam Abaelardus, qui in *Dialecticae* suae part. 2ª ait: *Aristotelis enim duos tantum, Praedicamentorum scilicet et Periermenias, libros usus adhuc Latinorum cognouit* (*Ouvr. inédits*, p. 228); et quamquam ipse et *Analytica priora* et *Topica* edidit, liber alter in Aristotelem *de Interpretatione*, alter in Boethium *de differentiis Topicis* est commentarius. Mox, teste Ioanne nostro in *Metal.* iii. 5, uersari incipiebant saltem *Topica*. *Cum itaque* (ut uerba eius referam) *tam euidens sit utilitas Topicorum, miror quare cum aliis* (scilicet, *Analyticis* et *Sophisticis Elenchis*) *a maioribus tamdiu intermissus sit Aristotelis liber ut omnino aut fere in desuetudinem abierit, quando aetate nostra, diligentis ingenii pulsante studio, quasi a morte uel a somno excitatus est ut reuocaret errantes et uiam ueritatis quaerentibus aperiret.* De Ottone Frisingensi episcopo, qui a. 1158 supremum diem obiit, haec habet Rahewinus, libri *Gestorum Friderici imperatoris* ab ipso Ottone incohati continuator (iv. 11, in Pertzii *Mon. Germ. Hist., Script.*, xx, p. 451): *Litterali scientia non mediocriter aut uulgariter instructus inter episcopos Alemaniae uel primus uel inter primos habebatur in tantum ut ... philosophicorum et Aristotelicorum librorum subtilitatem in Topicis, Analyticis atque Elencis fere primus nostris finibus apportauerit.* Denique Gilbertus Porretanus, qui a. 1154 e uita migrauit, in *libro Sex Principiorum*, cap. 7 ad fin. (Aristotelis *Opp.* Lat. ed. Ven. 1552, t. i fol. 34) lectores ad *Analytica* mittit: *Reliqua uero,*

inquit, *in eo quod de Analyticis est quaerantur uolumine.* Theodoricus siue Terricus Carnotensis in *Eptatheuco* siue *Bibliotheca septem liberalium artium*, cuius codicem ab ipso auctore ut uidetur ecclesiae Carnotensis capitulo legatum in bibliotheca publica Carnotensi inuenit Alexander Clerval, Aristotelis *Analytica priora* et *Topica* Latine scripta comprehendit, *Analytica* autem *posteriora*, quorum, ut ait Ioannes noster *Metal.* iv. 6, *subtilis quidem scientia est et a paucis ingeniis peruia*, omnino praetermisit (Clerval, *Les Écoles de Chartres au moyen âge*, p. 245). Notandum est in hoc codice (ut docet *Catalogue Général des Manuscrits, Départements* xi, Par. 1889, p. 212) *Analytica priora* aliter atque in interpretatione sub nomine Boethii uulgata incipere, similiter desinere; contra *Topica* similiter ac in ista interpretatione incipere, finem uero dissimilem exhibere. Coniecit A. Clerval Theodoricum (qui obiit circa a. 1150) eum esse qui *Analytica* et *Topica* in usum reuocauerit, quod pace uiri docti ex *Metal.* iv. 20 uix colligi potest, ubi ait Ioannes: *Magister Theodoricus ut memini Topica non Aristotelis sed Trecassini Drogonis irridebat, eadem tamen quandoque docuit.* Hinc, nisi in lucem rediisset *Heptateuchon*, conclusissem Theodorico Drogonis tantum, non Aristotelis *Topica* innotuisse. Ipsius Ioannis Saresberiensis *Metalogicus* et *Topicorum* et *Analyticorum* tam *priorum* quam *posteriorum* expositionem continet.

A uetere translatione aliam nonnunquam distinguit Ioannes, quam *nouam* uocat; exempli gratia in *Metal.* ii. 20 ait: *Gaudeant, inquit Aristoteles, species; monstra enim sunt, uel secundum nouam translationem cicadationes* (*Anal. Post.* i. 83 a 33). *Monstra* habet interpretatio quae Boethii uocatur et a Scholasticis usque ad Ioannem Argyropulum erat usurpata. Vide de hac re V. Rose loc. supra cit. p. 383.

Translationem nouam Schaarschmidtius, Rose, alii suspicantur in usum Ioannis ipsius factam esse ab *interprete Graeco* de quo loquitur *Metal.* i. 15, iii. 5, iv. 2, quem eundem esse atque Henricum siue Euericum Aristippum Platonici *Phaedonis* interpretem uult esse Rose. Sed de his quaestio

difficillima est et potius ad *Metalogici* quam ad *Policratici* explanationem pertinet. Verba tamen Ioannis in locis supra laudatis et in *Ep.* 211 subiungam, ut quo modo res se habeat facilius uideatis. In *Metal.* i. 15: *Non pigebit referre nec forte audire displicebit quod a Graeco interprete et qui Latinam linguam commode nouerat, dum in Apulia morarer, accepi.* In *Metal.* iii. 5 post ea de *Topicorum* in usum reuocatione quae supra citaui dicta, ita pergit: *Neque enim sermonum aut rerum tanta est difficultas ut a studiosis non possit intelligi et utilitas tanta est ut prae ceteris expediat hunc agnosci. Satis enim, inter cetera quae translationis arctissima lege a Graecis tracta sunt, planus est; ita tamen ut facile sit auctoris sui stilum agnoscere, et ab iis dumtaxat fideliter intelligatur, qui sequuntur indifferentiae rationem sine qua nemo unquam nec apud nos nec apud Graecos, sicut Graecus interpres, natione Seueritanus, dicere consueuerat, Aristotelem intellexit.* Hinc mihi dubium est an *Graecus interpres* idem sit qui *Topicorum translationem fecerit,* de qua supra dixi. In *Metal.* iv. 2 legimus: *Interpres meus cum uerbum audiret ignotum, et maxime in compositis, dicebat 'analetiza hoc' quod uolebat aequiualenter exponi.* Porro in *Ep.* 211 ad Ricardum cognomento Episcopum, tunc temporis archidiaconum Constantiensem, postea autem episcopum Abrincensem, scripta ait Ioannes: *De cetero iam a multo tempore porrectas itero preces quatenus libros Aristotelis, quos habetis, mihi faciatis exscribi . . . meis tamen sumptibus, quaeso, in hac re nulla ratione parcatis. Precor etiam iterata supplicatione quatenus in operibus Aristotelis, ubi difficiliora fuerint, notulas faciatis, eo quod interpretem aliquatenus suspectum habeo, quia, licet eloquens fuerit alias, ut saepe audiui, minus tamen fuit in grammatica institutus.* Verum de *ueteris* an de *nouae translationis* auctore haec dicta sint dubitare licet.

Quod ad *Policraticum* attinet, ex alia quam uulgata interpretatione *Topica* citare uidetur Ioannes in *Policr.* viii. 6 (729 c) *amorem quem diffinit philosophus esse concupiscentiam coeundi,* ubi Aristoteles (*Top.* vi. 146 a 9) habet ὁ ἔρως ἐπιθυμία συνουσίας ἐστίν, interpretatio uero

uulgata *amor concupiscentia conuentionis est.* Notandum est nos in commentario uersionem uulgatam tanquam Boethii sine dubitationis indicatione citauisse; quod etiam fecerunt *Thesauri linguae Latinae* nunc auctoritate Academiarum quinque Germanicarum prodeuntis conscriptores.

Praeter ea quae ex *Organi* quod uocant libris desumpsit Ioannes, quaedam quae *Metaphysica* et *Ethica Nicomachea* sapiunt (quae ipsum legisse certe non credendum est) notaui ad *Policr.* iv. 4 (519 B), 10 (531 D). Alia de Aristotele ex Cicerone in libro *de Officiis* et in *Tusculanis Quaestionibus*, Valerio Maximo, Quintiliano, Aulo Gellio, Augustino *de Ciuitate Dei*, Martiano Capella, Boethio *de Syllogismo Categorico*, Macrobio in *Saturnalibus* extraxit. Etiam fabulosa quaedam incerto auctore refert in *Policr.* vii. 6 et viii. 5.

IOSEPHVM *de Bello Iudaico* ex Eusebio, *de Antiquitatibus Iudaicis* ex uersione Rufino supposita citat. Ad interpretationem quae sub Hegesippi nomine circumferebatur fortasse respicit *Policr.* vi. 18, viii. 18. Veri autem Hegesippi, rerum ecclesiasticarum scriptoris antiquissimi, uerba referentem Eusebium *Policr.* viii. 19 sequitur.

PLVTARCHI esse credidit Ioannes noster libellum quendam ad Traianum imperatorem de rei publicae constitutione scriptum, quem sub oculis habuit; de hac re nihil est quod iis addere possim quae ad prologum *Policr.* v in commentario scripsi. In capitulis *Policr.* v, vi, quorum ex magna parte materia ex isto libello sumpta est, nonnulla agnosco quae in *Vita Alexandri*, in dissertationibus *de Fortuna*, *de Fortuna Romanorum*, in *Aetiis Romanis* legas. In prologo *Policr.* v. Plutarchum *praeceptorem Traiani* uocat Ioannes; cf. Suidam s. v. Πλούταρχος (ed. Gaisf. 3014). Plutarchi nepotem fuisse Frontonem ait *Policr.* vii; 13, 19; v. infra de Frontone. Porro in *Policr.* v. 6 *Quaestiones Conuiuales* ex Gellio citat.

ARISTIDIS *Panathenaici* in *Policr.* v. 9 uestigium auctori *Institutionis Traiani* debere uidetur; v. commentarium nostrum ad loc.

CLEMENTI ROMANO *Recognitiones* falso attributas ex uersione Rufini citat.

GALENI dictum in *Policr.* viii. 6 laudat quod in spurio opere *de Dynamidiis* inuenies. In eodem capitulo ex Hieronymo aliam illius sententiam refert. De doctrinae Galeni apud homines saec. xii occidentales scientia uideant uiri docti qui medicorum antiquorum studiosi sunt.

DIOGENEM LAERTIVM interpretatus est, si Valentino Rose fidem adhibeamus, uir Ioanni nostro coaetaneus, Euericus scilicet Aristippus, archidiaconus Cataniensis; sed quae ex Diogene in *Policraticum* permanauerunt, per dictorum memorabilium collectiones recentiores deducta esse uidentur; uide infra de FLAVIANO, 'CAECILIO BALBO', CATVLO PARMENSI.

ORIGENIS *Homilias in Lev., Num., Ios., Iudic.* ex interpretatione quae uere quidem est Rufini, sub Hieronymi autem nomine in medio aeuo circumferebatur, *Homilias in Lucam* ex ipsius Hieronymi uersione Ioannes citat. *Origenem super Iosue* ecclesiae Carnotensi testamento legauit. Quaedam de Origene ex Eusebii *Hist. Eccles.* et ex Hieron. *Apol. adu. Rufinum* refert.

PHYSIOLOGVM qui uocatur librum, origine quidem Graecum, Latine tamen saec. xii° exstitisse constat. Vide J. P. N. Land in *Encycl. Britann.* ed. 9ª, t. xix, pp. 6 seqq. Aut ipsum librum aut alium materia inde sumpta usum non semel auctorem habuit Ioannes.

PLOTINVM certe non habuit. Ex Augustino *de Ciuitate Dei* et Macrobio *de Somnio Scipionis* quaedam de illo refert. De astrologia Plotini sententiam in *Policr.* ii. 19 citatam, ubi legere potuerit, equidem nescio.

PORPHYRII *Introductionem in Categorias Aristotelis*, quae locum in *Organo* quod uocant primum occupauerant, in uersione Boethii habuit. Huius mentionem ab Augustino *de Ciuitate Dei* factam inuenit, et eundem fidei Christianae acerrimum fuisse impugnatorem didicit.

EVSEBII *Historiae Ecclesiasticae* interpretatione a Rufino facta usus est.

GREGORII NAZIANZENI *Epistolas* et *Orationes* in *Policr.* vii, prolog. cc. 18, 19 citat ex uersione quae hodie non exstat. Videant quibus est curae bibliothecarum medii

aeui historia, an usquam in catalogis antiquis huius uersionis fiat mentio.

Basilii *Vitae* antiquae interpretationem adhibuit; uide commentarium nostrum ad *Policr.* viii. 17.

Chrysostomo a medii aeui auctoribus attributum *Opus imperfectum in Matthaeum*, quod neque a Chrysostomo neque Graece scriptum fuisse constat, aut ex Gratiano aut ex alio iuris canonici scriptore citat. Sub eiusdem nomine circumferebatur homilia de S. Ioanne Baptista Latine aut scripta aut uersa quam laudat Abaelardus et fortasse legerat etiam Ioannes noster.

Cyrilli locum *in epistola Ephesinae sinodi* quem *Policr.* vii. 17 citat, in *Scholiorum de Incarnatione Vnigeniti* interpretatione Latina a Mario Mercatore facta legisse uidetur.

Dionysii Areopagitae quem uocant Epistolarum uersione a Ioanne Scoto edita utitur; aliam a Ioanne Sarraceno, coaequali et amico suo, fieri curauit, ut patet ex *Epistolis* 149, 169, 230.

Ad Latinos pergo.

Terentii comoedias quae exstant omnes praeter *Hecyram* citat. Terentium *comicum* per antonomasiam saepe uocat et in *Policr.* vii. 9 *comicum qui prae ceteris placet.* De eodem in *Policr.* viii. 1 ait: *In Eunucho fere omnium uitam expressit.*

Lvcilivm ex Cicerone *de Finibus* in *Policr.* viii. 8 citat.

Varronem ex Gellio, Vegetio, Augustino, Macrobio citat.

Ciceronis *de Officiis* et *de Oratore* libros ecclesiae Carnotensi testamento legauit. His cum eiusdem libris *de Amicitia, de Finibus, de Inuentione Rhetorica, de Natura Deorum, de Senectute*, et *Tusculanis Disputationibus* nec non libris ad Herennium *de Arte Rhetorica* scriptis, quos Ciceroni *Policr.* vi. 19 attribuit, in *Policratico* scribendo usus est. *Aucupes rumusculos* (*Policr.* iii. 5) in tertio *de Legibus* inuenire potuit. Multa sunt quae libros *de Diuinatione* sapiunt, quaedam quae *Academica*; quos tamen an ipse legerit, dubitari potest.

Quod prouerbii loco bis in prologo ad *Policr.* vii dicitur, *mihi et Musis*, utrum ex ipso Ciceronis *Bruto* an ex Hieronymi *Epist.* l sumptum sit, incertum est. Apparet eum et *Orationum* et *Epistolarum* ignarum fuisse. Quod ex oratione *pro Q. Ligario* in *Policr.* viii. 7 citat, apud Augustinum exstat; sententiam denique de iis qui contra leges gladium accipiunt ideoque non milites sed sicarii recte nominandi sunt, quam in oratione *in Catilinam* prima inuenies aut ex nescio quo alio Ciceronem laudante aut fortasse ex Ciceronis ipsius *de Republica* libris Ioannes sumere potuit. Nam istorum librorum exemplar ex parte perfectius eum uidisse quam quod in codice Vaticano palimpsesto a. 1822 inuenit Angelus Maius, ex *Policratici* plerisque locis ualde suspicor; uide Ind. Auct. et comm. ad iii. 13, vii. 9, 16; cf. Maium in ed. Rom. 1846 pp. xii. 193 n.; et de Petro Pictauiensi, S. Petri Venerabilis discipulo, Cic. *de Rep.* (v. 7 § 9) in *epistola ad calumniatorem* (Max. Bibl. Patrum Lugd. 1677 xx. 824) citante v. Barthium in *Aduers.* xxxii. 5. Quaedam alia quae ad eosdem libros pertinent ex Hieronymo et Augustino citat Ioannes; et locum de somnio Scipionis ex Macrobio.

SALLVSTII *de Catilina* et *de Bello Iugurthino* libris usus est. Nonnulla ex *Catilina* et *Historiis* a Vegetio, ex *Catilina* ab Augustino et Macrobio desumpta laudat.

PVBLILII SYRI (quem quare non semel Publium Clodium uocauerit, explicaui ad *Policr.* viii. 15) sententias quattuor citat quae exstant in collectionibus quas Senecae et Frisingensem uocat v. d. Gul. Meyer; unam praeterea quam dant Seneca pater, Quintilianus, Hieronymus; denique alias duodecim quas ex Macrobio desumpsit; quibus etiam *uersum Laberianum* a Seneca *de Ira* laudatum subiunxit.

VERGILII *Bucolica Georgica Aeneida* passim citat. Seruii et Bernardi Siluestris commentariis usus est et *Vita Vergilii* quae sub Donati nomine circumfertur.

HORATII *Epistolas* et *Satiras* passim citat; ex *Carminibus* tamen nihil nouisse uidetur praeter paucas sententias notissimas quae sequuntur: *atauis edite regibus, siccis omnia dura deus proposuit, auream mediocritatem, curtae*

nescio quid semper abest rei, dulce est desipere in loco; quae sine dubio aut apud auctores recentiores citata aut in florum collectionibus excerpta legere potuit. Horatium saepissime (sed nonnunquam etiam alios) tacito nomine *ethicum* uocat.

HYGINI de astrologia librum qui sub nomine *Poeticon Astronomicon* circumfertur, sub finem *Policr.* ii. 18 laudare uidetur, ubi ait: *Eorum uero qui scientiam profitentur astrorum, alii opinionis errore prolabuntur ad fabulas, in quo deprehenditur et Iginus.* Eiusdem scriptoris liber *Fabularum* incertum est an legerit. Eorum sententiam qui aut hunc aut illum Iulio Hygino saeculi Augustani historiographo attribuunt, minime probant Teuffel et Schwabe, *Gesch. der Röm. Literatur*, ed. 1890 § 262. Iulium autem Hyginum ipsum *de Vita Rebusque Illustrium Virorum* in *Policr.* v. 7, vi. 19 auctore Gellio citat Ioannes.

SENECAE patris *Controuersias* semel tantum citat; scilicet in *Policr.* ii. 15 *Est enim oraculum, ut ait quidam, diuina uoluntas ore hominis enuntiata* (*Controu.* i. praef. § 9). Notandum est hoc dictum non exhibere excerpta de quibus disseruit Kiessling p. viiii.

LIVIVM ipsum Ioannes non legit; epitoma a L. Annaeo Floro facta (de qua uide infra) passim usus est; nec ab eo tantum sed etiam, ut patet ex *Policr.* vi. 16, ab aliis breuiatoribus; cf. commentarium nostrum ad iii. 10, viii. 18. Liuii ipsius bis mentionem facit; scilicet in *Policr.* iii. 10 ait: *Qualiter ei Hannibal cesserit, et manifestam uictoriam nota in puppi praetoria laurus polliceretur, scriptor belli Punici Titus Liuius refert*; et in *Policr.* viii. 18 *Titum Liuium* inter alios historicos commemorat.

OVIDII *Amores, Artem Amatoriam, Fastos, Heroides, Metamorphoses, Epistolas ex Ponto, Remedia Amoris, Tristia* citat.

VALERIO MAXIMO passim usus est. Exemplar testamento ecclesiae Carnotensi legauit.

STATII *Achilleida* semel, *Thebaida* saepe citat.

CELSI *de Medicina* librum semel citat; in *Policr.* vi. 19 cum ait *legat et illa quae Cornelius Celsus* etc. *posteris praescribenda duxerunt*, uerba Vegetii *de re militari* i. 8 refert.

Senecae libros *de Beneficiis* non semel, *Epistolas ad Lucilium* saepissime citat. *Dialogos* an legerit incertum est. Versiculus in *Policr.* viii. 23 laudatus, *Ferro rimatur uiscera matris*, in mentem reuocat Senecae *Medeae* uersus 1012, 1013, quos deleuit Fridericus Leo (i. 208), quem secutus est G. Richter in editione Teubneriana. Libri *de Naturalibus Quaestionibus* exemplar ecclesiae Carnotensi testamento legauit Ioannes, quo tamen in *Policratico* scribendo non usus est. Sententias de Seneca a Quintiliano et Hieronymo latas in *Policr.* viii. 13 refert. Ad Epistolas pseudographas Senecae ad S. Paulum et S. Pauli ad Senecam eodem loco respicit, e quibus tamen nihil (quod sciam) sumpsit.

Lvcanvm *poetam doctissimum, si tamen poeta dicendus est qui uera narratione rerum ad historicos magis accedit* (*Policr.* ii. 19), *poetam grauissimum aut, si iuxta Quintilianum* (*Inst. Or.* x. 1 § 90) *rectius dicere malueris oratorem* (*Policr.* viii. 23), passim et saepissime citat.

Persio, quem tacito nomine modo *ethicum* modo *satiricum* uocat, multum usus est.

Petronii quem *Arbitrum nostrum* bis uocat, Satiras passim citat, nec exemplari quo usus est defuit *Cena Trimalchionis*, quam in codice Traguriensi circa a. 1650 primus recentiorum inuenit Marinus Statilius. Ab huius codicis scriptore *Cenam* transcriptam esse ex *particula Petronii* quam e Britannia se misisse fatetur Poggius Bracciolinus in *Epist.* ii. 3, cuius aliquam cum Ioannis Saresberiensis exemplari cognationem suspicari licet, probabiliter coniecit A. C. Clark (*Classical Review*, Sept. 1908, pp. 178, 179). Nonnulla Petroniana in *Policratico* exstantia quae me olim latuerant, mihi benignissime indicauit Stephanus Gaselee e Collegio Regali apud Cantabrigienses.

Silii Italici uersiculos quosdam (iv. 352, 353) reuocat in mentem *Policr.* vi. 6 (598 D, huius ed. tom. ii. 19, 20), de quibus uide commentarium nostrum ad loc. Hinc certe non colligere possumus Ioannem in manibus habuisse poetam quem laudat post Sidonium Apollinarem usque ad Poggium Bracciolinum nemo scriptorum quorum hodie exstant opera.

PLINII *Naturali Historia* passim usus est. De usu breuiarii saeculo quarto conflati, cui nomen est *Plinii Medicina*, incertum est. In *Policr.* vi. 12 uelut ex Plinio refert quae uere Gellio debentur; et quae in i. 13 ex eodem citat de omine non infausto a *femina quae capite discooperto incedit*, modo si sit meretrix, accepto, ego neque apud Plinium neque alibi inuenire potui. In viii. 7 locum Plinii ex Macrobio citat.

FRONTINI *Strategematon* librum saepissime laudat, quem *Strategemmata* uocat. In *Policr.* vi. 11, ubi de libro quarto agitur qui de *Strategicis* est, sic ait: *Quartus liber Strategemmaticorum Iulii Frontini.* Nam *strategemmatica* legit, ubi melius *strategica* posuisset codicis quo usus est scriptor; uide Gundermannum in praefatione ad editionem Teubnerianam p. xiii, qui etiam, p. xi eiusdem praefationis, de Ioannis nostri cum codice Parisino conuenientia et uariatione a ceteris Frontini codicibus satis disputauit. Quanquam ait Ioannes in *Policr.* vi. 12 (605 A, nostrae editionis ii. 30. 29): *Vt redeam ad Frontinum*, tamen quae sequuntur ex Gellio prodeunt; quem errorem ex hoc ortum esse suspicor, quod Frontini iv. 1 § 18 supra citauerat et quod a nomine Crassi incipiunt et locus Gellii quem pergit referre et clausula Frontini iv. 1 § 19.

TACITI opera nusquam citat, nomen autem, quod apud Orosium laudatum inuenire potuit, inter alia *historicorum* in *Policr.* viii. 18 commemorat.

QVINTILIANI *Institutione Oratoria*, quem in *Policr.* vii. 9, 14 librum *de Institutione Oratoris* uocat, passim usus est.

MARTIALIS *Epigrammata* saepissime citat. Illum *Martialem* semel tantum, *Coquum* siue *Cocum* ter nominat; de hoc cognomine uide commentarium nostrum ad *Policr.* vii. 12, 665 B, nostrae editionis tomi ii. 142. 18.

IVVENALE, *Aquinate nostro*, quem, ut etiam Persium, aliquando *satiricum*, aliquando *ethicum* uocat, passim usus est, neque est ullus scriptor profanus cuius stilo et uerbis magis sit imbutus.

PLINII IVNIORIS *Epistolarum* nullum certum est in

Policratico uestigium (nam *munera fortunae uiscata* in *Enth. ad Policr.* uocare potius a Seneca quam a Plinio didicit), neque, pace Reifferscheidii, *Panegyrici*; uide commentarium nostrum ad iii. 14 et infra sub nomine CAECILII BALBI. Quod de ipso Plinio in iv. 8 refert, ex Orosio desumpsit.

SVETONII *de Vita Caesarum* librum passim citat. Sub finem *Policr.* viii. 18 de *Suetonio* et *Sereno* et *Tranquillo* ut de tribus historiographis loquitur; quae tamen nomina omnia unius tantum uiri, scilicet C. Suetoni Tranquilli, esse uidentur; uide commentarium nostrum ad loc.

FLORI *Epitoma* usus est; nomen autem nusquam refert. Cf. O. Rossbach praef. ad ed. Teubn. 1896, p. xxv n. 3. Vide infra sub IORDANE.

GELLII, quem ut ceteri medii aeui scriptores *Agellium* (i.e. *A(ulum) Gellium*) uocat, *Noctes Atticas* passim adhibet. Nonnulla quae in eodem opere exstant ex Augustino *de Ciuitate Dei* et Macrobio in *Saturnalibus* citat. Quod in *Policr.* ii. 23 refert ex *Atticis Noctibus* de quaestione an sciri possint quae non sunt necessaria, non exhibent libri quos habemus; et fortasse prouenit ex libro viii qui codicibus nostris deest; uide commentarium nostrum ad loc.

FRONTONIS *grauitatem* auctore Hieronymo commemorat in *Policr.* iii. 9. Epistolarum, quas in codice Bobiensi inuenit Angelus Maius, nulla apud eum memoria exstat. De ipso Frontone narrat, quo auctore nescio, eum secundum quosdam Plutarchi nepotem fuisse (*Policr.* viii. 13, 19); et eundem fuisse ac Frontonem illum de quo loquitur Iuuenalis in *Sat.* i. 12 (*Policr.* viii. 13); denique asseruisse Senecam *sic uniuersos exterminare errores ut aurea uideatur secula reformare et deos ab humano genere exulantes eius opera reuocatos hominibus contracta societate miscere* (*Policr.* viii. 13). Haec de Seneca dicta a sententia quam in Epistolis quas habemus de eodem prodit Fronto M. Antonini praeceptor maxime discrepant. Vide quae de hac re scripsi in commentario ad *Policr.* viii. 13, 19 et *Classical Review*, xi, pp. 305 seq.

APVLEII libros *de Deo Socratis* et *de Platone et eius*

Dogmate citat, necnon librum qui *Asclepius* inscribitur et inter opera Apuleii circumfertur. Nonnulla de Apuleio ex Augustino et Macrobio refert.

Q. SERENI SAMMONICI *Librum medicinalem*, de quo utrum patris sit an filii adhuc dubitant uiri docti, in *Policr.* vi. 24 citat; quae uelut Sammonici Sereni in *Policr.* viii. 7 refert, patris sunt et ex Macrobii *Saturnalibus* proueniunt.

SOLINVM semel tantum nominat, saepissime sequitur.

CYPRIANI epistolarum ad Cornelium papam scriptarum locos citat duos; quorum alterum siue in Gratiani *Decreto* siue in alia canonum collectione legere potuit.

CHALCIDII et Platonici *Timaei* interpretatione et in eundem librum commentario usus est.

FIRMICI *Matheseos* iii. 1 seqq. (non, ut in corrigendorum tabula dixi, i. 3 seqq.) de usu nihil affirmare possum; nam quae de planetarum natura astrologorum somnia refert Ioannes, nihil uetat nos suspicari eum aliunde sumpsisse.

DONATI libello *de Vita Vergilii* usus est; apparent etiam eiusdem *Artis Grammaticae, Commentariorum in Terentium, Vitae Terentii* uestigia.

EVTROPII, *qui*, ut ait *Policr.* viii. 21, *Romanam eleganti compendio describit historiam*, saepissime citat *Breuiarium*.

AMBROSII libros *de Officiis* usurpat, necnon *Policr.* iii. 13 (nostrae editionis tomi i. p. 221, non, ut in Indice dicitur, 321), *Commentariis in S. Pauli Epistolas* medio aeuo Ambrosio attributis, eos scilicet quos hodie mos est nomine Ambrosiastri designare; fortasse etiam libris *de Obitu Theodosii, de Poenitentia, Expositionibus Psalmi cxviii* et *Euangelii Lucae*. Locum ex libro *de Ioseph patriarcha*, qui et apud Isidorum et in Glossa Ordinaria exstat, *Policr.* viii. 17 citat. Gratianum, ut uidetur, secutus, ex Ambrosio quaedam refert *Policr.* vii. 17 quae uere ex concilii Toletani a. 653 habiti canonibus desumpta sunt; v. comm. ad loc. Necnon in fine *Policr.* viii. 12 locum Augustini, quod tanquam eiusdem citauerat in *Decreto* Gratianus, Ambrosio per errorem attribuit.

AVSONII *Epigrammatis* usus est.

Plavti sub nomine quae circumferebatur comoedia saeculi Theodosiani cui nomen est *Aulularia* siue *Querolus* in manibus habuit Ioannes; fabulas uere Plautinas plane ignorauit.

Hieronymo, quem *doctorum doctissimum* (*Policr.* ii. 22), *doctorem doctorum* (vii. 10) appellat, diligentissime incubuit. Praeter interpretationem S. Scripturae *Epistolis* et libris *aduersus Iouinianum* passim usus est; *Apologiam aduersus Rufinum, commentarios in Isaiam, in Ieremiam, in Danielem, in Ionam, in Michaeam* (nostrae editionis tom. i. 29. 11 non, ut in Indice, 29. 4), libros *de Perpetua Virginitate B. Mariae, de Viris Illustribus,* non neglexit; ex libro *de Nominibus Hebraicis* nonnulla sumpsit, quae tamen in libro Remigii Autissiodorensis (de quo v. ad *Policr.* viii. 22, 807 D, nostrae ed. t. ii. 397. 14) inuenire potuit. Quae de sancto uenatore in sacris Scripturis non inuento ex Hieronymi commentario in Ps. xc, quem non inter illius opera inuenies, citant Iuo Carnotensis et Gratianus, ea Noster *Policr.* i. 4, non tamen ut ab Hieronymo dicta, refert. Historiam de Hieronymo et tribus clericis in *Policr.* viii. 12 ex *Vita Hieronymi* antiqua narrat. Testamento Ecclesiae Carnotensi legauit *Ieronimum super Marcum, super Isaiam, super Ezechielem, super Danielem, super Epistolas Pauli, super xii prophetas, minus Breuiarium eiusdem super Psalmos, Ieronimum contra Iouinianum.*

Nonivm Marcellvm semel, scilicet *Policr.* viii. 11, citat: *Nuptiae a nubendo dici maiores tradiderunt, quia pudenda humanae infirmitatis nubit, id est abscondit, ut ait Nonius Marcellus, indulgentia legis.* Haec neque in Nonii Marcelli editionibus inuenies neque illi a Nostro attributa esse animaduertit quod sciam quisquam editorum. Ciceronis dictum quod *Policr.* iii. 12 laudat, *Optimum uectigal parsimonia est,* Nonius quidem refert, Ioannes tamen (ut supra uidimus) ipse in libris de *Re publica* legere potuit. In *Policr.* vi. 3 de *gradariis equis* loquitur, quorum mentionem non esse apud auctores antiquos factam nisi apud Nonium ex Lucilio narrant Lexicographi.

Vegetii Renati *Epitomen Rei Militaris* saepissime citat Ioannes. Huius exemplar testamento ecclesiae Carnotensi legauit.

Favstini et Marcellini praefationis ad *Libellum precum ad imperatores* notitiam habuisse Nostrum ex *Policr.* viii. 23 apparet.

Servii commentariis in Vergilii *Aeneidem* et *Georgica* usus est.

Svlpicii Severi libello de *Vita S. Martini* usus est Ioannes.

Rvfino interprete *Recognitiones S. Clementis* et Eusebii *Historiam Ecclesiasticam* legit.

Avgustinvm, *doctorem illum Ecclesiae cuius nemo satis memor esse potest* (ut ait *Policr.* vii. 9), quem *magnum* plerumque appellat, auctorem passim habuit. Libros *de Ciuitate Dei* saepissime citat; etiam usus est *Confessionibus*, libro *de Doctrina Christiana, Enarrationibus in Psalmos*, libris *de Libero Arbitrio, Quaestionibus in Heptateuchum, Sermonibus, Tractatibus in Ioannis Euangelium*; necnon, ni fallor, *Epistolis*, libris *de Natura et Gratia* et *de Quantitate Animae*; his minus confidenter addam libros *de Baptismo contra Donatistas* et *de Sermone Domini in Monte.* De ceterorum quae re uera sunt Augustini operum usu non satis constat; uide comm. et Ind. Auct. *Dialectica* Augustino perperam attributa usus est. E libro *de Diuersis Quaestionibus ad Simplicianum* quae refert, e canonum collectionibus sumere potuit. Testamento *Augustinum contra Iudaeos et De lxxxiii quaestionibus* et *De doctrina Christiana* ecclesiae Carnotensi legauit.

Clavdiani *Panegyricum de iii°* et *de iv*to *consulatu Honorii* et libros *in Rufinum* legit.

Prvdentii uerba semel referre uidetur; scilicet in *Policr.* iii. 8, 491 B, nostrae ed. t. i. p. 195. 1.

Pavlini Mediolanensis e libro *de Vita S. Ambrosii* nonnulla in Breuiario fortasse inuenta refert in *Policr.* iv. 3, vii. 19.

Ivstini *Epitoma Historiarum Philippicarum Pompei*

Trogi passim usus est, quam plerumque sub nomine Trogi Pompei citat: loquitur autem *Policr.* v. 12 de *Trogo Pompeio uel Iustino compendiario eius* (*si mauis*).

Aviani *Fabulas* legit. In *Policr.* vii. 24, dum fabulam de cupido et inuido citat, haec addit: *ut Esopo uel Auiano credas*; Auianus enim ipse in epistola ad Theodosium dedicatoria *Aesopum huius materiae ducem nobis* appellat.

Orosii *Historiam aduersus Paganos* saepe citat Ioannes.

Marivm Mercatorem Cyrilli Alexandrini interpretem adhibuit. Vide supra de Cyrillo.

Macrobii *Saturnalibus* et *Comm. in Somnium Scipionis* passim usus est, et *Saturnaliorum* exemplari, ni fallor, iis quae hodie exstant perfectiore. Vide quae de hac re scripsi *Classical Review*, xi, p. 441 et in commentario ad *Policr.* viii. 6, 7. Iam in saeculo xvi° scripsit Pontanus ad *Sat.* vi. 9: *Nisi plane iudicii fallor, interpolauit compilauitque id operis* (sc. disputationem de scientia iuris auguralis apud Vergilium inuenta deperditam, quae pollicitus erat Flauianus in *Sat.* i. 24 § 17), *ut pleraque Macrobii alia Ioh. Saresb. Lege libri primi* (subaudi *Policratici*) *postrema duo capita et quaedam etiam secundi, et claras reperies reliquias melioris huius auri.* Fatendum est haec adnotauisse Pontanum ad uerba a se ipso afficta; uide Ianum in *Prolegomenis*, pp. xxxv seqq.; sed uiro doctissimo non defuit, ut ueritatis studium, sic etiam perspicacitas in coniciendo. Macrobio quidem deberi quae in *Policr.* i. 12, 13 legimus nihil est quo certi fieri possimus; ea tamen quae de cenis luxuriosis in *Policr.* viii. 6, 7 tradidit Ioannes non aliunde prouenire, satis docent et materia et stilus et nomen Portuniani, i. e. Postumiani qui apud Macrobium colloquia Saturnalia Decio narrat. Constat nonnulla excidisse inter *Sat.* iii. 12, ubi de Vergilii sacra doctrina quaeritur, et *Sat.* iii. 13, ubi de cenis luxuriosis (v. Iani *Proleg.* p. xix); quorum uestigia non dubito quin in loco *Policratici* supra dicto cerni possint. Vocabula quae, si recte conicio, Macrobii auctoritate fruuntur sed apud Lexicographos aut omnino desunt aut inter aliorum scri-

ptorum ἅπαξ quae uocant λεγόμενα referuntur aut alia quam apud Nostrum significatione gaudent, in commentario quidem notaui, hic autem subiunctis editionis nostrae paginis et uersiculis enumerare placet: *condegentium* (ii. 254. 29), *altrimodam* (ii. 263. 14), *catholica* (ii. 268. 22), *parenthetica* (ii. 268. 18, 23), *paracenium* (ii. 270. 4); de quibus uideant qui philologiae dediti sunt.

CASSIANI in *Policr.* viii. 9 dictum refert quod in operibus illius uiri frustra quaesiui. Non est cur dubitemus quin *Collationibus* usus sit, quas in commentario haud semel illustrationis causa adhibui.

SEDVLII uersiculos duos ex *Carmine Paschali* desumptos citat in *Policr.* ii. 19.

SIDONII APOLLINARIS *Epistolis* usus est.

MARTIANVM MINNEIVM FELICEM CAPELLAM, quem *Mineum* uocat Ioannes ipse, nos autem uulgo *Martianum Capellam* appellamus, saepissime auctorem agnoscit.

CASSIODORI *Historiam Tripartitam* citat. An libris *de Anima* et *de Artibus et Disciplinis Liberalium Litterarum* usus sit, incertum est.

LAVRENTII *Mediolanensis episcopi* uerba ex *Homilia de muliere Chananea* laudat in *Policr.* vi. 1; uide commentarium nostrum ad loc.

BOETHII librum *de Consolatione Philosophiae* saepissime citat Ioannes, qui (ut ait in *Policr.* vii. 15) *licet Verbum non exprimat incarnatum, tamen apud eos qui ratione nituntur non mediocris auctoritate est.* Eiusdem commentariis in Aristotelis *Categorias*, dialogis in Porphyrii a Victorino translatam *Isagogen*, libris *de Arithmetica, de Musica, de Syllogismo Categorico* usus est, insuper libro *de Trinitate*, quem Boethii uere esse nonnulli negant; necnon librum primum *de Geometria* (quem et in commentario et in Indice nostro *Euclidis Interpretationem* incautius appellaui) et Aristotelis *Topicorum* interpretationem, utrumque sub nomine Boethii diu circumlatum habuisse uidetur; quorum de altero uide supra in hac sectione sub ARISTOTELE.

ENNODII Ticinensis *Libellum apologeticum pro Synodo*

(ea sc. quae *palmaris* uocatur et Symmachum papam absoluit) citant uelut ex Symmacho ipso Iuo Carnotensis et Gratianus.

BENEDICTI *Regulam* aliquotiens laudat.

IVNILIVS in *Institutis Regularibus Diuinae Legis* quaedam de prophetia habet, quae refert in *Policr.* i. 12 Ioannes noster.

IORDANI in Flori *Epit.* i. 2 § 2 *Ianumque bifrontem* legenti consentit Ioannes; uide commentarium ad *Policr.* v. 3 (ed. nostrae t. i, p. 285. 26), ubi 'vi, p. 11' pro 't. v, ptis. i, p. 11' per errorem scripsi.

FVLGENTII *Mythologicon* Ioanni in manibus adfuisse nolo asserere, quod tamen ex *Policr.* v. 7 (editionis nostrae t. i, p. 307. 23) suspicor: uide commentarium ad loc.

GREGORIVS TVRONENSIS quae in *Historia Francorum* de S. Briccio narrat, ex *Policr.* vii. 19 apparet Ioannem legisse; utrum tamen in ipso Gregorii libro an tantum in Breuiario (v. *Breu. Sar.* ed. Procter et Wordsworth, iii. 1032) dubitari potest.

GREGORII MAGNI, *doctoris sanctissimi illius, qui melleo praedicationis ymbre totam rigauit et debriauit ecclesiam,* ut ait in *Policr.* ii. 26, *Dialogos, Epistolas, Homilias in Euangelia* et *in Ezechielem, Moralia in librum Iob, Regulam Pastoralem* citat Ioannes. Fabulam de Traiano Gregorii precibus ad uitam reuocato refert in *Policr.* v. 8; uide comm. nostrum ad loc. Primus inter auctores exstantes narrat in *Policr.* ii. 26, viii. 19 Gregorium bibliothecam Palatinam flammis tradidisse. Quae de eius *summo languore* habet *Policr.* vii. 19 et in *Vita* a Paulo Diacono scripta licet legere, ex Breuiario, ni fallor, desumpsit.

DARETEM PHRYGIVM qui se haberi uoluit, sexti post Chr. saeculi (ut uidetur) auctorem, non citat Ioannes; uerba enim quae in *Policr.* i. 4 exhibent editiones uetustiores, *Audi quantum attollit Vlixem Dares,* codicibus nostris omnino desunt.

ISIDORI *Etymologiis* (siue *Originibus*), quorum exemplar ecclesiae Carnotensi testamento legauit, passim usus est

Ioannes. Quae ex *Quaestionibus in Genesim* et *in Exodum* desumpta sunt in Glossa Ordinaria, quae ex *Sententiis* in *Decreto* aut Iuonis Carnotensis aut Gratiani eum legisse suspicor. De *Differentiis* nihil est quod pro certo dicere possim.

Beda in *Hist. Eccl.* i. 7 ea de S. Albano narrat quae *Policr.* viii. 13 refert quidem Ioannes, sed in Breuiario legere potuit: v. *Breu. Sar.* ed. Procter et Wordsworth, iii. 331. Locum de duobus timoribus Domini in *Policr.* v. 9 (561 B), qui in commentariis et Bedae et Rabani Mauri (Migne, *P. L.* cxi. 681) ad Prov. i. 7 exstat, in *Gloss. Ord.* legere potuit. Cetera aut ipsius Bedae opera aut sub nomine Bedae olim uulgata quae ad illustrandum *Policraticum* adhibui, Ioannem in manibus habuisse affirmare non audeo. De libro *de Interpretatione nominum Hebraicorum* uide infra sub *Remigio Autissiodorensi*.

Pavli Diaconi ipsos libros adhibuisse Ioannem nihil indicat; uide comm. ad *Policr.* i. 13, ed. nostrae t. i. p. 58. 3; et supra de Gregorio Magno.

Hildvinvs quae de Areopagi situ in libro *de Passione S. Dionysii* narrat, Ioannem apud Hilduinum legisse equidem affirmare non audeo.

Rabani Mavri, cuius libros *de Ecclesiasticis Officiis* (qui fortasse idem est quem *de Clericorum Institutione* uocant editores) et commentarios in Paralipomena ecclesiae Carnotensi testamento legauit Ioannes, librum de *Magicis Artibus* fortasse ex Gratiano citauit.

Ioannis Diaconi libro *de Vita S. Gregorii Magni* haud dubito quin debeat Ioannes noster quae *Policr.* v. 8 de Gregorio et Traiano refert, etsi auctoris sententiae non in omnibus consentiat; dubium tamen est an librum ipsum in manibus habuerit.

Ioannis Scoti siue Erigenae interpretatione operum quae sub nomine Dionysii Areopagitae circumferebantur usus est Ioannes noster; uide supra de Dionysio Areopagita.

Nicolai I papae *Epistolas* ex *Decreto* Gratiani suspicor citauisse Ioannem.

Remigio Avtissiodorensi rectius quam Bedae adscribitur

liber quidam de *Interpretatione nominum Hebraicorum* quo fortasse usus est Ioannes; uide commentarium nostrum ad *Policr.* viii. 22.

Petrvs Damianvs in capitulo ultimo libelli *de Nouissimis et Antichristo* signa quindecim totidem dierum diem iudicii praecedentium auctore Hieronymo, ut ait ipse, enumerat, de quibus agitur in fine *Policr.* ii. 11. Vide infra de Apocryphis.

Ivonis Carnotensis *Decretum* et *Panormiam* an legerit Ioannes, incertum est; omnia enim in *Policratico* de canonibus scripta quae apud Iuonem exstant, etiam Gratianus habet, cuius *Decreto* haud dubito quin usus sit Ioannes; uide infra de Gratiano.

Anselmi archiepiscopi Cantuariensis, de quo mentionem in *Policr.* vi. 18 facit, cuius *Vitam* etiam scripsit, *Meditationem* vii. in *Policr.* ii. 27 citat.

Marbodvm episcopum Redonensem fortasse de gemmis auctorem in *Policr.* v. 3 habuit.

Hildeberti episcopi Cenomanensis inter opera typis impressa exstant uersiculi de sacrae Scripturae interpretatione morali, quorum quinque citat in *Policr.* viii. 21 Ioannes; tamen an ipsius uere sint, dubium est. Vide in commentario nostro ad loc. et in appendice I.

Bernardi Silvestris *Commentum super sex libros Aeneidos*, quem continet codex in Bibl. Nat. Parisiis seruatus, sequitur Ioannes in *Policr.* viii. 24; uide comm. nostr. ad loc. In *Policr.* iii. 8 citat *temporis nostri scriptorem egregium*, quem asserit quidam in margine codicis Pontiniaci Bernardum Siluestrem esse. Bernardum Siluestrem nonnulli asserunt eundem esse atque Bernardum Carnotensem, de quo agitur in *Policr.* ii. 22, vii. 13, *Metalog.* i. 5, 11, 24, ii. 17, iv. 35; negat A. Clerval, *Les Écoles de Chartres au Moyen Age*, pp. 158 seqq., qui Bernardum Carnotensem ante a. 1130 mortem obiisse ex Necrologio Carnotensi demonstrauit. Bernardum autem Siluestrem, quem, nisi falsa est adnotatio de qua supra dixi, tanquam temporis sui scriptorem citauit Ioannes, circa a. 1145,

decimum scilicet ante *Policraticum* absolutum annum, carmen *de Mundi Vniuersitate* composuisse indicant uersiculi quidam de Eugenio III, qui papa a. 1145 factus est, *Munificens deitas Eugenum commodat orbi, Donat et in solo munere cuncta semel* (ed. Barach et Wrobel, p. 16).

Abailardi, magistri sui, quem *Peripateticum Palatinum* uocat in *Policr.* ii. 22, opera minime dubitari potest quin legerit Ioannes et in locis plerisque *Policratici* secutus sit, de quibus consulendus est Index Auctorum noster. Cf. de eodem *Metalog.* i. 5, ii. 10, 17, iii. prol., 1, 4, 6, *Hist. Pontif.* cc. 8, 9, 31.

Hvgonis de S. Victore *Eruditionem Didascalicam* nonnunquam in *Policratico* sequi uidetur Ioannes. Eiusdem commentariorum in Lamentationes Ieremiae et in *Hierarchiam caelestem* Dionysii Areopagitae (si pro *ecclesiastica* in Necrologio Carnotensi *angelica* legere licet) exemplaria testamento ecclesiae Carnotensi legauit. Cf. *Metalog.* i. 5, iv. 13, *Hist. Pontif.* prol. Quaedam fabulosa de bestiarum natura refert Ioannes, quae etiam in libro *de bestiis* olim Hugoni attributo inuenies.

Gilberti de Sempringham (cui testatur Ioannes in *Policr.* i. 6 eum, annis uiginti ab ordine Sempringhamensi fundato nondum elapsis, iam *circiter septingentarum monialium patrem* esse) regulam de cantu citat.

Willelmi de Conchis (si eius uere est) commentarium in Platonis *Timaeum* fortasse in *Policr.* vii. 5 sequitur.

Galfridi Monvmetensis *Historia Regum Britanniae*, tum nuper uulgata, usus est Ioannes.

Gratiani *Decretum* eum in manibus habuisse et ut fontem aut solum aut praecipuum iuris canonici usurpauisse haud dubitandum est. In *Policr.* vii. 19 uerba ipsius Gratiani refert, ut in commentario ad p. 173. 10 huiusce editionis notauimus; etiam in *Policr.* vii. 17, Gratiani errorem secutus, Ambrosio adsignat quod re uera decreuerat concilium Toletanum a. 653 habitum.

Bernardi Claraevallensis *librum doctrinalem, quem ad sanctum Eugenium de Contemplatione uel Considera-*

tione scribit, et in *Policr.* v. 16 nominatim citat et in aliis locis haud raro sequitur. De illo cf. *Hist. Pontif.* cc. 7–11, 24, 31.

Postremo mentio facienda est de quibusdam libris uarias propter causas in auctorum secundum temporum ordinem dispositorum catalogo non insertis.

BIBLIA SACRA citat passim; ita tamen ut nusquam libris Ruth, Esdrae I et II, Esther, Amos, Habacuc, Sophoniae, epistolis ad Philemonem, Ioannis II et III, Iudae usus sit. Variationem a textu uulgatae editionis quam hodie in usu habet ecclesia Romana ubique notaui; de qua uideant quibus curae est editionis illius inuestigatio critica.

APOCRYPHORVM quae ad Nouum Testamentum pertinent exstant in *Policratico* uestigia nonnulla; scilicet *Epistolae Lentuli* in *Policr.* v. 6 (de quo uide commentarium nostrum ad loc.) et *Abdiae Apostolicae Historiae*, ipsius ex Actis uetustioribus circa saec. vi (ut uidetur) conflatae, in *Policr.* vii. 19. In *Policr.* iv. 3 ex Actis Pauli spuriis quaedam sumpsisse uidetur de Pauli praedicatione Athenis facta; uide commentarium nostrum ad loc., cui addere licet maiorem partem fragmenti in *Actis SS.* Octob. 9 adhibiti etiam in *Vita S. Dionysii* auctore Hilduino (Migne, *P.L.* cvi. 23 seqq.) inueniri posse. De signis in *Policr.* ii. 11 loquitur *quae diem iudicii praeuenire dicuntur per dies quindecim, si tamen futura sunt, quoniam de scriptura canonica firmamentum non habent.* Haec uelut ex Hieronymo refert Petrus Damianus in *Opusculo de Nouissimis et Antichristo*; cf. pseudo-Bedam in *Collectaneis* (ed. Col. 1612, tom. iii. pp. 494 seq.) et alia quae in commentario nostro ad loc. adnotaui. Vide etiam in *Anglia* (xi. 369) interpretationem saec. xii Anglo-Saxonicam; R. Peiper in *Archiv für Litteraturgeschichte*, ix. pp. 117 seqq.; G. Nölle in *Beiträge zur Geschichte der Deutschen Sprache und Litteratur*, edd. H. Paul et W. Braune, vi. pp. 413 seqq. Haec, quae addita sunt ex auctoritate uiri doctissimi M. R. James Coll. Regalis apud Cantabrigienses Praepositi, inspexi nec tamen perlegi.

Quae in ACTIS SANCTORVM Bollandianis exstantia refert

Ioannes, eum aut in Martyrologio aut in Breuiario legisse credibile est.

Quanti IVS CIVILE aestimauerit ex *Policr.* viii. 22 (t. ii. p. 399 nostrae editionis) satis apparet. Ipsius Vacarii (de quo in eo loco agitur) *librum* qui *Pauperum* uulgo uocatur spero mox curante uiro reuerendo A. I. Carlyle e Coll. Univ. apud Oxonienses tandem typis commissum in lucem esse proditurum; quo usum esse Ioannem probabiliter conici potest. *Institutiones, Codicem, Digesta, Novellas* dubitari non potest quin in manibus habuerit. Iulii Pauli dictum (*Sentent.* v. 12 § 9) in *Policratic.* iii. 11 quo auctore citauerit adhuc omnino nescio. Definitio *aequitatis* quam citat in *Policr.* iv. 2 exstat in *Fragmento Pragensi* (Fitting, *Juristische Schriften des früheren Mittelalters*, p. 216), in *Summae cuiusdam Institutionum exordio* (ibid. p. 146), in *Summa Codicis*, Trecensi olim uocata, quam uelut Irnerii, scholae Bononiensis fundatoris, opus edidit H. Fitting (Berol. 1894), in Placentini saec. xii ad finem iuris periti Montepessulani *Summa Institutionum* (ed. Mogunt. 1535). Horum locorum cognitionem eidem A. I. Carlyle debeo, qui suum opus de his rebus nondum publici iuris factum (*Political Theory in the Middle Ages*, ii. pp. 2, 3) mecum beneuolentissime communicauit.

CATONIS, quem modo *uirum sapientem*, modo *ethicum* uocat, *Distichorum* collectionem notissimam saepissime citat. De auctoris nomine tamen dubitauit; uide *Policr.* vii. 9: *In libello quoque quo paruuli initiantur ut uirtutis instructio et usus teneris ebibitus animis facile nequeat aboleri . . . ait uel Cato uel alius, nam auctor incertus est.* In eodem capitulo fortasse distinguit auctorem *Distichorum* ab auctore sententiolarum libro primo Catonis uulgo praefixarum; uide comm. ad t. ii. p. 125. 6 nostrae editionis, ubi tamen nescio an nimium confidenter scripserim. Fateor me locum Baehrensii in commentario ad *Policr.* ii. 27 (huiusce editionis t. i. p. 158. 21) referentem i. 222 pro iii. 222 posuisse, neque in corrigendorum catalogo emendauisse.

Flaviani librum *de uestigiis philosophorum* hodie deperditum citat Ioannes in *Policr.* ii. 26, viii. 12; uide commentarium nostrum ad locum priorem cum eis quae in addendorum catalogo adhibui. In hoc libro historias inuenit de Socrate in senectute artem musicam discente, de Platone speculum gestante, de morte Platonis, de uidua Ephesia; eidem etiam tituli partem alteram, scilicet *de uestigiis philosophorum,* debuisse uidetur *Policraticus* ipse. In *Enthetico de dogmatibus philosophorum* cuiusdam Furui fit mentio cui, ut Martiano Capellae *rerum causae,* sic magis placent *mores* et *historiae*; quem eundem esse atque Flauianum non absurde suspicantur Petersenius (*Iohann. Saresber. Enthetic.* Hamburg, 1843, pag. ult.) et Schaarschmidtius (*Iohann. Saresber.*, p. 105). De dictis philosophorum an praeter Flauianum alio auctore nobis ignoto usus sit, incertum est; aliquo tamen auctore nobis ignoto eum usum esse apparet ex *Policr.* iii. 14, ubi uide commentarium nostrum (ad tom. i. pp. 222. 1, 223. 23 nostrae editionis).

De Caecilio Balbo, quem de adulatione citat Ioannes in eodem capitulo, nihil habeo quod eis addam quae iam in commentario dixi. Etiam quem dicere uoluerit dum in *Policr.* v. 17 Pvblivm Carpvm diuites pauperibus miseriores esse asserentem citat, adhuc ignoro; mihi enim minime ueri similis esse coniectura uidetur quam de hac re edidit Barthius in *Aduersariis,* lib. vii, cap. 5, pp. 319, 320.

In quinque locis *Policratici* Catvlvm siue Catvllvm Parmensem auctorem citant notulae in margine Codicum et Suessionensis et Pontiniaci inuentae, scilicet:

(*a*) *Policr.* i. 4 (i. p. 26. 1) *Eo denique tempore primum,* &c.

(*b*) *Policr.* i. 5 (i. p. 35. 18) *Atthalus Asiaticus, si gentilium historiis creditur,* &c.

(*c*) *Policr.* i. 5 (i. p. 37. 25) *Chilon Lacedemonius,* &c.

(*d*) *Policr.* i. 13 (i. p. 62. 14) *Dum Gaius Cesar,* &c.

(*e*) *Policr.* i. 13 (i. p. 63. 20) *Ascanium fatalis exilii,* &c.

Cf. *Classical Review,* xi. p. 282 seq.

De Epistola Dindimi ad Alexandrvm, quam in *Policr.* iv.

11 citat Ioannes, uide commentarium nostrum ad loc. Ibi Anonymi quem uocant de Bragmanibus editione Bissaeana tantum usus sum, neglecta per incuriam Kuebleri recensione Teubneriana; cf. addendorum catalogum ad t. i. p. 270. 22 n. nostrae editionis. Hic igitur licet de discrepantia uerborum inter Ioannem, Bissaeum, Kueblerum nonnulla subiungere: t. i. p. 271. 1 *nostrae* I: *nostrates* B K. 2 *quem* I: *quae* B K. 3 *decori* I K: *honori* B. 4 *quod* I K: om. B. Postremo cum epistola Bragmanorum quam refert Ioannes conferenda sunt quae ei consentiunt apud Iulium Valerium et in interpretatione Palladii, quae olim S. Ambrosio attribui solebat. Ioannes t. i. p. 270. 26 *Sed quid erit homini satis cui totus non sufficit orbis?* Cf. Pallad. ed. C. Müller p. 111 *Quomodo ergo satis facere desiderio tuo poteris cum totus tibi seruiens mundus animum tuum explere ac satiare non possit?* Ioannes p. 270. 27 *Diuitias non habemus, quarum cupiditate nos debeas expugnare*: Pallad. p. 119 *A nullo enim debellari atque expugnari, quia nullius rei desiderio uel amore tenentur.* Ioannes p. 271. 5 *Antra nobis duplicem usum praestant, tegumentum in uita, in morte sepulturam*: Valerius iii. 11 *Ad haec responsum est idem domicilium esse quod sepulcrum*: Alex. cum Dind. coll. (=Anon. de Bragman.) ed. K. p. 173. 26 seqq. *Tutius non defendit ab imbre spelunca quam tegula; cuius geminus nobis usus est mansionis; dum uiuimus, proficit uitae, dum morimur, sepulturae.* Notandum est apud Ioannem Bragmanos *insulam* habitare; hoc non quidem asserit Palladius, tamen scholasticum quendam Thebaeum, a quo *de Bragmanis aliqua se audisse* fatetur, in insulam Taprobanem transfretauisse narrat, quam ob rem illius insulae descriptionem descriptioni patriae Bragmanorum adiunxit. Etiam Ioannes *uilem et raram uestem* indutos esse ait Bragmanos, quos ceteri omnino nudos fuisse asserunt.

In *Enthetico ad Policraticum* ad fabulas respicit quales in historia Renardi Vulpis aut apud Romulum quem dicunt Anglicum legas: uide commentarium nostrum ad loc.

§ 6.

De titulo *Policratici* (sic enim scriptus est in codicibus MSS. uetustissimis et in Necrologio Carnotensi; v. *Cartulaire de N. D. de Chartres*, edd. Lepinois et Merlet, iii. p. 202) bene disseruit Schaarschmidtius op. saepe cit. p. 145; nec dubitandum est quin de *libro in usum ciuitates regentium* intellegi debeat. Minime inusitatum est apud uiros doctos saeculis post Christum xi et xii in partibus occidentalibus florentes, Graecitatis expertes quidem sed cupidos, nominibus quae Graeca uideri possent libros suos insignire. Ita *Monologion* et *Proslogion* scripsit Anselmus, *Megacosmum* et *Microcosmum* Bernardus Siluestris, *Dragmaticon* (i. e. *Dramaticon*) Willelmus de Conchis, *Phrenophysicon*, i. e. *librum de animo copiosissime disputantem*, de quo uide *Metalog.* iv. 20 sub finem, quidam cuius nomen non refert Ioannes; tandem ipse Ioannes non modo *Policraticum* sed etiam *Metalogicum*, i. e. ut uidetur, *Apologiam pro Logica*, et *Entheticum*, de quo uide supra p. xxii. Iam tamen in saeculo xiii, ut uidetur, excerptor Monacensis *de pluralitate iudiciorum*, quasi *Polycraticus* esset, *Policraticum* interpretatur; v. supra § 2, p. xii.

Policraticum quanti existimauerint homines saeculi insequentis testatur multitudo et codicum manu scriptorum quos continent bibliothecae nostrae et auctorum medii aeui qui ex eo materiam suam desumpserint, inter quos recensendi sunt in saec. xii Petrus Blesensis, Ioannis ipsius amicus, in saec. xiii Helinandus, Walterus Burley, Ioannes Walensis, nec ab Anglo omittendus est poeta illustrissimus Galfridus Chaucer, de quo uide ad *Policr.* i. 5. Vincentius Bellouacensis tantum apud Helinandum uerba Ioannis legit: uide ad *Policr.* iv. 4. Petri Blesensis uerba de *Policratico* ad Ioannem ipsum in *Ep.* xxii. a. 1170 scripta subiungam: *Librum uestrum de Nugis Curialibus legi, et mirabiliter me refecit; nam et ibi optima forma eruditionis est et propter artificiosam sententiarum uarietatem inaestimabilis materia uoluptatis* (Migne, *P. L.* ccvii. 82).

Policratico praefixos inuenies uersiculos cccvi, quibus titulus est *Entheticus in Policraticum.* Hic librum suum alloquitur auctor, et primum Thomam cancellarium, eo tempore cum Henrico II rege Tolosam obsidentem, adire iubet, postea Cantuariam redire, ubi, ut uidetur, scriptus erat; ait enim: *Cantia te felix genuit, te Cantia fouit, Illustris regum pontificumque parens. Hic tibi debetur sedes finisque laborum, Illa tibi requiem praeparat, illa domum.* In bibliotheca ecclesiae cathedralis Cantuariensis, ut supra diximus, inter libros S. Thomae archiepiscopi diu seruatum fuit exemplar quod fortasse ad Thomam miserat auctor ipse; quod postea post dispersam tempore reformationis ecclesiasticae bibliothecam inter alia naufragii fragmenta recuperatum Collegio Corporis Christi apud Cantabrigienses cum ceteris libris suis dedit Matthaeus Parker Archiepiscopus Cantuariensis.

Haec sunt quae de Ioannis Saresberiensis *Policratico* praefanda existimaui.

INCIPIT IOANNIS SARESBERIENSIS ENTHETICVS IN POLICRATICVM

Si michi credideris, linguam cohibebis, et aulae 379 a
Limina non intret pes tuus: esto domi.
Aspectus hominum cautus uitare memento,
Et tibi commissas claude, libelle, notas.
Omnia sint suspecta tibi, quia publicus hostis
Et maiestatis diceris esse reus.
Ignis edax gladiusque ferox tibi forte parantur,
Aut te polluta subruet hostis aqua.
Cum tamen exieris, faciem uelabit amictus,
Deformentque cutem puluis et aura tuam.
Dextra ferat uirgam, premat et sua mantica dorsum:
Trita tegant frontem pillea, pero pedem.
Sit gradus et cultus, habitus peregrinus eunti,
Non nisi barbariem barbara lingua sonet.
De Pictauorum dices te gente creatum, b
Nam licet his lingua liberiore loqui.
Hospitiique fidem quaeres super omnia, quo sis
Tutus ab insidiis, quas tibi quisque parat.
Stultos, prudentes nimium, prauosque cauebis,
Et quos insignes garrula lingua facit.
Si quis amat uerum, tibi sit gratissimus hospes,
Et quem delectat gloria uana, caue.

---

10 cutem] tuam M tuam] cutem M

---

1 *Si michi* etc.: Libellum suum alloquitur ad exemplum Horatii *Ep.* i. 1. 20, Ovidii *Trist.* i. 1, etc. 15 *Pictauorum*: cf. *Policr.* i. 13. Pictauorum comitissam Alionoram uxorem duxerat Henricus II a. 1152.

Iure patronatus illum cole, qui uelit esse,
Et sciat, et possit, tutor ubique tuus.
Ergo quaeratur lux cleri, gloria gentis
Anglorum, regis dextera, forma boni.
Quaesitus regni tibi cancellarius Angli,
Primus sollicita mente petendus erit.
Hic est qui regni leges cancellat iniquas,
Et mandata pii principis aequa facit.
Si quid obest populo, uel moribus est inimicum,
Quicquid id est, per eum desinit esse nocens.
Publica priuatis qui praefert commoda semper,
Quodque dat in plures, ducit in aere suo.
Quod dat habet; quod habet, dignis donat: uice uersa
Spargit, sed sparsae multiplicantur opes.
Vtque uirum uirtus animi, sic gratia formae
Vndique mirandum gentibus esse facit.
Tardus ad hunc Samius si certet acumine mentis,
380 a Indoctusque Plato, Varroque stultus erit.
Curio si certet uerbis, uincetur ab ipso;
Victus, si certet, Quintilianus erit.
Huius nosse domum non est res ardua; cuiuis
Non duce quaesito semita trita patet.
Nota domus cunctis, uitio non cognita soli
Lucet, ab hac lucem diues, egenus, habent.
Illa patet miseris, patet et domus illa beatis,
Hic patre laetatur aduena quisque suo.
Cum reserata semel fuerit tibi ianua, currens
Ad thalamum domini progrediere tui.
Expecta dum turba fluat, quae feruet in aula,
Fessaque sint domini membra fouenda thoro.

---

3 *Ergo* etc.: Ad Thomam cancellarium ut ad Augustum Ovidius libellum suum mittit Ioannes. 17 *Samius*: scil. Pythagoras, sic ab Ovidio dictus *Metam.* xv. 60, *Fast.* iii. 153: cf. *Policr.* i. 5. 19 *Curio*: De Curionis eloquentia vide Ciceronem *de Oratore* ii. 23 § 98 cuius libri exemplar bibliothecae ecclesiae cathedralis Carnotensis legauisse Ioannem e Necrologio Carnotensi in *Gall. Christ. nov.* viii. 1148, 9 novimus.

Accedes, uultum mutabis, mantica nugas
Excutiat; peregre tunc peregrinus eat.

Non tamen ostendas, oculos quod principis urat, b
A quo tota tibi uita salusque datur.
Si facies illi tua displicet, unde placebit?
Eius in arbitrio iusque fauorque manent.
Quod prohibet fieri, scelus est; quod praecipit, aequum:
Iuraque pro placito stantque caduntque suo.
Huic quia sola placet, sola uirtute placebis,
Quae tibi si desit, cetera cuncta nocent.
Iura colit, pacem statuit, fundatque quietem,
Et tumidos hostes mente manuque domat.
Sed seu iura uocent seu fulminet ensis in hostes,
Non nisi sancta gerit, non nisi sancta probat.
Confer ei quoscumque duces, quoscumque potentes;
Plebs erit hoc uiso maxima turba ducum. c
Si reges uideas, quid ad hunc nisi rustica turba?
Et bene, si dici rustica turba queunt.
Particulamque tui praemonstrans experiere
Quae maneat totum gratia uel quis honor.
Si placet haec, totus poteris fortasse patere;
Sed si displiceat, cetera claude toga.

Verba salutantis sint prima; subinde facetus,
Te dabis obsequiis, hospitiumque petes.
Non grauis hospes eris potuque ciboque uerendus;
Sufficiet uestis non pretiosa tibi.
Non oneraris equis, faleras nec poscis equorum, 381 a
Nec te seruorum copia magna premit.
Sufficiet uel sola domus uisusque patroni,
Eius et alloquio consilioque frui.
Curia quid possit, quid speret plebs, ubi regni
Vires, una domus sola docere potest.
Si deuelatam faciem monstrauerit, aut non
Perstringat uisum cassibus ille tuum.

---

27 honeraris S

---

34 *Perstringat*: v. Forcell. ed. de Vit. s. v. *praestringo* ad calc.

Quid sapiens stulto differt, quid paupere diues,
Quid misero felix, si sapis ecce uides.
Si fuerit laetus, oculos auresque libenter
Exponet nugis forsitan ille tuis.
Sic igitur nugas sparges, ne taedia gignant,
Quae rebus laetis sunt inimica nimis.
Si iubet ut nugas agites, nugare decenter:
b Nam sibi per nugas seria credet agi.
Vtilibus nugas, sic aptes seria ludis,
Vt tibi sit grauium nulla timenda manus.
Si iubet ut taceas, statua taciturnior esto,
Nec redimas signis uerba negata tibi.

Cum satiatus erit, uel cum maiora uocabunt,
Ora conductus detur ut inde tibi.
I citus, atque redi; ne quorum carpere nugas
Ausus es, infligant tela necemque parent.
Vnum discedens secreta profer in aure:
Quicquid agant alii, tu memor esto tui.
Quaeque caro faenum, flos faeni gloria carnis,
Haec nichil est: nichilo quid minus esse potest?
Munera fortunae uiscata puta; uitiorum
Semina sunt, scelerum pabula, mortis iter.
c Sunt laquei, sunt insidiae, sunt toxica mortis,
Quam non effugient, quos dea caeca colit.
Quod fortuna dedit, et quod dabit, est alienum,
Auferet hoc totum, cum uolet ipsa, tibi.
Retia pennatis nequeunt praeuisa nocere,
Tu quaecumque uides, retia mentis habe.
Retia sunt quaecumque uides, hominemque ligatum
Ad miseram mortem per mala quaeque trahunt.
Forsitan, 'unde tibi datur haec audacia?' quaeret;
Dices 'nil metuens omnia tutus agit.'

---

26 illa M

---

8 *Nam sibi* etc.: cf. Sidon. Apoll. *Ep.* i. 9. 19 *Quaeque caro* etc.: Is. xl. 6. 21 *Munera fortunae uiscata*: cf. Sen. *Ep.* i. 8 § 3, Plin. *Ep.* ix. 30 § 2. 27 *Retia* etc.: Prov. i. 17.

Omnia tutus agit, quem nec spes nec timor angit;
Cui mala nulla placent, omnia tutus agit.

Hispana rediens aut Vasconis utere lingua,
Sed tamen in uerbo plus grauitatis habe.
Indue sic linguam, sic uestes indue gentis, d
Salua sit ut morum regula, salua fides.
Pendeat ex humeris crux aenea, sit coma tetra,
Hispida caesaries, barba recisa parum.
Sitque grauis uultus, sint frons oculique pudici,
Insontesque manus, pauper amictus erit.

Dum tibi conductus fuerit, securior ibis,
Et uia sit pedibus quaelibet apta tuis.
At si defuerit, longas protende dietas,
Contineatque pedes publica strata tuos.
Nusquam diuertas, ne quis te laedat euntem.
Nugarumque luat garrula lingua notas.
Omnia, si nescis, loca sunt plenissima nugis,
Quarum tota cohors est inimica tibi.
Ecclesia nugae regnant, et principis aula;
In claustro regnant, pontificisque domo. 382 a
In nugis clerus, in nugis militis usus;
In nugis iuuenes, totaque turba senum.
Rusticus in nugis, in nugis sexus uterque;
Seruus et ingenuus, diues, egenus, in his.
Accelera gressus, cauto duplomate pergens
Ad mare, quo Morini litora nostra petunt.
Hospitium tandem sera cum nocte subibis,
Vt ualeas, esto sobrius, esto grauis.

---

3 Hyspana M

---

13 *dietas*: v. Du Cange s. v. *dieta* 2. *Anglice* 'Do not abridge your day's journey by short cuts which might be dangerous, but stick to the roads.' 25 *duplomate*: 'codicilli qui dantur cursu publico utentibus' Du Cange s. v. 26 *Morini*: v. Plin. *Hist. Nat.* iv. 23 § 37 alibi. Cf. Camden. *Britannia* i. p. 221, ed. Gough, 1789.

Gens penetranda tibi praelarga bibaxque loquaxque,
Et cui, ni morem gesseris, hostis eris.
Emergunt lites modicae, quas magna sequuntur
Iurgia uulneribus feta, necemque ferunt.
Sed quia uirtutem gens diligit et ueneratur,
b Si bene credaris uiuere, tutus eris.
Non modo tutus eris, sed summo dignus honore
Quaeque libet fieri, cuncta licenter age.

Cantia te felix genuit, te Cantia fouit,
Illustris regum pontificumque parens.
Hic tibi debetur sedes finisque laborum:
Illa tibi requiem praeparat, illa domum.
Anglorum sedem primam pete, siue Britonum;
Si Britonum mauis dicere, nemo uetat.
Indignum, litem si tempus agit breue longam,
Digna quidem non sunt tempora longa breui.
Cum de re constat, non sit de nomine pugna;
Nec foueat litem lana caprina diu.
Quicquid uis dicas, dum sit caput illa Britannis,
c Quam tibi praesignat angelus arce micans.
Angelus iste quis est, aut quae domus ista, requires?
(Namque nouos rerum forma mouere solet.)
Haec est illa domus, quae Christum prima recepit,
A qua suscepit insula tota fidem.
Insula tota fidem cepit, fideique parentem
Praedicat extollit audit honorat amat.
Consilii magni si nosti forte datorem,
Non erit ignotus angelus iste tibi.

19 capud A

9 *Cantia* etc.: cf. *Enthet. de Dogm. Phil.* 1637 (Migne. *Patrol. Lat.* t. cxcix. col. 1000 A). 17 *Cum de re* etc.: cf. *Enthet. de Dogm. Phil.* 182. 18 *lana caprina*: Hor. *Ep.* i. 18. 15. 19 *caput*: cf. *caput regni* (sc. Cantuaria) *Enthet. de Dogm. Phil.* 1640, *Vit. S. Thomae* § 22 (ed. Robertson ii. p. 318) De Cantuaria loquitur noster, ut de Roma Ovidius, *Trist.* iii. 1. 20 *angelus*: de hac angeli imagine vid. Gervas. Tilb. i. 9. 27 *Consilii magni*: 'Angelus magni consilii,' Is. ix. 6. sec. LXX ab Hieron. in loc. citatos; cf. Introitum ad missam 3^{am} die Nat. Christi in missali Romano. Cf. *Policr.* Prolog.

Angelus e specula totum circumspicit orbem,
Et corpus pennis subuehit atque tegit.
Sic uidet e specula, sic protegit omnia pennis,
Vt ius non habeat hostis in orbe suo.
Hic tempestates praenuntiat atque serenum;
Ventorum rabiem temperat atque maris.
Ne quid obesse queat, non dormit nocte, dieque d
Stat, quia subiectos undique stare facit.
Accedens propius, Christi properabis ad aulam,
Vt ueniam culpis promereare tuis.
Illic finiti soluentur uota laboris:
Hic lacrimas, gemitus, hic pia thura dabis.
Excipiet fratrum reducem te tota chorea:
Et laudes pro te sospite laeta canet.
Quicquid habes quod eis placeat, largire libenter:
Quidlibet, ut fuerit utile, cuique dabis.
Si potes, Odoni studeas donare salutem:
Accipiatque Brito, te ueniente, crucem.

Hic narrare tui tandem discrimina fati
Exactaeque uiae prospera cuncta licet.
Quid sit ouis sub uulpe latens, uulpesue sub agno,
Pelle leonina dic quid asellus agat, 383 a
Quid leo dum seruit, quid agit dum regnat asellus,
Turturis in specie passeris acta canes.
Quid faciant pardi timidi leporesque feroces,
Et spes conuersi quae sit habenda lupi.

---

26 Qui M

---

17 *Odoni*: Prior Cantuariensis fuit a. 1167–76 postea Abbas de Bello. Vide C. A. Kingsford, *Dict. of Nat. Biog.* ubi auctores inuenies. Ad istum scripsit Ioannes *Ep.* 152. Incertum est an idem fuerit Magister Odo a quo interpretationem cuiusdam glossae Augustinianae petiit noster in *Ep.* 284. Cf. etiam *Enthet. de Dogm. Phil.* 1675. Vide Schaarschmidt. *Johann von Salisbury*, p. 273. 18 *Brito*: Willelmus Brito in ecclesia Cantuariensi subprioris munere fungebatur a. 1167. Ad istum *Epp.* 218, 247, 248, 290, 303, forsan etiam 205 scripsit noster, ad eundem autem cum ceteris eccl. Cantuar. officiariis coniunctum *Ep.* 299. Vide etiam *Ep.* 81 ad fin. De Odone et Britone, cf. *Enthet. de Dogm. Phil.* 1167–1682. 22 *Pelle* etc.: Avianus *Fab.* v (ed. Ellis, p. 7). 23 *dum regnat asellus*: cf. *Reynard the Fox* ed. Caxton, c. 32. 26 *conuersi lupi*: Fabulam *de presbitero*

Quid repens testudo paret, scarabeus onustus,
Curque leui uentus grandis ab imbre cadat.

Sed quia nemo potest cunctis uirtute placere,
Sufficiat paucis te placuisse bonis.
Spernantur si forte tuae sub iudice nugae,
Non sit iniqua manus, aut tua lingua procax.
Libera donentur cunctis suffragia, teque
Iste bonum dicat, dicat et ille malum.
Si locus est liber, cur non sit libera lingua?
Nemo satis firmus, quem leuis aura mouet.
b Quid facient enses, si te leuis aura cruentet?
Verba quidem non sunt uerbera, uerba times?
Linguarum strepitus solidam non transeat aurem,
Auris inepta nimis, quam sonus urit iners.
Exercent alii linguas, tibi pareat auris;
Lingua quidem prodest, non tamen aure magis.
Illis in lingua mens est, tibi sit cor in aure.
Os patulum sit eis, auris aperta tibi.
Obice uirtutis confringitur impetus oris,
Et linguae stimulo mens malesana perit.
Nemo, nisi uanus, falso laetatur honore;
Conscia mens culpae, quam maledicta mouent.
Frons adamante tibi sit durior, igne perusta
Sit cutis, a uerbis ne notet ora pudor.
c Plena pudore tamen, qualem decet illius esse,
Qui timeat uitii sordidus esse nota.

Alterius linguae dic quis moderatur habenas?
Vix est, qui propriae possit habere modum.

---

1 honustus SM 7 cuntis A 17 cor sit A 24 rubor A^2M

---

et lupo ap. Hervieux, *Les Fabulistes latins* ii. p. 642 invenies. Cf. *Reynard the Fox* ed. Caxton, c. 12; *Reinhart Fuchs* ed. Grimm, p. 166; *Renardus Vulpes* ed. Campbell, l. 650 seqq.; *Reynard the Fox* ed. Caxton, c. 17; *Reinhart Fuchs* ed. Grimm, pp. 207, 8; *Renardus Vulpes* l. 1332. 1 *repens testudo*: cf. Avian. *Fab.* ii. *scarabeus onustus*: Forsitan respicit noster ad fabulam *de scabro superbo* a Romulo Anglico narratam (ap. Hervieux, *op. cit.* ii. p. 601): *onustus* enim idem significare potest quod *saturatus* in Romuli loco; cf. etiam Hervieux, i. p. 638. 12 *Verba non sunt uerbera*: Anglice 'Hard words break no bones;' cf. Cato *Dist.* iv. 6.

Lubrica saepe cadit, quoniam uersatur in udo:
  Saepe cadens labem contrahit atque notam.
Inter multiloquos et grandia uerba serentes,
  Esto tardiloquus, estoque pauca loquens.
Dum linguas acuunt alii, tibi calleat auris,
  Et sit Dulichio remige surda magis.
Nec tantum ualeat temeraria lingua loquentis,
  Pectoris ut possit rumpere claustra tui.
Si patiens fueris, numquam tibi uerba nocebunt,
  Turbatorque tuae nemo quietis erit.
Excutiet pacem, quam dat patientia, nullus;
  Sit licet exermis, conterit arma tamen.
Vtantur linguis, tu uiribus utere mentis; d
  Si sapis, a linguis gloria magna uenit.
Nam quae sit doctrina uiri, patientia monstrat,
  Imbellique manu bella nefanda premit.
Quis feret armatam, quae sola triumphat inermis,
  Armatamque manum uincere sola solet?
Vir patiens forti melior; minor esse triumphus
  Vrbis quam mentis dicitur, estque minor.
Sperne malos, uenerare bonos, ignosce uolenti
  Laedere; nulla bonis ultio grata magis,
Nulla uirum fortem uindicta magis decet ista,
  Principibus semper debet adesse uiris, 384 a
In quorum manibus lex si uiget ignea, punit
  Dum miseret, fidos dum cupit esse facit.
Prouocat ad facinus dum saeuit iniqua potestas,
  Et sibi subiectos non sinit esse pios.

---

18 solet (uel potest) CBAS

---

6 *Dulichio remige*: sc. Vlixe; cf. *Policr.* vii. 20. Vlixem *Dulichium* vocat Ovidius *Rem. Am.* 272 alibi. Fabulam de Vlixe Sirenibusque narrat Hyginus. Cf. etiam, Hor. *Ep.* i. 2. 23; Iuv. *Sat.* ix. 149, 150. 25 *lex ignea*: Deuteron. xxxiii. 2. Videtur noster locum istum ad normam Prov. xxv. 22, Rom. xii. 20 intellexisse. Sic de sanctorum in legem divinam amore Gregorius Magnus *Hom. in Evang.* xxx Deuteronomii locum citatum, de flamma dilectionis *ignem* Luc. xii. 49 quidam in Aliquot Quaestionum libro sub nomine Bedae vulgato (Migne *P. L.* xciii. 457) interpretati sunt.

Nemo sciens illum laedit, quem credit amicum;
  Regula fida nimis: 'quisquis amandus, amet.'
Haec hominum disiuncta solet coniungere corda,
  Ista potest hominem conciliare Deo.
Hac duce carpe uiam, gradienti nemo nocebit,
  Et poteris cunctas tutus inire manus.

Illa tamen metuenda manus, quae tractat iniquas
  Sordes, quam maculant aera colore suo.
Non quia polluitur et polluit, est fugienda;
  Sed quoniam nummus toxica saeua gerit.
b Toxica perpetuam paritura famemque sitimque,
  Et miseram uitam, mortis et omne genus.
Nulla libris erit apta manus ferrugine tincta;
  Nec nummata queunt corda uacare libris.
Non est eiusdem nummosque librosque probare,
  Persequiturque libros grex, Epicure, tuus.
Ignis auaritiae cum faenum carnis adurit,
  Surgit, et aeternum construit usque focum.
Omnia cum possit manus Omnipotentis, auarae
  Mentis egestatem non satiare potest.
Non satiare potest manus Omnipotentis auarum:
  Dic mihi quis poterit, quod nequit illa manus?
Nonne satis miser est, quem nec Deus ipse beare
  Sufficit? ulterius quis miser esse potest?
Nummipetae cum libricolis nequeunt simul esse
c Ambos, crede mihi, non capit una domus.
Ergo caue miseros, nec ab his nisi tristia speres:
  Nam miseri cultor, quis nisi stultus, erit?
Est antiqua nimis, nimis est sententia vera,
  Quam docuere patres, Ennius atque Cato:

---

22 nequid A   31 defit S (i. deficit)

---

16 *grex, Epicure, tuus*: v. Hor. *Ep.* i. 4 ad calc.   23 *miser*: miser Anglice = *auarus*.   30 *Ennius atque Cato*: cf. Hor. *Ars Poet.* 56, Cato *Dist.* iv. 16, 17.

Tam quod habet quam quo caret omni defit auaro,
Occupet, incumbat, res aliena tamen.
Semper abundabit, qui rebus nouerit uti;
Et mens utendi nescia semper eget.
Pauca potest diues, et plurima pauper habere;
Nescit egestatem diues, egenus opes.
Nullus amicus ei, qui multa cupit, nec amicus
Est sibi, cui nimium res aliena placet.
Si cupidus fuerit hostis, caveatur ut hostis,
Si sit amicus, eo cautior esse stude.
Iurat? crede minus; non iurat? credere noli;
Iuret, non iuret, hostis ab hoste caue.

Et fugias quos liuor edax felicibus hostes d
Sic facit, ut uirtus flectere nulla queat,
Muneribus fortasse tuis placabis auarum;
Laedere quo cesset inuidus, esto miser.
Alterius misera gaudet mens inuida sorte,
Cunctaque uicini commoda dampna putat.

Et nisi festinus fugeres, te plura monerem.
Vix pateris dici pauca; uel ista tene.

---

3 habundabit AS   18 uicina M

Explicit entheticus Iohannis Saresberiensis in policraticum B[2]. Mox addit manus eadem *Queritur unde malum cum sint bona cunta creata? Defectu proprio sunt mala que mala sunt.* et *Dic ubi tunc esset cum preter eum nichil esset Tunc ubi nunc in se quoniam sibi sufficit ipse.*

IOANNIS SARESBERIENSIS

POLICRATICVS

SIVE DE NVGIS CVRIALIVM ET VESTIGIIS PHILOSOPHORVM

INCIPIT PROLOGVS POLICRATICI

385 a De Cvrialivm Nvgis et Vestigiis Philosophorvm

Iocvndissimvs cum in multis, tum in eo maxime est litterarum fructus, quod omnium interstitiorum loci et temporis exclusa molestia, amicorum sibi inuicem praesentiam exhibent, et res scitu dignas situ aboleri non patiuntur. Nam et artes perierant, euanuerant iura, fidei et totius religionis officia quaeque corruerant, ipseque recti defecerat usus eloquii, nisi in remedium infirmitatis humanae litterarum usum mortalibus diuina miseratio procurasset. Exempla maiorum, quae sunt incitamenta et fomenta uirtutis, nullum omnino erigerent aut seruarent, nisi pia sollicitudo scriptorum et triumphatrix inertiae diligentia eadem ad posteros
b transmisisset. Siquidem uita breuis, sensus hebes, neglegentiae torpor, inutilis occupatio, nos paucula scire permittunt, et eadem iugiter excutit et auellit ab animo fraudatrix scientiae, inimica et infida semper memoriae nouerca, obliuio. Quis enim Alexandros sciret aut Cesares, quis Stoicos aut Peripateticos miraretur, nisi eos insignirent monimenta scriptorum? Quis apostolorum et prophetarum amplexanda imitaretur uestigia, nisi eos posteritati diuinae

1 phylosophorum M 18 peripatheticos M

litterae consecrassent? Arcus triumphales tunc proficiunt illustribus uiris ad gloriam, cum ex quibus causis et quorum sint, inpressa docet inscriptio. Liberatorem patriae, fundatorem quietis, tunc demum inspector agnoscit, cum titulus triumphatorem, quem nostra Britannia genuit, indicat Constantinum. Nullus enim umquam constanti c
gloria claruit, nisi ex suo uel scripto alieno. Eadem est asini et cuiusuis imperatoris post modicum tempus gloria, nisi quatenus memoria alterutrius scriptorum beneficio prorogatur. Quot et quantos arbitraris fuisse reges, de quibus nusquam sermo est aut cogitatio? Nichil ergo consiliosius est captatoribus gloriae, quam litteratorum et scribentium maxime gratiam promereri. Inutiliter enim eis geruntur egregia, perpetuis tenebris obducenda, nisi litterarum luce clarescant. Quicquid fauoris aut praeconiorum aliunde contrahitur, perinde est ac si Echo, quam audis in fabulis, plausus excipiat theatrales. Desinit 386 a
enim cum ceperit. Ad haec in dolore solatium, recreatio in labore, in paupertate iocunditas, modestia in diuitiis et deliciis fidelissime a litteris mutuatur. Nam a uitiis redimitur animus, et suaui et mira quadam, etiam in aduersis, iocunditate reficitur, cum ad legendum uel scribendum utilia mentis intendit acumen. Nullam in rebus humanis iocundiorem aut utiliorem occupationem inuenies, nisi forte diuinitus compuncta deuotio orando diuinis insistat colloquiis aut corde per caritatem dilatato Deum mente concipiat et magnalia eius apud se quasi quadam meditationis manu pertractet. Experto crede, quia omnia mundi dulcia his collata exercitiis amarescunt; eo quidem magis, quo cuique sensus integrior, et ratio incorrupta iudicii purioris uiget acumine. Noli ergo mirari, quare aliquem b
gradum scalae, quae nunc sola nouit ascensum, prout quan-

---

5 brittannia S 11 sermo nusquam A 24 inueniet M

---

5 *quem nostra Britannia genuit*: De falsa opinione Constantinum Magnum in Britannia natum esse vid. Schöpflin, *Commentationes Historicae* pp. 388 seqq. et I. Wordsworth *Dict. of Christian Biog.* s. v. 'Constantine.'

doque monuisti, non ascendo. Quare maioribus me non ingero curiis, cum tibi Ysocratis responsurus sum uerbo, qui interrogatus ab amicis, quare non in forensibus negotiis uersaretur, respondit; 'Quae locus hic callet, ego nescio; quae ego calleo, locus hic nescit.' Ego enim contempno quae illi aulici ambiunt, et quae ego ambio illi contempnunt. Mirare magis quare non praecido, aut rumpo funem, si alias solui non potest, qui me in curialibus nugis tamdiu tenuit et tenet adhuc tantae obnoxium seruituti. Iam enim annis fere duodecim nugatum esse taedet et
c penitet me longe aliter institutum; et quasi sacratioris philosophiae lactatum uberibus ablactatumque decuerat ad philosophantium transisse cetum quam ad collegia nugatorum. Et te quidem sentio in eadem conditione uersari, nisi quia rectior et prudentior, si facis quod expedit, stas semper immotus in solidae uirtutis fundamento, nec agitaris arundinea leuitate, nec deliciarum sectaris mollia, sed ipsi, quae mundo imperat, imperas uanitati. Vnde cum tibi diuersae prouinciae congestis meritarum laudum praeconiis quasi arcum erigant triumphalem, ego uir plebeius stridente fistula inculti eloquii librum hunc ad honorem tuum, uelut lapillum in aceruo praeconiorum
387 a tuorum conieci; sciens quia sicut non habet unde placeat ex uenustate, sic ex deuotione scribentis non poterit displicere. Nugas pro parte continet curiales, et his magis insistit quibus urgetur magis. Pro parte autem uersatur in uestigiis philosophorum; quid in singulis fugiendum sit aut sequendum relinquens arbitrio sapientis. Et quia ne laedant aliquem, eum oportuit conueniri, in quo nihil nugatorium possit argui, te uirorum nostrae aetatis elegantissimum decreui conuenire, et quae uidentur in mei

2 isocratis S 5 contemno S 7 prescido S 13 phylosophantium M 22 uelud S 27 phylosophorum CS

2 *Ysocratis*: Macrob. *Sat.* vii. 1; cf. dictum quoddam Epicuri haud dissimile ap. Sen. *Ep.* 29 § 10. 10 *duodecim*: v. R. L. Poole *Dict. of National Biography*, s. v. 'John of Salisbury.' Videtur noster annos a concilio Remensi a. 1148 numerasse.

similibus arguenda describere. Sic enim cum ineptias suas lector uel auditor agnoscet, illud ethicum reducet ad animum, quia mutato nomine de se fabula narratur; praecipue cum omnes nouerint quantis tu serietatibus occuperis iugiter. Sic dum alios doceat Seneca suum b monet Lucilium. Ad Occeanum et Pammachium scribit Ieronimus, et aliorum plerumque castigat excessus. Quisquis autem blandientis causatur ineptias, negotium cum tempore metiatur, et (quod sapientis est) ex causis dicendi dicta diiudicet. Si quid autem cuipiam asperius sonat, non in se quicquam dictum nouerit, sed in meipsum, et similes mei, qui mecum cupiunt emendari, aut in eos qui collapsi in fata omnem reprehensionem aequanimiter ferunt. Noui enim quia nulli grauis percussus Achilles: et praesens aetas corrigitur dum praeterita suis meritis obiurgatur. Sic dum corrigatur, Oratius etiam seruis, ut Decembri libertate utantur, indulget.

Omne uafer uitium ridenti Flaccus amico c
tangit, et admissus circum praecordia ludit.

Quae uero ad rem pertinentia a diuersis auctoribus se animo ingerebant, dum conferrent aut iuuarent, curaui inserere, tacitis interdum nominibus auctorum; tum quia tibi utpote exercitato in litteris pleraque plenissime nota esse noueram; tum ut ad lectionem assiduam magis accenderetur ignarus. In quibus si quid a fide ueri longius abest, michi ueniam deberi confido, qui non omnia, quae hic scribuntur, uera esse promitto, sed siue uera seu falsa sint, legentium usibus inseruire. Neque enim adeo excors sum, ut pro uero astruam, quia pennatis auibus quondam

---

5 docet SM 6 paumachium SM 12 mei similes A

---

3 *mutato* etc.: Hor. *Sat.* i. 1. 69, 70. 10 *Si quid autem* etc.: cf. Jusserand. *Lit. Hist. of the English People*, p. 189 *n.* 14 *nulli grauis* etc.: Iuv. *Sat.* i. 163. 17 *Decembri libertate utantur*: v. Hor. *Sat.* ii. 7. 4, 5. 18 *Omne* etc.: Pers. *Sat.* i. 116, 117; cf. infra *Policr.* iii. 14. 29 *pennatis* etc.: Avian. *Fab.* ii (ed. Ellis, p. 4).

d testudo locuta est, aut quod rusticus urbanum murem
mus paupere tecto acceperit, et similia; sed quin haec
figmenta nostrae famulentur instructioni, non ambigo.
Haec quoque ipsa, quibus plerumque utor, aliena sunt,
nisi quia quicquid ubique bene dictum est, facio meum,
et illud nunc meis ad compendium, nunc ad fidem et
auctoritatem alienis exprimo uerbis. Et quia semel coepi
reuelare mentis archana, arrogantiam meam plenius de-
nudabo. Omnes ergo qui michi in uerbo aut opere philoso-
phantes occurrunt, meos clientes esse arbitror, et quod
maius est, michi uendico in seruitutem; adeo quidem ut
in traditionibus suis seipsos pro me linguis obiciant de-
388 a tractorum. Nam et illos laudo auctores. Neque enim
Alexandrum uidi uel Cesarem: nec Socratem Zenonemue,
Platonem aut Aristotilem disputantes audiui; de his tamen
et aliis aeque ignotis ad utilitatem legentium retuli
plurima. Cedo tamen ne uidear contentione gaudere,
et me officiosis fateor usum esse mendaciis, et si aliter
aemulus non quiescit, quoniam et ego meum Cornificium
habeo et Lanuinum, me mendacii reum esse consentio,
qui scriptum noui, quia omnis homo mendax; adeo quidem,
ut nec uastum pectus, turgidus uenter, tumida facies et
rubicunda, lingua procax insulsa et paratior mores cor-
rodere alienos quam corrigere suos, nostrum exceperit
Lanuinum. Quis ipse sit, nisi ab iniuriis temperet, dicam,
b et plane cognoscet quia inueteratum esse plenam non
confert nec integram seruat auctoritatem. Procedat tamen
et publicet, arguat meum ratione uel auctoritate menda-
cium, et ego uel ad inimici uocem non refugiam emendari;

1 loquuta S 2 susceperit M 9 phylosophantes M 19 Cornificium meum A

1 *rusticus* etc.: Hor. *Sat.* ii. 6. 80. 19 *Cornificium* inter Vergilii obtrectatores memorat Donatus in Vita Vergilii. Sic in *Metalogico* i. 1, 2 alibi quendam eloquentiae immo totius philosophiae impugnatorem, nomine vero suppresso, designat Ioannes noster. 20 *Lanuinum*: Luscium Lavinium seu Lanvinum seu Lanuvinum in prologis Terentianis veterem poetam nuncupatum respicit Ioannes ad exemplum Hieron. *Apol. adv. Rufin.* c. 30. Cf. Gell. xv. 24. 21 *omnis homo mendax*: Ps. cxv. 11.

immo et amicum ducam, qui meum castigabit errorem. Si tamen alicubi auctorum aliter quam scripserim inueniatur, non ideo constabit me esse mentitum, cum in strategemmaticis historicos, qui frequenter ab inuicem dissident, sim secutus, et in philosophicis academice disputans pro rationis modulo quae occurrebant probabilia sectatus sim. Nec Academicorum erubesco professionem, qui in his quae sunt dubitabilia sapienti, ab eorum uestigiis non recedo. Licet enim secta haec tenebras rebus omnibus uideatur inducere, nulla ueritati examinandae fidelior et, auctore Cicerone qui ad eam in senectute diuertit, nulla c profectui familiarior est. In his ergo quae incidenter de prouidentia et fato et libertate arbitrii et similibus dicta sunt, me Academicum potius esse noueris, quam eorum quae dubia sunt temerarium assertorem. Scripturarum quoque testimoniis accommodum explanandae sententiae quandoque usus sum; ita tamen ut nichil fidei aut bonis moribus inueniatur aduersum, ac si sententias tam modernas quam ueteres eadem incommutabilis ueritas genuisset. Siquidem

facies non omnibus una,
non diuersa tamen, qualem decet esse sororum.

Omnia uero tuo reseruantur examini, ut tibi maior et d iustior corrigendi quam michi scribendi gloria debeatur. Inaequalitas autem uoluminum uariis est occupationibus ascribenda, quibus in curia sic distractus sum ut uix aliquid scribere quandoque licuerit. Dum tamen Tolosam cingitis, ista aggressus sum et me curialibus nugis paulisper ademi, illud uoluens in animo, quia otium sine litteris mors est et uiui hominis sepultura. Si quis ignotos auctores cum Lanuino calumpniatur aut fictos, rediuiuum

4 hystoricos BM 5 sequutus M phylosophicis CM 14 achademicum CBA 16 ad commodum SM

11 *Cicerone*: cf. Cic. *Acad. Prior.* II. 3, *Acad. Post.* I. 13; Hieron. *Ep.* xxxiii. 21 *facies* etc.: Ovid. *Metam.* ii. 13, 14. 27 *Tolosam* obsedit Henricus II. a. 1159. 29 *otium* etc.: Sen. *Ep.* 82 § 3.

Platonis, Affricanum Ciceroni sompniantem, et philosophos
Saturnalia exercentes accuset, aut auctorum nostrisque
figmentis indulgeat, si publicae seruiunt utilitati. Prae-
terea lectori et auditori quanta possum deuotione supplico,
389 a ut me patri misericordiarum commendare dignentur in
orationibus suis, et erratibus meis, qui multiplicati sunt
super numerum, ueniam studeant optinere. Nam et ego
spero me participem esse omnium timentium Dominum;
et corde et uoce uicissim pro indigentibus oro, ut actus
et cogitationes nostras omnipotens et miserator Deus
emundet; et ne uitiorum rapiamur erroribus, spiritu suo
mentes nostras illustrare dignetur magni consilii angelus.

EXPLICIT PROLOGVS I. LIBRI.

INCIPIT LIBER PRIMVS POLICRATICI.

Cap. 1. *Quid maxime noceat fortunatis.*

Inter omnia quae uiris solent obesse principibus, nichil
perniciosius esse arbitror, quam quod eis fortunae blan-
dientis illecebra aspectum subtrahit ueritatis, dum diuitias
b suas et delicias congerit mundus, quibus delicati sensus
pruriginem uicissim refouet et accendit, ut animus multiplici
lenociniorum fraude captus, quadam alienatione sui ab
interiore bono deficiens per exteriora mendacia uariis
concupiscentiis euagetur. Nouerca siquidem uirtutis pro-

---

1 phylosophos C 2 acuset S 13 Explicit prologus libri primi BM: Explicit prologus A 14 Incipiunt capitula I. libri *et post capitula* Expliciunt capitula I. libri. Incipit liber primus policratici CBM: Hunc librum fecit domnus Symon abbas sancto Albano quem qui ei abstulerit aut titulum deleuerit uel mutauerit, anathema sit, amen, amen, amen. Incipit liber primus Policratici A: Incipiunt capitula primi libri *et post capitula* Incipit liber primus Policratici S

---

6 *multiplicati super numerum*: Ps. xxxix. 6. 8 *participem* etc.: Ps. cxviii. 63. 12 *magni consilii angelus*: v. ad *Enthet. ad Policr.* 173. 23 *Nouerca* etc.: cf. S. Bernard. *de Consideratione* ii. 13 § 22.

speritas beatulis suis sic applaudit, ut noceat; et infelici successu sic in uia fortunatis obsequitur, ut in fine perniciem operetur, conuiuis suis ab initio propinans dulcia, et cum inebriati fuerint, letale uirus miscet et si quid deterius est. Quo specie sui clarescit amplius, eo stupentibus oculis densiorem infundit caliginem. Inualescentibus ergo tenebris ueritas euanescit, et uirtutum radice succisa seges germinat uitiorum, lumen rationis extinguitur, et totus homo casu miserabili fertur in praeceps. Sic rationalis c creatura brutescit, sic imago creatoris quadam morum similitudine deformatur in bestiam, sic a conditionis suae dignitate degenerat homo, uanitati similis factus, eo quod ex honore collato intumuit et a tumore perdidit intellectum. Quis enim eo indignior, qui sui ipsius contempnit habere notitiam? qui tempus, quod parca manu datum est ad mensuram in usum uitae, et solum reparari non potest, usuraria quadam accessione et penali repetendum in uitae dispendia prodigit, et in contumeliam auctoris effundit? Quid eo brutius, qui ex defectu rationis et impulsu libidinis, dimissis propriis, aliena negotia curat, et non modo negotiis, sed et alienis otiis iugiter occupatur? Quid eo d bestialius, qui omisso officio, de media nocte surgit, ut sagacitate canum, venatorum industria, studio commilitonum, seruulorum fretus obsequio, temporis et famae iactura, rerum laborisque dispendio, de nocte ad noctem | pugnet ad bestias?

Cap. 2. *Quid in studiis alienum.*

Alienum profecto est, quod ratio naturae uel officii non inducit, si tamen interdum recte dicitur alienum, quod rectius fuerat semper fuisse nullius. Quae uero naturae sunt, peraeque sunt omnium; quae officii, singulorum.

6 *post* ergo *add.* errorum SM, *marg.* A 7 sedes A (seges *marg.*)
31 *post* officii *add.* sua sunt *marg.* A

9 *Sic* etc.: cf. Ps. xlviii. 21. 12 *uanitati similis factus*: Ps. cxliii. 4. 20. *dimissis* etc.: Hor. *Sat.* 2. 3. 19.

Aliud itaque ex officio, aliud ex natura; licet naturae ius ex officio debeatur. Parricidii siquidem species est impugnare iura naturae, et sacrilegii instar parentis leges euacuare,
390 a et matri omnium honorem debitum non referre. Quod tamen ratio ex honestis causis admittit, non est simpliciter alienum. Si modesta forte iocunditas uel utilitas subest, et nemini noceatur, hoc etenim non aduersatur officio uel naturae; sin autem impugnat alterutrum, statim est et simpliciter alienum, et usquequaque non licet. Huius itaque contrectatio semper est aut erroris aut criminis.

Cap. 3. *Distributio officiorum ex politica constitutione ueterum.*

Philosophi gentium, iustitiam, quae politica dicitur, praeceptis et moribus informantes, cuius merito respublica hominum subsistit et uiget, unumquemque suis rebus et
b studiis uoluerunt esse contentum, urbanis et suburbanis, colonis quoque uel rusticis sua singulis loca et studia praescribentes. Sollicitudo singulorum et omnium utilitati publicae seruiebat. Naturae, laboris, et industriae fructum unusquisque recipiebat ex merito. Nemo quod esset alterius usurpabat, manente in omnibus indiuiduo caritatis affectu. Primus quidem et medius urbis locus Ariopago cessit, unde ad singulas professiones, prout ratio cuiusque officii exigebat, dispositione congrua institutas, officiorum iura quasi quidam salutis et uitae riuuli diriuarentur. Porro in his uenandi ars uel officium uix permittitur accedere ad suburbanos, cum uenatores ut agricolae ceterique incolae rurum ab urbibus nobiliorumque cetu longius arceantur.
c Omnino enim iniquum est nobiliora ingenia studiis dehonestari minoribus, et eos, quos ardua et grauiora manent

---

13 Phylosophi CB

---

10 *contrectatio* sensu iurisconsultorum intelligendum est.; v. Dig. 47. 2 § 1; cf. Dig. 41. 2 §§ 3–18. 22 *medius urbis locus* cf. Hilduini *Passio S. Dionysii*, c. 3 (Migne, *P. L.* cvi. col. 26). *Ariopago* etc.: v. Val. Max. 2. 6 § 4; cf. *Policr.* v. 9 (560 d).

officia, uoluptatis aut uanitatis occupationibus agitari. Vnde si licenter exerceatur uenatio, artificium uel officium; si contra, leuitatem eam esse aut maleficium censuerunt, edicto punientes eos, qui eam contra officium usurparent.

Cap. 4. *De uenatica, et auctoribus et speciebus eius, et exercitio licito et illicito.*

Et primi quidem Thebani, si fidem sequamur historiae,
eam communicandam omnibus statuerunt. Et ex quo
suspecta sit omnibus gens feda parricidiis, incestibus de-
testanda, insignis fraude, nota periuriis, huius artificii, uel
potius maleficii, in primis praecepta congessit, quae post-
modum ad gentem mollem imbellemque, leuem et impudi-
cam (Frigios loquor) transmitteret. Riserunt eos Athenien- d
ses et Lacedemonii populi grauiores, historiarum gesta,
naturae morumque mysteria uariis figmentorum inuolucris
obtexentes; sic tamen ut ex cautela malorum utilitatem
inducerent, aut ex lepore poematis uoluptatem. In auras
itaque raptum tradunt ab aquila Dardanium uenatorem ad
pocula, a quibus ad illicitos et innaturales transiret am-
plexus. Eleganter utique, cum et leuitas ferri possit ab
alite, et uoluptas sobrietatis ignara cuiuscumque libidini
prostitui non erubescit. Dux Thebanus uisa nuditate illius
quam in siluis semper coluerat, cum ab errore pedem sui
reuocaret affectus, sub humano sensu se in bestiam stupuit 391 a
transformatum, ceruisque conformis, cum domesticos canes
uoce et uultu niteretur abigere, uitio prauae consuetudinis,
totius substantiae suae dispendio, eorundem morsibus patuit.
Et forte deam uenatoribus praeferunt, quia mollitie hac
uel malitia deos suos noluerint infamare. Apri dentibus

---

5 autoribus A 7 hystoriae M 14 hystoriarum M 15 misteria A

---

7 *Thebani*: v. Hygin. *Fab.* ed. Schm. pp. 72 seqq. De venationis origine cf. Fulgent. *Myth.* ii. 23. 18 *Dardanium uenatorem*: sc. Ganymedem, cf. Mart. *Epigr.* xi. 104. 19, 20. 22 *Dux Thebanus*; sc. Actaeon.

extinctum Adonidem deflet Venus, habens semper cum uenatione uel robusta commercium. Dum Maro Cartaginis altae iocaretur hospitium, amantium uota conciliare nesciuit, nisi eis ab opportunitate uenandi dilapsu comitum, siluarum latebras reseraret. Sic forte quia studium hoc a conscientia turpitudinis odit lucem, sicut e contra legitimi amoris gaudia solennes lucis suae praeferunt taedas.

b Quem michi dabis uirorum illustrium, qui huic uoluptati uehementer inhaeserit?

> Fixerit aeripedem ceruam licet, aut Erimanti
> placarit nemora

uictor Alcides, non uoluptati suae, sed publicae prospexit utilitati. Aprum Calidoniae uastatorem strauerit Meleager, non mulsit animum uoluptate, sed hoste patriam liberauit. Fuderit auctor Romani generis ceruorum corpora, non uanae uoluptatis solatium, sed sibi et sociis quaesiuit suffragium uitae. Opera singulorum ex euentu et proposito colorantur; res quippe decora est, si honesta causa praecesserit. Quis tamen hominum canumque construxit exercitum, ut non tam sua quam aliena uirtute
c cum bestiis dimicaret? Quidni? infelicem bestiolam, lepusculum timidum, tanto fortasse praedabitur apparatu. Si uero clariore praeda, ceruo forte uel apro, uenantium labor effulserit, fit plausus intolerabilis, exultant uenatores, caput praedae et solennia quaedam spolia triumphantibus praeferuntur; regem Capadocum captum credas, sic cornicines et tibicines uideas uictoriae gloriam declamare. Illis mestum indicit femina capta silentium; uel si forte praeda nobilior, circumuenientium potius fraude quam uiribus prosternatur. Si capreolus, uel lepus ceciderit,

---

6 legittimi SM 7 sollemnes S 25 capud A sollennia A: sollemnia S 27 declarare A²MS

---

2 *Maro*: v. Verg. *Aen.* iv. 160 seqq. 6 *legitimi* etc.: cf. *Policr.* viii. 11. 749 B. 10 *fixerit* etc.: Verg. *Aen.* vi. 803, 804. 12 *Alcides*: Verg. *Aen.* vi. 802. 13 *Meleager*: v. Ovid. *Metam.* viii; cf. Hyg. *Fab.* ed. Schm. p. 29, l. 12. 15 *Fuderit* etc.: v. Verg. *Aen.* i. 184 seqq. 26 *regem Capadocum*; vide Hor. *Ep.* i. 6. 39.

triumphi gloria reputatur indignus. Praeterea ab octauo gradu Capricorni usque ad Geminos tibicinum et cornicinum exultatio conquiescit; nisi lupus aut hostis immanior, leo d
forte uel tigris aut pardus in praedam uenerit, quae quidem nostratum, Deo propitiante, rara gloria est; cum tamen totius anni prolixitas uariis uenantium studiis occupetur. Albani quidem in Asia canes habent leonibus fortiores: eos uirtute canum, et suo gentis artificio, quasi imbelles bestiolas populantur. Canibus quidem illis nulla ferarum fortior, nulla animosior est. Hos Hercules tergemino Gerione uicto ab Italia traiecit in Asiam, eis uirtutem qua leones sternerent quasi hereditariam derelinquens. Ad haec carnificium eorum artem exigit, et artem facit, suum habet opificem,

chironomanta uolanti 392 a
cultello,

nunc pugione stricto, nunc hebetata machaera miraberis, si te casu solenniis eorum contigerit interesse. Caue tamen ne in artem loquendi uerbo quouis offendas; quia aut uapulabis, aut condempnaberis inscitiae bonorum omnium, si eorum figmenta non noueris. Haec sunt temporibus nostris liberalia nobilium studia. Haec sunt prima elementa uirtutis, haec uia felices ad beatitudinis cumulum compendioso perducit tramite, quo maiores nostri non nisi laboriosae uirtutis gradibus docuerant ascendendum. Aemilianos et Ligures Galli derident, dicentes eos testamenta conficere, uiciniam conuocare, armorum implorare praesidia, si finibus eorum testudo immineat, quam oporteat impugnari. Quod ex eo componitur, quod eos numquam b
cuiuscumque certaminis casus inuenit imparatos. Nostri quoque quomodo ludibrii notas effugiunt, cum maiori tumultu et aegriori sollicitudine et ampliori sumptu, solenne

4 tygris CS 8 suae M 17 solempniis CB: sollenniis A: sollemniis S 19 condemnaberis S 28 im- (uel ob-) pugnari A: oppugnari MS 30 quoque] uero SM 31 sollemne S

7 *Albani* etc.: Solin. *Polyhist.* 15 §§ 6–8; cf. Plin. *H. N.* viii. 61 §§ 6, 7. 10 *Hos* etc.: v. Iustin. xlii. 3. *tergemino*: Verg. *Aen.* viii. 202. 14 *chironomanta* etc.: Iuv. *Sat.* v. 121, 122, ubi *chironomunta* rectius legas.

bellum credant bestiis indicendum? Eas tamen mitius persequuntur, cum quibus humanum genus iustas, earum exigente malitia, exercet inimicitias. Lupus, uulpes, ursus, et quaecumque fera nocentior est, in aliarum quiescit occasu, et solitam exercere malitiam in uenatorum facie non uereatur. Fertur Hannibal occidisse Romanum, qui mandato eius singulari certamine percusserat elephantem, dicens eum indignum uita, qui cogi potuerat cum bestiis dimicare; c licet uerius sit eum ex inuidia noluisse captiuum inauditi triumphi gloria illustrari, et infamari bestias, quarum uirtute gentibus terrorem incusserat. Quomodo ergo dignus est uita, qui nichil aliud in uita nouit, nisi uanitatis studio saeuire in bestias?

Quos uero species illa uenationis oblectat, ut aues auibus insequantur, si tamen hoc genus aucupii uenationi censeas adnectendum, mitiori quidem uexantur insania, sed non impari leuitate. Venatica tam terrestris quam aeria quanto solidior, tanto fructuosior est. Auctorem occupationis suae ab antiquis historiis Vlixem proferunt, qui primus excisa Troia armatas aues attulit Graeciae, quas suaui quadam et grata admiratione uidentium, in cognati generis exitium d animauit. Isti quidem magno se tuentur iudice, et

qui mores hominum multorum uidit et urbes,

cuius prudentia nullis potuit insidiis supplantari, cuius tendiculas nemo hostium indempnis euasit, cuius denique inermis militia ulterius promouit Graecorum gloriam, quam mille ratium armata multitudo. Sed et ipse huius exercitii Circem laudat auctorem, quae carminibus et poculis humanas mentes dicitur immutasse, eo quod arte uerborum, et rerum gratia alliceret mentes hominum, et suae uoluntati

---

2 persecuntur M 4 nocior M 18 occupationis (uel aucupationis) S 19 hystoriis M 23 *post* urbes *add. ed. pr.* qui aues auibus insequuntur, Audi quantum attollit ulixem dares cuius *etc.* 24 prouidentia M

---

6 *Fertur Hannibal*: v. Plin. *H. N.* viii. 7. 23 *qui mores* etc.: Hor. *A. P.* 142. Quae in editionibus vetustioribus hic sequuntur, *Audi quantum attollit Vlixem Dares* sese e nescio cuius codicis margine in textum insinuasse suspicor. Vide Dar. *de Excidio Troiae* c. 13.

conformes in usus quoslibet transformaret. Graecis itaque
propinata sunt suspectae uenena uoluptatis; sed ea cum 393 a
prudens gustasset Ithacus, noluit bibere, ne sub domina
meretrice turpis et excors uiuere cogeretur. Verum quia
sapientia rerum omnium nouit usum, prouidit uir circum-
spectus, finitis laboribus et erroribus, cum eum pudica
Penelope, et affectus Thelemachi non agnosceret reuerten-
tem, quomodo dampna sociorum, quos tanti exilii dispendium
tulerat, Graeciae compensaret. Admiranda fuerat fides
canis, cui soli in tanta familia nec uiginti annorum curri-
cula memoriam domini, quin redeunti applauderet, abstu-
lerunt, nisi de laude eius canibus uenatorum gratia ulterius
resultaret. Noui tamen studii Thelemachum suum uiuere
praecepit expertem, illis solis dicens allata esse nouae
uoluptatis solatia, qui amissis parentibus Troiani belli b
dampna sentirent. Vnde et artem infructuosam esse con-
icio, quam ab unico filio tantus uir studuit sequestrare.
Quod uel ex eo mecum conicies, quod deterior sexus in
auium uenatione potior est. In quo poteras naturam
arguere, nisi nosses quia deteriora semper proniora sunt
ad rapinam. Inanis etenim est et admodum laboriosa, et
quae dampna sumptuum, numquam successuum utilitate
compenset. Licet plurimi uenationem exerceant, ut sub
eo praetextu sumptus faciant parciores, domi rarius, saepius
in mensa aliena, multitudinem uitant, dum siluas saltus
lacusque circumeunt, pannis induti uilioribus, frugalioribus
contenti cibis, dum consortes et famulos, quos macerat
ieiuniorum inedia, et tormenta nuditatis affligunt, quosque c
labor immoderatus exhaurit, uoluptatis aut potius uanitatis

---

2 uenena suspecte A 3 itachus CBAS 7 thelemaci A 8 damna S 11 abstulerint M 12 eius laude M 13 thelemacum A 16 damna S 21 *post* laboriosa *addit in* A *marg. manus recentior* rapina (*quod et habet edit. princ.*) *in S. autem s.* uenatio 22 damna S

2, 3 *cum prudens gustasset* etc.: cf. Matth. xxvii. 34 *cum gustasset noluit bibere.* 9 *Admiranda* etc.: v. Solinum (quem citant SP marg.) 15 § 9. Fabulam de Vlixis cane narrat Hyginus *Fab.* 37.

imagine consolentur. Eo denique tempore primum captiuantur Athenae, quo interdictae uenationis edictum censuerunt esse soluendum, et artem utriusque uenationis cum exercitio publice admittendam. Fertur uates Mantuanus interrogasse Marcellum, cum depopulationi auium vehementius operam daret, an auem mallet instrui in capturam auium, an muscam informari in exterminationem muscarum. Cum uero quaestionem ad auunculum retulisset Augustum, consilio eius praeelegit ut fieret musca, quae ab Eneapoli muscas abigeret, et ciuitatem a peste insanabili liberaret.
d Optio quidem impleta est; unde liquet privatae uoluptati cuiusuis praeferendam esse multorum uilitatem. In semiuiri Chironis antro (si Graecis per omnia creditur) est institutus Achilles lirae modis et citharae, et inde traductus ad siluas in strage ferarum, caedibus et fedo uictui assuescens, reuerentiam naturae timoremque mortis abiecit. Quid quod Bachus eundem habuit nutritorem? Nempe qui his studiis aut desidiis insistunt, semiferi sunt, et abiecta potiore humanitatis parte, ratione morum prodigiis conformantur. A leuitate siquidem ad lasciuiam, a lasciuia ad uoluptatem, et cum induruerint, ad flagitia et quaeuis illicita pertrahuntur. Quaeruntur otia post labores, fomes
394 a hilaritatis gratior est, si dura praecesserint, reficiuntur auidius quae exinanita fuerant plurimum. Venatores omnes adhuc institutionem redolent Centaurorum. Raro inuenitur quisquam eorum modestus aut grauis, raro con-

---

1 ymagine M 9 neapoli SM *erasa tamen littera ante* n 14 cytharae M 23 hylaritatis M 24 fuerint M 26 quisquam eorum inuenitur A

---

1 *Eo denique* etc.: De hac re auctorem citant codd. SP marg. *Catulum* sive *Catullum Parmensem* de quo vide quae scripsi *Classical Review*, xi. 6 (Iul. 1897). 4 *Fertur uates*: v. Comparetti, *Vergilio nel medio evo*, ii. 3, 10, alibi. 9 *Eneapoli*: v. *Vita Athanasii* in *Script. Rerum Longobard.* p. 440 ap. Comparett. op. cit. ii. 3. 12, 13 *semiuiri Chironis*: v. Ovid. *Metam.* ii. 633; *Fast.* v. 380. Cf. Claudian. *de III° cons. Honorii* 62. 14 *Achilles*: v. Stat. *Achilleis* i. 159 seqq. 17 *Bachus*: Vnde didicerit Ioannes Bacchum Chironem habuisse nutritorem nescio; quod numquam nisi ap. Ptolomaeum Hephaestionis (ed. Roulez, p. 25) narratum repperi.

tinens, et, ut credo, sobrius numquam. Domi quippe Chironis habuerunt unde haec discerent. Caueri namque iubentur conuiuia Centaurorum, a quibus sine cicatrice nemo reuertitur.

Quod si historiis, quas suis poetae decolorauere figmentis, fides subtrahitur, illi utique credi necesse est, quae ex eo quod scripta est digito Dei, irrefragabilem apud omnes gentes sortita est auctoritatem. Primus ergo ponitur Nembroth robustus uenator contra Dominum. Eum reprobum fuisse non ambigis, quem omnium doctorum turba condempnat. Traditur hic in tantam elationis erupisse b uecordiam, ut non uereretur iura temerare naturae, cum consortes conditionis et generis, quos ingenuos illa creauerat, hic addiceret seruituti. Tyrannidis ergo fastigium in contumeliam creatoris a uenatore incipiens, alium non inuenit auctorem, quam eum qui in caede ferarum et uolutabro sanguinis Domini contemptum didicisset. Coepit enim potens esse in terra. Sic namque scriptum est: Eo quod non expectauerit, ut acciperet a Domino potestatem. Principium regni eius Babylon, dilatatusque est in terram Sennaar, ubi cum tota terra esset unius labii eorundemque sermonum, in celum erecta est turris Babel, habens lateres c pro lapidibus, bitumen pro caemento, non habens in fundamento petram, cuius singulari soliditate structa omnis aedificatio in Domino conualescit. At improba temeritas ab unitate praecisa linguarum succidit unitatem, et prima confusionem meruit, quae in se quam in Domino maluit gloriari. Exiuit ab hoc prouerbium, Quasi Nembroth

5 hystoriis M 7 dei digito M 14 Tirannidis CB 21 sennar S 27 Domino] deo M

3 *conuiuia Centaurorum*: v. Ovid. *Metam.* xii. 6 *illi* etc.: v. Gennrich, *Die Staats- und Kirchenlehre Joh. von Sal.* p. 114; cf. *Policr.* vii. 12, vi. 29, *Enthet.* 1197 seqq. 8 *Primus* etc.: De Nembroth, de turri Babel, et de tyrannidis origine quae hic scripsit noster, ex Iosephi *Antiqu.* i. 5 versione Rufiniana excerpsit. 9 *robustus uenator contra Dominum*: Gen. x. 9, sec. vers. antiqu. ab Aug. *de Civ. Dei*, xvi. 2 citatam. 19, 20 *Principium* etc.: Gen. x. 10. 21 *terra* etc.: Gen. xii seqq., Ephes. ii. 20, 21. 28 *Exiuit* etc.: Gen. x. 9.

robustus coram Domino, forte quia tantae elationis in se extitit, ut nec recentis pena diluuii posset instrui, quin in oculis Domini superbiret, et obsequium quod ab homine Domino debebatur, sibi contumaciter usurparet; cum constet quod confusionem linguarum diluuium antecessit. Babylon quidem calice aureo uniuersam carnem inebriat, et aduersus Ierusalem, quae sursum est, castra construit d proculdubio peritura, quibus quisquis militiam praestat, perpetua sanctorum maledictione dampnatur.

Esau quoque uenationem exercuit, et benedictione paterna meruit defraudari. In siluis collegit esuriem, ut immoderato aestu lenticulam concupiscens praerogatiuam primogenitorum exiguo pretio et uili distraheret; et iugum seruitutis haereditariae transmisit in posteros, ut ditioni minoris, qui domi degebat, colla supponerent. Fruticantibus pilis horrebant manus, nec enim lenis esse poterat actu, siluestris moribus, cultumque uestis pretiosae domi reliquerat, qui assiduo uenatu uirtutis abiecerat indumentum. Fraternum 395 a sanguinem sitiebat, et se ab eo, quem sibi diuina gratia de paterna benedictione praelatum nouerat, placatus ante muneribus, non est ueritus adorari.

Venationis aeriae auctorem iactitant fuisse Machabeum, qui maioribus occupatus, huius uoluptatis, ut creditur, uitam duxit exortem. Egregie siquidem bella gessit, fratribus restituit libertatem, leges erexit, cerimonias innouauit, mundauit sancta, templi faciem, unde sibi credebat prouenisse uictoriam, coronis aureis decorauit, nullosque illius in actus surrepsit,

partemque tulit sibi nata uoluptas.

Postremo pro salute fratrum fusus in acie, germanos legitimi belli reliquit heredes. Ab aetate prima cui rationis legem

---

1 *post* robustus *add.* uenator *marg.* A 6 Babilon ASM 7, 8 proculdubio construit A 9 damnatur S 27 *post* illius *add.* et *man. recentior in marg.* A *necnon ed. princ.* 30 legittimi SM

---

6 *Babylon* etc.: Ier. li. 7, Apoc. xvii. 4, 5. 7 *Ierusalem* etc.: Gal. iv. 26. 10 *Esau* etc.: v. Gen. xxv. 27 seqq., xxvii passim, xxxii, xxxiii. 29 *partemque* etc.: Luc. *Phars.* ii. 391.

natura praescripserat, inspice patriarchas, data lege transi
ad duces, procede ad iudices, ad reges progredere, percurre b
seriem prophetarum, fidelis populi officia et studia perscru-
tare, quos in serie ueteris instrumenti legis exercuisse
uenaticam? Nempe Idumaeos et Ismaelitas et gentes quae
Dominum nesciebant. Vbi sunt, inquit propheta, aut si
mauis, dum tamen in Spiritu, notarius prophetae, qui in
auibus celi ludunt? Ac si tacita subiectione pronuntiet
eos, quorum uita iocus est, suis euanuisse cum auibus,
eosque subiecta pronuntiatione ad inferos descendisse com-
memorat. Interroga patres tuos, et annuntiabunt tibi,
maiores tuos, et dicent se nusquam sanctum legisse uena-
torem. Quod si nomini uenatorum de prophetica promissione
blandiaris, qua se uenatores missurum Dominus pollicetur, c
qui de umbrosis et excelsis uenentur erroneos, bestialium
uitam noueris increpari, non commendari uenantium uani-
tatem. Nec te Placidus uel Eustachius martyr quidem
insignis, quem de pia non tamen canonica scriptura uenan-
tem asseris a Domino uisitatum, nimis demulceat, nisi forte
persecutorum ecclesiae rabiem laudas, eo quod inde ad
apostolatum uocatus est Paulus, et inter alios factus egregius
euangelii praedicator. Sed fuerint uiri illustres, Alexandri
forte uel Cesares, uenatui dediti; numquid philosophi,
aut aliqui sapientes in populo? Numquid Socrates, Plato,
Aristotiles, Seneca, Soranus, aut qui totius non urbis sed
orbis euacuauit miracula, omnium in se admirationem
sapientia et uirtute conuertens, Archita Tarentinus? Vt d

---

5 ydumeos S 14 blandiris M 22 euuangelii A 23 phylosophi CB

---

5 *Idumaeos*: v. Ezech. xxxii. 29, 30. 6 *Vbi sunt* etc.: Baruch iii. 17. 11 *Interroga* etc.: v. Hieron. *in Mich.* v. 6; cf. Ambros. *in Psalm.* cxviii. 61. 12 *nusquam sanctum*: v. Hieron. *in Psalm.* xc, citatum *Decret.* I. distinct. lxxxvi. c. 11 (ed. Friedberg, i. 300); Ivon. Carnot. *Decret.* xiii. 33. 14 *uenatores missurum* etc.: Ier. xvi. 16. 17 *Placidus uel Eustachius*: v. *Acta SS.* Sept. v. 106; cf. G. T. Stokes, *Dictionary of Christian Biography*, s. v. 'Eustachius.' 25 *Soranus*: cf. Aug. *con. Iul.* v. 51, *Retract.* ii. 62. Vide *Dict. of Biography*, s. v. 'Soranus.' 27 *Archita Tarentinus*: Huius mentionem saepe facit Hieronymus. De miraculo quodam ab eo facto vid. etiam Gell. x. 13 § 9.

redeamus ad nostros, qui et ueritate doctrinae, uirtutis exemplo, et fidei auctoritate praecellunt, quos Augustinos, Ieronimos, Laurentios, Vincentios, quos denique de toto cetu patrum uexationis huius agitauit insania? Nostrorum quoque temporum luctuosis instruimur exemplis ab huiusmodi inquietudine temperare, cum proceres nostros inter uenandum ueris uariisque miraculis indignatio diuina percusserit, bestialemque saepe inuenerint exitum uitae qui dum licuit bestialiter uixerant. Regibus quoque ipsis manus Domini non pepercit, et in malitiam eorum condignam et gloriosam exercuit ultionem. Non equidem eorum nomina uel exempla ex inopia reticentur, nisi ex ea forte
396 a quam parit copia, sed ne mentes lugentium adhuc immoderato dolore sauciatas recentium refricatione uulnerum grauius ulceremus. Domestica namque sunt exempla quam plurimis. In tantam uero quidam huius uanitatis instinctu erupere uesaniam, ut hostes naturae fierent, conditionis suae immemores, diuini iudicii contemptores, dum in uindictam ferarum imaginem Dei exquisitis suppliciis subiugarent. Nec ueriti sunt hominem pro bestiola perdere, quem unigenitus Dei redemit sanguine suo. Quae ferae naturae sunt et de iure occupantium fiunt, sibi audet humana temeritas inspiciente Domino uendicare, et idem iuris in omnibus ubicumque sint statuit, ac si claustri sui indagine uniuersa cinxisset. Quodque magis mirere, pedicas
b parare auibus, laqueos texere, allicere modis uel fistula, ac quibuscumque insidiis supplantare, ex edicto saepe fit criminis, et uel proscriptione bonorum multatur, uel membrorum punitur salutisque dispendio. Volucres celi et pisces maris communes esse audieras, sed hae fisci sunt,

---

19 ymaginem M 24 uiris M 28 bonorum proscriptione A

---

8 *bestialemque* etc.: cf. Ioannis nostri *Vit. Anselmi*, ii. 9 *Regibus* etc.: Sic mortui sunt Willelmus Rufus Anglorum rex, Ricardus Roberti ducis Normanniae filius, Fulco Andegavensis Hierosolymae rex, qui et Henrici II patruus erat, insuper Ioannes Pulcher Graecorum imperator. Vide Willelm. Tyr. xv. 27, 22. 30 *communes esse audieras*: v. Iustinian. *Inst.* ii. 1 § 12. *sed hae fisci sunt*: cf. Iuv. *Sat.* iv. 55.

quas uenatica exigit ubicumque uolant. Manum contine, istarum abstine, ne et tu in penam lesae maiestatis, uenantibus cadas in praedam. A noualibus suis arcentur agricolae, dum ferae habeant uagandi libertatem. Illis ut pascua augeantur, praedia subtrahuntur agricolis sationalia, insitiua colonis, compascua armentariis et gregariis, aluearia a floralibus excluduntur, ipsis quoque apibus uix naturali libertate uti permissum est. Dicis bene, quod oestrum et c
ceteras pestes, quae non feras sed delicias potentum exagitant, toto potentatu suo non possunt abigere, cum et culex in ultionem hominis armatus acrimoniae suae aculeos in feras recte exerceat. Sic si hic fueris, in annos cogeris sata redimere uel amittere. Elige utrum mauis de aequissimo iure Quiritum, rerum uel salutis utrobique dispendium imminet. Si uenatorum quispiam pertranseat fines tuos, ei quae domi habes incunctanter et reuerenter expone, quodque domi non est et habet uicinus, in usus illius eme, ne ex edicti licentia tua auferat uel inuito, et de irreuerentia et contemptu cogaris in centuria aut foro praesidis uel proconsulis, aut fortasse in concilio, lesae maiestatis reddere rationem. Protenditur etenim patrimonium fisci, d
dum de alieno quacumque ratione familia sumptum facit.

Verum ne uenaticam et alias curialium nugas non tam iudicio quam odio stilus persequi uideatur, eam indifferentibus connumerandam facile libensque consentio, nisi quia immoderato uoluptatis incursu uirilem animum concutit et fundamentum subuertit rationis. Non tamen ob hoc erit usquequaque culpabilis, cum et uinum quod inebriat subuersionis culpam retorqueat in bibentem, et senex saepe non tam aetatis quam suo uitio sensum proferat puerilem. Potest igitur uenatica esse utilis et honesta; sed ex loco, tempore, modo, persona, et causa. Persona namque uenustat studium, dum suo insistit officio et non praeripit

---

5 cum pascua MP   8 Dicis] Deus BSP   bone SPCyr.   16 *om.* quae CBA[1]

---

17 *quodque domi* etc. Iuv. *Sat.* vi. 152.

alienum. Nec est quod quemquam magis deceat, quam
397 a quod officio cuiusque magis accommodum est. Praeclare siquidem ait ethicus, singularum personarum decora describens, Id unumquemque decet maxime, quod est cuiusque maxime. Quid ergo michi et tibi cum uenatoris professione? Sua namque neglecta turpissimum est, quemque studiosius in aliena uersari. Quid ei cum priuato et rusticano fortasse studio, qui publicae auctoritatis insignibus fulget? Ducem sequatur populus, doctor seminet disciplinam, iudex coherceat delinquentes, studiosos remuneret indulgentia potestatis, priuati minoribus occupentur, honestioribus ingenui, uilioribus seruilis conditio mancipetur;

b nam quod turpe bonis Seio Thitioque decebit
Crispinum.

Sic utique cum multa sint eiusdem corporis membra, non omnia eidem actui seruiunt, sed sua sunt officia singulorum. Qui ergo tuum uenatori non cedis, cur illius usurpas officium? Nonne reputabis indignum, si ad regnum uel ad pontificium uenator aspiret? Equidem indignius est, si ab alterutro fastigio ad uenatoris carnificium uel sordes prolabaris. Innatus etenim amor boni semper quaerit ascensum; e contra fomes uitii sponte sua uergit ad occasum. Causa quoque actum poterit decorare, si aut necessitate subsistat aut uigeat utilitate aut honestate splendescat, cum ex affectu mentis tota ualeat substantia operis colorari. Affectus etenim tuus, ut ait sapiens, operi
c tuo nomen imponit. Inculpabiliter ex sancti patris mandato uenatum profectus est Esau, ut et patris satiaret esuriem, et promissam benedictionem impensi merito obsequii obtineret. Si enim sine culpa exerceri non posset,

---

18 credis M   20 indignus est M   24 occasum (uel casum) A: casum SM

---

4 *Id unumquemque* etc.: v. Cic. *de Off.* i. 31 § 113   14 *nam quod* etc.: Iuv. *Sat.* iv. 13, 14. Cf. *Policr.* viii. 12.   27 *Affectus* etc.: Ambros. *de Off. Min.* i. 30 § 147.   29 *Esau*: v. Gen. xxvii.

nequaquam tantus patriarcha ad opus illius misisset filium, quem benedictionis gratia in caput gentium constituere disponebat. Sed forte mora traxit ad se periculum, quia diutius licito in opere tamen licito ex praua consuetudine et immoderato amore morabatur. Nulla uersatur in culpa, qui urgente stimulo necessitatis non reprobati studii exercitio uitam cogitur exhibere. Qui otii inertiam uitant, qui gerendis negotiis disponunt membra dum laboribus assuescunt, qui uitiosam corporis fugiunt molem, seruata in omnibus dignitate personae, iustae reprehensionis non d patiuntur aculeos. Opus etenim non ex se sed ex causa fit crimen. Nec aliqua uirtutis ostentatione clarescit, cui uoluptas originem praebet; nouerca siquidem uirtutis est. Non illam dico quam parit pax, patientia, benignitas, longanimitas, gaudium in Spiritu sancto; sed quae amica epulis, potationibus, conuiuiis, modulationibus et ludis, cultibus operosius exquisitis, stupris et uariis immunditiis, animos etiam grauiores effeminat, et quodam naturae ludibrio molliores et corruptiores facit esse uiros quam feminas. Tempus quoque uenandi culpam extenuat actumue commendat. Sit autem hic tempus, ut in locis quam pluribus, inuenitur ex eo opportunitas gerendorum. Fit ergo intempestiua uenatio uel ex religionis cultu uel ex 398 a natura rerum uel ex debito officii, quod uel praetermitti uel aliis occupationibus postponi non debet. Sed de his hactenus; quia non uenaticam tradere sed de curialium nugis nugari propositum est.

Loci quoque ratio habenda est, scilicet ut in suo uel communi uel publico licita exerceatur uenatio, dum tamen consortibus non irrogetur iuiuria et locus celebritate sui aut reuerentia ab his inquietationibus non eximatur. Qui enim in aliena temeraria usurpatione irruit, laqueis iuris tenetur ad penam. Is uero modus laudabilis est, cum moderatione adhibita prudenter et, si fieri potest, utiliter

---

2 capud A   11 enim M   17 adquisitis A[1]

---

14 *pax* etc.: Gal. v. 22.

exercetur, ut mandato comici adquiescas, Ne quid nimis. Nam et

insani sapiens nomen feret, aequus iniqui,
b ultra quam satis est uirtutem si petit ipsam.

Nichil autem turpius est quam in risum contuentium ora laxare, dum non discendi proposito uehementius insistis arti quam nescias, ut si linguam quam non noris facetus attemptes. Sunt uero personae, quae non modo ab hoc sed ab aliis quibusdam utpote leuioribus et uoluptuosis studiis in perpetuum summouentur, ut qui in sacris ordinibus constituti, et qui gerunt amplissimos magistratus. Quod enim in aliis futurum erat leuioris culpae, hoc in istis saepe fit criminis. Et quidem semper maiora sunt quae celebratos contractus rescindunt quam quae impediunt contrahendos. Porro de uirtute et ueritate canonum uenatica clientulis suis non modo claudit ascensum sed
c summi etiam sacerdotii gradum adimit iam adeptum. Praeclare illud, ut multa, fertur dixisse Themistocles: Magistratus a ludis et quibuscumque leuioribus esse arcendos, ne respublica ludere uideatur defectumque sui relicta grauitate pronuntiet. Si tamen maioribus, quod quidem rarum est, eos exoccupari contigerit, in annis adolescentiae ex dispensatione etatis permittuntur aliquid subtrahere grauitati et in se clementiores esse, quod maturitatis processu reipublicae utilitate compensent. Haec ille: et utinam audiretur a nostris, ut in prouectiori etate nugis suis reipublicae seria anteferrent. Tunc etenim totum reipublicae corpus roboris sui integritate uigebit, tunc optimae compositionis specie uenustabitur
d et elegantis pulcritudinis decorem induet, si

singula quaeque locum teneant sortita decenter,

---

4 petat M   17 etiam *om.* M   26 *post* ut *add.* saltem SM

---

1 *Ne quid nimis*: Ter. *And.* i. 1. 34.   3 *insani* etc.: Hor. *Ep.* i. 6. 15, 16.   15 *canonum*: cf. *Decret.* I. dist. 86, c. 8–13 (ed. Friedberg. i. 299, 300) Ivon. Carnot. *Decret.* xiii. 30.   27 *Tunc etenim* etc.: cf. (cum Gennrichio) *Policr.* i. 3, vi. 21, 22.   31 *singula* etc.: Hor. *A. P.* 92.

si fuerit officiorum non confusio sed distributio. Hoc ita, si optimam uiuendi ducem naturam sequimur. Sed nunc

quod medicorum est,
promittunt fabri, medici fabrilia tractant,

et officium praesidendi a uenatoribus et humilioribus officiis aut etiam maleficiis mutuatur; et priuatorum temeritas aut disciplinae ignorantia se audet publicis officiis immiscere.

Cap. 5. *De alea et usu et abusu illius.*

Sed ecce, dum uenatorum tumultus egreditur, aliae etsi taciturniores perstrepunt nugae. Tritum siquidem prouerbium est: Qui lepores agitat, uerba consumit. At si 399 a
alios diligentius intueris, consumunt et uitam, quae in ineptiis et factionibus aut flagitiis tota uersatur. Nonne tibi uidetur aleator ineptus, qui thessararum non tam uiuit quam perit ex gratia, et omnem iactum sortis suae praesulem facit? Estne ars accommoda rationi, cuius quanto quisque studentior, tanto erit exstudiosior? Atthalus Asiaticus, si gentilium historiis creditur, hanc ludendi lasciuiam dicitur inuenisse, ab exercitio numerorum paululum deflexa materia. Cum enim antiquiores illud exercitium dumtaxat approbarent, quod ad inuestigationem ueri disciplinasque liberales proficeret uel recte uiuendi instrueret usum, hic subtili quidem licet infructuosa inuentione ueteris exercitii duritiam non temperauit sed b
emolliuit, multis adhuc in pristina manentibus grauitate. A manibus namque Grecorum abacus nondum excidit aut ratio calculandi aut ludus in quo perfecte uicisse est ad denuntiatum calculum in campis aduersarii constituisse

9 illius] eius A, S (*in rubrica cap. praefixa*) 19 hystoriis BM 28 perfecte (uel plene) A: plene SM

2 *optimam* etc.: Cic. *de Amicit.* § 19. 3 *quod* etc.: Hor. *Ep.* ii. 1. 115, 116. 18 *Atthalus* etc.: ex Catulo Parmensi testibus codd. SP. 29 *denuntiatum calculum* forsan ut viro docto I. A. I. Drewitt e Coll. Magdalenensi apud Oxon. visum est idem quod Anglice *marked pawn* dicitur.

perfectam et maximam armoniam. Cum uero in eisdem armonica arismetica uel geometrica trium terminorum medietate exultat, semiplena uictoria est. Quaeuis aliarum, etsi contingant citra triumphi gloriam, aut ludentis felicitatem aut artis peritiam protestantur. Iocundum quidem et fructuosum est numerorum nosse certamina, qui depraedationi inueniantur obnoxii, et qua ratione in castris sint alii tutiores, omnium periculorum ignari, nisi forte circumuenti ab hostibus captiuentur. Huius uoluptate certaminis
c Tholomeum, Alexandrum, Cesarem, Catonem, ipsum quoque Samium grauiores operas legimus temperasse, quo etiam inter ludendum id agerent, unde essent philosophicis negotiis aptiores. Alea uero exciso regno Asiae inter manubias euersae urbis non sub una tantum specie migrauit ad Graecos. Hinc thessara, calculus, tabula, urio uel Dardana pugna, tricolus, senio, monarchus, orbiculi, taliorchus, uulpes, quorum artem utilius est dediscere quam docere. Quis enim non erubescat, si sortis suae gratiam non uirtuti debeat sed taxillis? Quis fretilli cautelam suae prudentiae non doleat anteferri? Nonne satis improbata est cuiusque artis exercitatio, qua quanto quisque doctior, tanto nequior?
d Aleator quidem omnis hic est. Mendaciorum siquidem et periuriorum mater est alea, et ex alieni concupiscentia sua prodigit, et nullam habens patrimonii reuerentiam, cum illud effuderit, sensim in furta dilabitur et rapinas. Illam uero nonnulli praeferunt, in qua Vlixes lusisse legitur, eo quod ingenii aliquatenus multa meditatione excitare uideatur acumen. Sed ex eo michi uidetur perditior, cum nichil infelicius sit quam in eo, in quo minimum proficias,

2 arismethica CBS 12 phylosophicis CB 16 monarcus S

2 *geometrica*: vide quod de progressione geometrica in tabula scaccaria demonstratum esse narratur ap. Hyde, *Hist. Shahiludii*, ii. p. 55. Cf. Linde, *Gesch. und Litter. des Schachspiels*, i. pp. 4 seqq. 15, 19 *tabula*, *taxillis*: de *tabularum* et *taxillorum* apud aevi medii academicos aestimatione comparativa cf. Rashdall, *Universities of Europe in the Middle Ages*, i. p. 195, n. 22 *Mendaciorum* etc.: citat Chaucer. *Pardoner's Tale* 591, 592. 23 *ex alieni* etc.: v. Sallust. *Catil.* 5; cf. Tac. *Germ.* 31, Sidon. Apoll. iii. 5, Ioann. Saresb. *Vit. Anselmi* vii.

plurimum laborare. Est enim inutilis importunitas deprecantis, qua inutilia adquiruntur, et quaerendi inanis est diligentia, cum inuenisse non proderit. Posset utique motus animi et mentis agitatio, quae ibi frustra distrahitur, rebus pulcrioribus et melioribus accommodari. Aleam uero a regione morum illius auctoritas prorsus exterminat, 400 a
qui uniuersum orbem docens in filio eam denuntiat omnibus fugiendam. Ab ea siquidem armantur ad lites homines, incurrunt inimicitias, in miseram etsi non miserabilem incidunt egestatem. Si denuntiationis quaeris auctorem, illum agnosce, qui

non sibi sed toti genitum se credidit orbi.

Est tamen cum in aliqua specie sui licenter admittitur, si absque uitio curarum grauium pondus alleuiet, et sine uirtutis dispendio iocundam interpolationem afferat gaudiorum. Omnis uero licentia moderationis suffragio conualescit, et solidae uirtutis usus ab intemperantia deformatur. Totius uero licentiae moderatrix est loci, temporis, modi, personae et causae praemissa inspectio, quae omnium negotiorum faciem decora uenustate commendat aut turpitudinis condempnat obprobrio. Est ergo b
in singulis plurium habenda ratio personarum, cum natura, conditio, fortuna, suis singulae hominem induant personis, ex quibus quid se deceat, erit uniuscuiusque colligere. Decorum siquidem aliunde non prouenit. Chilon Lacedemonius iungendae societatis causa missus Corinthum duces et seniores populi ludentes inuenit in alea. Infecto itaque negotio reuersus est, dicens se nolle gloriam Sparthanorum, quorum uirtus constructo Bissantio clarescebat, hac maculare infamia, ut dicerentur cum aleatoribus contraxisse

7, 8 omnibus fugiendam denuntiat A 21 condemnat S opprobrio A 24 uniuscuiusque erit M 25 peruenit S 26 chorinthum M 28 spartanorum A

8 *fugiendam*: Cato *Distich.* prolog. 37 (Baehrens, *Poetae Lat. min.* iii. 216). 12 *non sibi* etc.: Luc. *Phars.* ii. 383. 25 *Chilon* etc.: Hanc historiam ex Catulo Parmensi testibus codd. SP excerptam ex hoc loco citat Chaucer. *Pardoner's Tale* 603–20 (De latrunculis apud Corinthios cf. Eurip. *Medea* 67).

societatem. Regi quoque Demetrio in obprobrium puerilis leuitatis tali aurei a rege Parthorum dati sunt. Eo siquidem munere exhonoranda uisa est adolescentia senilis, et
c quae in maiestate regni leuia committere minime uerebatur. Nunc uero nobilium in eo sapientia declaratur, si uenaticam nouerint, si in alea dampnabilius fuerint instituti, si naturae robur effeminatae uocis articulis fregerint, si modis et musicis instrumentis uirtutis immemores obliuiscantur quod nati sunt. Verum a parentibus haec pernicies manat ad liberos. Quid enim faciet filius, nisi quod patrem uiderit facientem?

> Si dampnosa senem iuuat alea, ludit et heres
> bullatus, paruoque eadem mouet arma fretillo.

Fuerat quidem tenerior etas a libidinibus et uoluptate parente uitiorum arcenda propensius; et ne quid licentius illis praesentibus a maioribus fieret, diligentius praecauen-
d dum, quia, ut idem ait satiricus,

> fortius et citius nos
> corrumpunt uitiorum exempla domestica, magnis
> cum subeunt animos auctoribus.

Egregie quidem Eleazarus, cum redimendae uitae causa sollicitaretur committere in legem Domini, exempli periculum opposuit, dicens: Quis ego sum Eleazarus nonaginta annorum, ut transeam ad uitam alienigenarum et iuuenes religiosos seducam? Nascuntur ergo maioribus heredes quidem degeneres et qui uirilem sexum muliebri mollitie dehonestant.

---

1 opprobrium A 6 damnabilius S (uel -ca) 12 damnosa S 19 domesticorum CB: domesticorum A

---

1 *Regi* etc.: Iustin. xxxviii. 9 § 9. Etiam hanc historiam ex Ioanne Saresb. citat Chaucer. *Pardoner's Tale* 621–9. 10 *Quid enim* etc.: v. Ioann. v. 18. 12 *Si dampnosa* etc.: Iuv. *Sat.* xiv. 4, 5. 18 *fortius* etc.: Iuv. *Sat.* xiv. 31–3 (*uelocius et citius* habet Iuvenalis). 21 *Egregie* etc.: v. 2 Macc. vi. 24 seqq. forsan sec. aliam quam vulgatam versionem (cf. Sabatier, *Bibl. Sacr. Lat. Vers. Antiqu.* ii; Mai, *Spicil. Rom.* ix. App. 60).

Cap. 6. *De musica et instrumentis et modis et fructu eorum.* a

Non tamen curialium nugis musicam calumpnietur aliquis sociatam, licet se beneficio eius conentur nugatorum plurimi commendare. Disciplina siquidem liberalis est, et siue Pictagoram, siue Moysen, siue Tubal patrem canentium in cythara, editionis suae laudat auctorem, ingenuum habet ortum, et uirtutis suae potentia specierumque uarietate et sibi famulantibus numeris uniuersa complectitur, omnium quae sunt et quae dicuntur, dissidentem et dissonam multitudinem proportionum suarum, id est, inaequali quadam aequitatis lege concilians. Hac etenim celestia temperantur, mundana siue humana reguntur: hac instrumenta mores instruunt et informant, ipsiusque uocis articulatae b uel inarticulatae substantiam miro quodam naturae opificio melicis picturis rithmorum metrorumque coloribus uestiunt et quadam cultus uenustate perornant. Hanc, ut suffragio commendationis nostrae non egeat, sancti patres multis laudum praeconiis extulerunt. Denique in eius uirtute maligni spiritus uiolentia cohibetur, et illius etiam in subditis suis minuit musicae gratia potestatem. Cum enim

3 calumnietur S 5 si *om.* M 6 pitagoram BM: pytagoram A 7 cithara AS 20 choibetur CBA[1]

6 *Pictagoram*: i.e. Pythagoram; v. Chalcid. *Comm. in Plat. Tim.* 44. *Tubal*: v. Gen. iv. 21. 'Tubal war die mittelalterliche Schreibweise für Jubal.' R. Strassing (Jörg Breu von Augsburg, *Zeitschr. für christliche Kunst*, vii. 101 seqq. 1894), qui *Tubal* et Pythagorae imagines, litteris *Ut Re Mi Fa Sol La* utrique adscriptis, in capella Fuggerorum apud Augustam Vindelicorum depictas esse narrat. In capella Hispanica iuxta ecclesiam S. Mariae Novellae apud Florentinos fabrum sub imagine Musicae a Thaddaeo Gaddi pictum *Tubalcain* plerique vocant, quasi, ut ab Iamblicho in *Vita Pythagor.* xxvi. §§ 115 seqq. de Pythagora narratur, a sono malleorum diapason et diapente et diatessaron concentum invenisset ille *qui fuit malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri* (Gen. iv. 22). Notandum tamen est in Franchini Gafurii *Theorica Musica* (Mediol. 1492) *Iubali* et Pythagorae eandem inventionem attributam esse. 'Iosephus autem,' ut ait Gafurius, 'hanc Pythagoream inquisitionem Iubali ante diluvium ascripsit.' Iosephi locum *Antiquit. Iud.* v. 2 citat, qui tamen nec de inquisitione Pythagorea nec de Iubale quidquam asserit. 18 *patres*: e.g. Aug. *de Orig. An. Hum.* § 13 (Migne *P. L.* xxxiii. 726). 21 *Cum enim* etc.: v. 1 Reg. xvi. ad fin.

spiritus Domini malus Saulem inuasisset, psallebat Dauid cythara in manu sua, donec spiritus a regis infestatione quiesceret. Vt uero nondum reueletur spiritus qui latet in littera, aequissimum est animam cognati generis gratia mansuescere et omnem dediscere alienationem, cum ei
c propriae concentus originis et naturae melioris archana resultant. Eam ex consonantiis musicis esse compositam quam plurium opinio uel sententia est. Totius etenim philosophiae princeps Plato (si tamen Aristotilici adquiescunt), cum eam ex substantia diuidua et indiuidua finxisset, et eadem natura plasmaret et diuersa, ipsam non posse constare credidit, nisi limitum, qui utrimque multipharia sectione ab unitate profluxerant, dissidentiam, emioliis, epitritis et epogdois uniret, limatis et comatis habita ratione, ut sub expressione paucorum ei quantacumque distantia repugnantium concordia cognati generis societate doceatur esse finitima. Vnde archano quodam meatu naturae secretisque cuniculis uiuacitatis suae uigore per
d uniuersa discurrit, et cuiuis naturae substantiaeque conformis rationis sensus uitae in singulis pro diuinae dispensationis decreto efficaciam modulatur. Omnibus itaque alimenta dispensat, et sui puritate uiget in singulis, nisi molis corporeae grauitate prematur, aut tranquillitatem spiritus exteriorum tumultuum turba concutiat. Qua irruente, quid potest esse salubrius quam si, ut ita dicam, suis naturae uocibus a compressione turbarum ad se ipsam anima reuocetur? Quid denique nostrorum spiritui potest esse similius uoce? quae cum hic formetur, tam facili quam inuisibili et ineffabili transitu multorum circumquaque replet auditum, et ui sua corporum integram penetrat
402 a densitatem, et quasi tactu quodam mouet animum, et pro

1 *post* David *add.* in M 2 cithara AS 8 enim M 9 phylosophiae C : philosophyae B : phylosophie A aristotelici A 17 finittima S

9 *Plato*: v. *Tim.* 35 A, B; cf. Boeth. *de Mus.* i. 1; cf. etiam *Enth.* 982. 14 *limatis*: *potius limmatis*; *limma* = λεῖμμα, id est, semitonium; v. Macrob. *de Somn. Scip.* 2. 1 § 24; Boeth. *de Mus.* ii. 27. *comatis*: *potius commatis*; *comma* = κόμμα; v. Boeth. *de Mus.* ii. 30, iii. 4, 8.

arbitrio suo nunc deicit, nunc extollit. Certe, etsi nulla ratione sit spiritus, eam quoddam uehiculum spiritus esse certissimum est; et nunc quidem humanum, nunc diuinum, nunc et phitonicum gerit. Cum uero modis suis elegantius fuerit colorata, uenustate sui mentes etiam seueriores capit, et quadam inductae hilaritatis gratia pellit tristitiam; et si quid pulueris aut turbinis aut nebularum cogitationibus ipsis inheserat, potenter abstergit. Ad mores itaque instruendos et animos exultatione uirtutis traiciendos in cultum Domini, non modo concentum hominum sed et instrumentorum modos censuerunt sancti patres Domino applicandos, cum templi reuerentiam dilatarent. Et si militantis ecclesiae tibi parua uidetur auctoritas, uel b
triumphatrix illa praeconia musicae non tacebit, cuius seniores uidit et tibi monstrauit tonitrui filius, et uoces eorum sicut citharedorum citharizantium in citharis suis. Quod si illos nondum audisti, regem audias exultantem, qui te regni et exultationis suae uult esse participem. Ait enim: Sumite psalmum, date tympanum, psalterium iocundum cum cithara. Ad quid, inquis? Vt laudetis Dominum in tympano et choro, in cordis et organo. Hic est enim usus musicae aut solus aut praecipuus. Frigius uero modus et cetera corruptionis lenocinia sanae institutionis non habent usum, sed produnt malitiam abutentis. Dolet igitur et ingemiscit species laudabilis disciplinae, se ab c
alieno uitio deformari, et quod facies meretricis facta est ei, quae uiriles quoque animos accendere consueuerat ad uirtutem. Amatoria bucolicorum apud uiros graues esse, fuerat criminis; nunc uero laudi ducitur, si uideas grauiores amatoria, quae ab ipsis dicuntur elegantius stulticinia, personare. Ipsum quoque cultum religionis incestat, quod ante conspectum Domini in ipsis penetralibus sanctuarii

---

2 ueiculum S 4 phytonicum M 6 hylaritatis CBM 16 uoces *post* sicut *add.* A cytharis M 19 timpanum A 20 cythara M 21 timpano AS

---

15 *tonitrui filius* etc.: v. Apoc. xiv. 2; cf. Marc. iii. 17. 19 *Sumite* etc.: Ps. lxxx. 2. 20 *laudetis* etc.: Ps. cl. 4.

lasciuientis uocis luxu, quadam ostentatione sui, muliebribus modis notularum articulorumque caesuris, stupentes animulas emollire nituntur. Cum praecinentium et succinentium, canentium et decinentium, intercinentium et occinen-
d tium praemolles modulationes audieris, sirenarum concentus credas esse, non hominum, et de uocum facilitate miraberis, quibus philomena uel sithacus, aut si quid sonorius est, modos suos nequeunt coaequare. Ea siquidem est ascendendi descendendique facilitas, ea sectio uel geminatio notularum, ea replicatio articulorum singulorumque consolidatio, sic acuta uel acutissima grauibus et subgrauibus temperantur, ut auribus sui iudicii fere subtrahatur auctoritas, et animus, quem tantae suauitatis demulsit gratia, auditorum merita examinare non sufficit. Cum haec quidem modum excesserint, lumborum pruriginem quam deuotionem mentis poterunt citius excitare. Si uero moderationis formula limitantur, animum a curis redimunt, exterminant temporalium sollicitudinem, et quadam participatione leti-
403 a tiae et quietis et amica exultatione in Deum mentes humanas traiciunt ad societatem angelorum. Sed unde hanc moderationis formulam tenes? Exultabunt, inquit, labia mea, cum cantauero tibi. Si ergo ex abundantia cordis os tuum laudem Domini moduletur, si spiritu psallis et mente, si psallis denique sapienter, etiam citra articulatae uocis intelligentiam rectissimam modestiae regulam tenes, et non tam uocis quam mentis iubilo aures mulces Altissimi et indignationem eius prudenter auertis. Qui autem uoluptatis aut uanitatis affectus exprimit, qui uocis gratiam prostituit concupiscentiis suis, qui lenociniorum clientulam musicam facit, ignorat quidem canticum Domini, modis Babiloniis festiuus in terra aliena. Qui nescio quo pacto plus placeant, nisi quia

b nitimur in uetitum semper cupimusque negata,

7 phylomena M; philomela S[1] 22 habundantia A[1]MS

21 *Exultabunt* etc.: Ps. lxxi. 23. 22, 23 *ex abundantia cordis*: Matt. xii. 2, 4; Luc. vi. 45. 23 *spiritu psallis* etc.: v. 1 Cor. xiv. 15. 30 *canticum Domini*: v. Ps. cxxxvi. 4. 33 *nitimur* etc.: Ov. *Am.* iii. 4. 17.

et aquae furtiuae dulciores, et panis absconditus suauior est. Et quidem Frigius modus decreto philosophorum ab aula Graeciae iam pridem iussus est, et ceteri quibus descensus fit in lasciuiam et corruptionem. Annon recolis Ciconum matres et nurus indignationem suam totam in Orpheum, qui mares modis suis effeminauerat, usque ad Parcarum inuidiam effudisse, licet ille flexerit Manes, duritiamque Ditis mollierit, Euridicemque suam uocis gratia etsi infausta sorte meruerit? Exinde huiusmodi hominum quaestus plerumque felicem exitum non expectat, et forte quia c

non habet euentus sordida praeda bonos.

Quae uero mentes emolliunt moresque subuertunt, a nostra etate undique asciscuntur, licet ipsa ultra quam satis est uitiis suis abundet. Si quemquam eorum qui uehementius his insistunt, grauem uideris, si modestum, si pudicum, uiris fortibus nostrorum temporum ipsum connumerare memineris. Quandoquidem haec rara auis est. Proinde quidam uenerabilis uir, circiter septingentarum monialium pater, hanc monasteriis suis praescripsit legem, ut omnia earum cantica totius melicae pronunciationis exuant modos, et ut sola psalmorum et laudum sint significatiua pronunciatione contentae. Suspecta equidem fuit sancto uiro uoluptati cognata mollities, eo quod uoluptas parens libidinum d est. Quid quod haec ipsa cotidianorum conuiuiorum malitiam acuit, ac si uenena, nisi toxicata sint, nocere non possint? Igni stipulam addere, oleum camino, serpentem toxicare, nonne dementia est? Licet rerum uitia obtegantur

---

1 absconditus S 2 phylosophorum C 5 totam indignationem suam M 6 modis suis mares A 15 habundet A'S

---

1 *aquae* etc.: Prov. ix. 17. 12 *non habet* etc.: Ov. *Am.* i. 10. 48. 18 *rara auis*: Iuv. *Sat.* vi. 165. 19 *quidam uenerabilis uir*: scil. S. Gilbertus de Sempringham, qui ordini a se fundato hanc regulam praescripsit (ap. Dugdale, *Monast. Anglic.* ed. 1830, vi. pt. 2, p. lxxx.*) 'Sanctimoniales nostras cantare non permittimus; set omnino interdicimus, cupientes magis cum illa beata Virgine . . . in spiritu humilitatis indirecto psallere, quam cum illa Herodiadis filia lasciva modulatione infirmorum mentes pervertere.' 27 *oleum camino*: Hor. *Sat.* ii. 3. 321.

uelo uerborum, quorum eadem substantia est, nulla profecto differentia est. Quae apud Graecos coepulationis uel compotationis censentur nomine, a nobis honestiori nomine conuiuia nominantur. Cetus siquidem conuiuentium quam coepulantium aut compotantium uenerabilior est. Conuiuia uero nonne per se satis insaniunt, nisi carminibus excitentur? Nonne istud arguit Dominus, dicens: Ve qui con-
404 a surgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad uesperam, ut uino estuetis. Cithara et lira et tympanum et tibia et uinum in conuiuiis uestris; et opus Domini non respicitis, et opera manuum eius non consideratis. Quid quod rex Babylonis non nisi in conuiuio uidit manum scribentis in pariete MANE, TECHEL, PHARES, quo regnum dinumeratum appensum denuntiatur et scissum? Diuino siquidem iudicio principatu iudicatur indignus, qui uasa Domini, humana uidelicet corpora, in uanae uoluptatis gaudia exponit, et sponsi thalamum maligni spiritus immunditiis aperit.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,

quae omnia unius fistulae uoluptate non tam sopita sunt quam
b extincta. Tu quis es, qui te circumspectiorem esse confidis?

Cap. 7. *De dissimilitudine Augusti et Neronis.*

Augusto tympanizante in cena a quodam militum probrose dictum est: Videsne ut cinedus orbem digito temperet? Cuius ille uerbi percussus amaritudine os, manus, et animum in euum ab huiusmodi leuitate suspendit, habuitque semper gratiam exprobranti. Sed longe secus Nero, non

---

2 uel] aut M 9 Cythara M timpanum ASM 10 tybia C 13 cethel M: tethel S 14 cissum S 19 capud A 22 similitudine CBA[1]: dissimulatione P *in indice.* (S *in indice titulum cap. vii habet qualem dedimus; at ipsi capitulo praefixa leguntur quae sequuntur:* de oculis argi exemplum fabulam ponit ovidius metamorphoseos, *quae, cum in margine superioris cap. reperiri debeunt, pro titulo cap. vii scriptor accepit*) 23 timpanizante MS

---

2 *Quae apud* etc.: Cic. *de Senect.* § 45. 7 *Ve* etc.: Isa. v. 11, 12. 12 *rex Babylonis*: vide Dan. v. 19 *Centum* etc.: Ov. *Met.* i. 625. 23 *Augusto* etc.: v. Suet. *Aug.* 68; *Ner.* 20, 23, 25 fin., 30 med. (Cf. Wölfflini *Caecilius Balbus*, p. 4.)

imperatorum sed hominum fedissimus, qui adeo scribitur captus amenitate uocis, ut non modo pomis cibisque nocentibus abstineret, sed eius gratia conseruandae frequenti clisterio uomituque purgaretur, plumbeamque carthellam supino uentre mandato physicorum saepius et diutius sustineret. Adeo uero delectabatur in cantu, ut nec theatro terrae motu concusso, cum semel coeperat, c egrederetur, antequam inchoata finiret. Nec quemquam egredi eo cantante licitum erat. Vnde plerique affecti tedio audiendi simulato funere elati sunt. Milites quoque, nisi alio uerba pronuntiante, non appellabat; nec agebat quicquam serio iocoue, quin phonascus astaret, qui eum suis arteriis parcere hortaretur. Instrumentorum quoque curiosissimus erat, ut eorum peritiam aliis inuideret, adeo ut publico testimonio se citharedum principem gauderet appellari. Vnde illud:

Citharedo principe natus
nobilis: haec ultra quid erit nisi ludus?

In tanta quoque mole imperii omnem perosus est graui- d tatem. Philosophiam persequens quasi maiestatis imperii inimicam, et nobiliora ingenia ueritus se consiliis subdidit histrionum, quorum ipse non erubuit turpitudinem exercere. Hinc illud:

Quod non dant proceres, dabit histrio.

Cum uero esset omnium auarissimus, adeo ut nulli quodcumque officium delegaret, quin prosequeretur: Nosti quid michi opus sit; aut illud subiceret: Qui omnibus praeest, omnibus indiget: tamen histrionibus et mimis pecunias infinitas erogare non grauabatur; singulos, prout quisque placuerat, amplissimae dignitatis nomine subornabat, alios patricios, alios senatores dicens, hos illustrium spectabiliumue nominibus illustrabat.

---

5 phisicorum CB 15 cytharedum CBAM 17 Cytharedo CBAM 20 Phylosophiam C 22 hystrionum A 24 hystrio M 28 hystrionibus M

---

17 *citharedo* etc.: Iuv. *Sat.* viii. 198, 199. 24 *quod non* etc.: Iuv. *Sat.* vii. 90.

a Cap. 8. *De histrionibus et mimis et praestigiatoribus.*

Eum uero adhuc aliqui pro parte imitantur, etsi feditate illius nemo dignetur inuolui, cum gratiam suam histrionibus et mimis multi prostituant, et in exhibenda malitia eorum ceca quadam et contemptibili magnificentia non tam mirabiles quam miserabiles faciunt sumptus. Illa tamen etas (ut sic interim dicam) honestiores habuit histriones, si tamen aliquo modo honestum est, quod omni homine libero comprobatur indignum. Nec tamen histrionem assero turpiter in arte sua uersari, etsi indubitanter turpe sit esse histrionem. Et quidem histriones erant, qui gestu corporis arteque uerborum et modulatione uocis factas aut fictas
b historias sub aspectu publico referebant, quos apud Plautum inuenis et Menandrum, et quibus ars nostri Terentii innotescit. Porro comicis et tragicis abeuntibus, cum omnia leuitas occupauerit, clientes eorum, comedi uidelicet et tragedi, exterminati sunt. Sed eos in seruili conditione dumtaxat plerumque reperies. Quis uero eorum usus extiterit, poetica docens aperit:

> Aut prodesse uolunt, aut delectare poetae,
> aut simul et iocunda et idonea dicere uitae.

At nostra etas prolapsa ad fabulas et quaeuis inania non modo aures et cor prostituit uanitati, sed oculorum et aurium uoluptate suam mulcet desidiam, luxuriam accendit,
c conquirens undique fomenta uitiorum. Nonne piger desidiam instruit et sompnos prouocat instrumentorum suauitate aut uocum modulis, hilaritate canentium aut fabulantium

---

1 ystrionibus S *in rubrica cap. praefixa* 3 hystrionibus M 13 hystorias AM 18 repperies AM 24 desidiam mulcet A 26 somnos S 27 hylaritate M

---

1 *De histrionibus.*: cf. *Policr.* iv. 4, viii. 2, 4, 12; *Ep.* 260; cf. etiam Abaelardus, *Theol. Christiana*, ii. fin. (ed. Cousin, ii. pp. 445, 446); v. Jusserand, *Literary Hist. of the English People*, p. 440. 6 *Illa tamen etas* etc.: cf. Macrob. *Sat.* iii. 14. 20 *Aut prodesse* etc.: Hor. *A. P.* 333, 334.

gratia, siue, quod turpius est, ebrietate uel crapula? Artem utique elegantiorem docuit Flaccus:

> Ter uncti
> trananto Tiberim, sompno quibus est opus alto.

Ait quoque concionator: Dulcis est sompnus operanti, siue parum siue multum comedat. Exercitatio siquidem parit et alit quietis gratiam, quae otii continuatione et quodam inertiae suae marcore perimitur. Vtique in desideriis est omnis otiosus, cum et otiositas inimica sit animae et de domicilio eius omnia studia uirtutis eliminet. Clamat d ethnicus:

> Cernis ut ignauum corrumpant otia corpus,
> et capiant uitium, ni moueantur, aquae?

Quod? inquis. Audi. Disces si eidem credideris.

> Quaeritur Egistus quare sit factus adulter.
> Causa est in promptu, desidiosus erat.

Litteratissimi ergo uiri consilium est, ut hostis te semper inueniat occupatum, quo uariis temptationibus eius occupationum tuarum clypeos tam feliciter quam prudenter opponas.

> Vitanda est (inquit ethicus) improba syren
> desidia.

At eam nostris prorogant histriones. Exoccupatis etenim 406 a mentibus surrepunt tedia, seseque non sustinerent, si non alicuius uoluptatis solatio mulcerentur. Admissa sunt ergo spectacula et infinita tirocinia uanitatis, quibus qui omnino otiari non possunt, perniciosius occupentur. Satius enim fuerat otiari quam turpiter occupari. Hinc mimi, salii uel saliares, balatrones, emiliani, gladiatores, palestritae, gignadii, praestigiatores, malefici quoque multi, et tota

4 tyberim A somno S 5 somnus CS 9 otiositas] ocietas M

3 *Ter uncti* etc.: Hor. *Sat.* ii. 1. 7, 8. 5 *Dulcis* etc.: Eccles. v. 12. 12 *Cernis* etc.: Ov. *Pont.* i. 5. 5, 6. 15 *Quaeritur* etc.: Ov. *Rem. Am.* 161, 162. 17 *Litteratissimi uiri* etc.: v. Hieron. *Ep.* cxxv. *ad Rusticum* § 11 (Migne, *P. L.* xxii. 1078). 21 *Vitanda* etc.: Hor. *Sat.* ii. 3. 14, 15. 28, 29 *salii uel saliares*: 'A saliendo sic dicti ut *Salii*, Martis sacerdotes.' Du Cange ad voc. 29 *balatrones* Hor. *Sat.* i. 2. 2. *emiliani*: forsan (ut suspicatur vir doctissimus H. A. Wilson) quasi gladiatores ex Aemilio ludo cuius mentionem facit Horatius *A. P.* 32; v. Porphyrionis schol. ad loc. 30 *gignadii*: cf. *Metalog.* iii. 10; v. Du Cange s. v. *gignasia* (= *gymnasia*).

ioculatorum scena procedit. Quorum adeo error inualuit, ut a praeclaris domibus non arceantur, etiam illi qui obscenis partibus corporis oculis omnium eam ingerunt turpitudinem, quam erubescat uidere uel cinicus. Quodque magis mirere, nec tunc eiciuntur, quando tumultuantes inferius crebro sonitu aerem fedant, et turpiter inclusum turpius
b produnt. Numquid tibi uidetur sapiens, qui oculos uel aures istis expandit? Quis tamen libenter non uideat et rideat, cum praestigiatoris lotio perfusi ars deletur, et oculis, quos malitia sua praestrinxerat, uidendi facultas reparatur? Iocundum quidem est et ab honesto non recedit uirum probum quandoque modesta hilaritate mulceri, sed ignominiosum est grauitatem huiuscemodi lasciuia frequenter resolui. Ab istis quoque spectaculis et maxime ab obscenis honesti uiri arcendus est oculus, ne incontinentia eius mentis quoque impudicitiam fateatur. Egregie siquidem Sophoclem praetorem collega Pericles arguens,
c ait: Decet praetorem, Sophocle, non modo manus sed et oculos habere continentes. Auerte, inquit homo, cui de regni maiestate multa licebant, oculos meos, ne uideant uanitatem: sciens utique uerum esse quod alius ingemiscit, quia oculus meus depraedatus est animam meam. Verumtamen quid in singulis prosit uel deceat, animus sapientis aduertit, nec apologos refugit aut narrationes aut quaecumque spectacula, dum uirtutis aut honestae utilitatis habeant instrumentum. Sacrae quidem communionis gratiam histrionibus et mimis, dum in malitia perseuerant, ex auctoritate patrum non ambigis esse praeclusam. Vnde quid fautoribus eorum immineat colligis, si facientes et

3 corporis partibus A 7 Nunquid M 12 hylaritate M 17 perides CBM 21 sciebat P 22 Verumptamen A: Veruntamen M 29 fauctoribus AS

17 *Sophoclem* etc.: v. Cic. *de Off.* i. 40. 19 *Auerte* etc.: Ps. cxviii. 37. 20 *oculos meos* etc.: Thren. iii. 51. 26 *Sacrae* etc.: *Decret.* III. de consecr. dist. 2, c. 95 'Pro dilectione' (ed. Friedberg. i. 1352) 'consulendum . . . an talibus sacra communio cum ceteris Christianis debeat dari' (ex Cypr. lib. i. ep. 10) Ivon. Carnot. *Decret.* ii. 31.

consentientes pari pena recolis esse plectendos. Qui donant, inquit, histrionibus, quare donant? Hoc utique in illis fouent, in quo nequissimi sunt. Nempe qui nequitiam d fouet, estne bonus? Cum uero omnium istorum sit odibilis, illorum tamen qui minus nocent malitia tolerabilior est.

Cap. 9. *Vnde dicatur praestigium, et quis fuerit auctor eius.*

Eos autem qui nocentiora praestigia artesque magicas et uarias species mathematicae reprobatae exercent, iam pridem sancti patres ab aula iusserunt, eo quod omnia haec artificia uel potius maleficia ex pestifera quadam familiaritate demonum et hominum nouerint profluxisse, uerumque persaepe proferunt sola intentione fallendi, a quibus animam fidelem Dominus arcens ait: Si dixerint uobis, et ita euenerit, ne credatis eis. Praestigium uero Mercurius dicitur inuenisse, quod ex eo sic dicitur, quod aciem praestringat 407 a oculorum. Fuitque magorum peritissimus, ut quascumque res uellet inuisibiles faceret, aut, ut uidebatur, in alias species transformaret. Omnia siquidem mathesis, dum penultimam extendis, figmenta ad magicam referuntur, cuius plurimae species sunt et diuersae.

Cap. 10. *Qui sint magi, et unde dicantur.*

Et quidem magi sunt et ob magnitudinem maleficiorum sic appellantur, qui Domino permittente elementa concu-

6 dicitur S *in rubrica cap. praefixa.* 22 Qui sunt CB : Quid sint S *in rubrica cap. praefixa.*

2 *inquit* etc.: Augustinum *Enarr. in Ps. cii.* § 13 (Migne *P. L.* xxxvii. 1327) citant Gratianus *Decret.* I. dist. 86, c. 8 (ed. Friedberg. i. 300), Ivon. Carnot. *Decret.* xiii. 31. 10 *ab aula* etc.: *Decret.* II. xxvi. 5. c. 4 (ed. Friedberg. i. 1028). 14 *Si dixerint* etc. : Deut. xiii. 1, 2; Matt. xxiv. 36. 15 *Praestigium* etc.: Isid. *Orig.* viii. 9 § 23. 19 *Omnia* etc. : *Mathĕsin* scilicet bono sensu, *mathēsin* autem malo accipit Ioannes; similiter *mathesim* et *matesim* distinguit Hugo de S. Victore *Erud. Did.* ii. 4 (Migne *P. L.* clxxii. 753). Codices M. Cyr. in margine habent (1) *Doctrinam máthesis notat* (*uel sapit*) *at diuina mathésis* (2) *Scire facit mathesis, sed diuinare mathesis,* quem versum in Eberhardi Bethuniensis *Graecismo* x. 210 (ed. Wrobel p. 85) invenies. De vocabulo *divina* vid. Du Cange s. v. *divinus* (1). 23 *ob magnitudinem* etc.: v. Isid. *Orig.* viii. 9. § 9. *Decret.* II. xxvi. 5.

tiunt, rebus adimunt species suas, uentura plerumque
b praenuntiant, turbant mentes hominum, immittunt sompnia, hominesque uiolentia carminis dumtaxat occidunt, quod et Lucanum nostrum non latuit. Ait enim:

> Mens hausti nulla sanie polluta ueneni
> incantata perit.

Et ne tibi parua uideatur illius auctoritas, nosti quod Iannes et Mambre magi Pharaonis (Egyptus etenim huiusmodi superstitionum et maleficiorum mater est), nosti, inquam, eos non modo Moysi restitisse sed cum eo signis et miraculis contendisse, licet postmodum uel inuiti coacti sint digitum Dei in signis Moysi confiteri.

Cap. 11. *De speciebus magicae.*

Varro autem curiosissimus inter philosophos quattuor species diuinationis ab elementis mutuatus est, piromantiam
c scilicet, aerimantiam, ydromantiam, et geomantiam, multasque species uidebis ex his capitibus pullulare, siue arte siue furore diuinatio peragatur, quarum nomina exempli causa uel pauca subiciam.

Cap. 12. *Qui sint incantatores, arioli, aruspices, phycii, uultiuoli, imaginarii, coniectores, chiromantici, specularii, mathematici, salissatores, sortilegi, augures.*

Incantatores quidem sunt, qui artem uerbis exercent.

Arioli, qui circa aras nefarias preces aut execrata sacrificia faciunt, in quorum ceruicibus est manus Domini, dicente propheta: Ariolos et magos non patieris uiuere.

---

2 somnia BS 7 iamnes AM 14 phylosophos C 16 idromantiam M 20 Quid sint incantatores, arioli, aruspices et huiusmodi. S *in rubrica cap. praefixa* 21 uultiuoli] Multiuoli M

---

c. 14 (ed. Friedberg. i. 1032) Ivon. Carnot. *Decret.* xi. 67. 5 *Mens* etc.: Lucan. *Phars.* vi. 457, ap. Isid. *loc. cit.* 7 *Iannes* etc.: 2 Tim. iii. 8; vide Exod. vii. 11 seqq.; cf. Isid. *Orig.* viii. 9 § 4. 8 *Egyptus*: cf. Orig. *Hom. v. in Josue v.*; *Decret.* II. xxvii. 2 c. 9. 12 *digitum Dei* etc.: Exod. viii. 19. 13 *De speciebus magicae*: cf. cum capp. 11, 12 Hugon. de S. Victore *Erud. Did.* vi. 15 (Migne *P. L.* clxxvi. 810–812). 14 *Varro* etc.: Isid. *Orig.* viii. 9 § 13. 17 *siue arte siue furore*: Isid. *Orig.* viii. 9 § 14. 23 *Incantatores* etc.: Isid. *Orig.* viii. 9. 26 *Ariolos et magos* etc.: v. Lev. xx. 6; Exod. xx. 18.

Aruspices sunt inspectores horarum, praescribentes quid qua hora fieri expediat, quorum errorem dampnat Apostolus dicens: Timeo ne frustra laborauerim in uobis, obseruatis d enim dies et annos, menses et tempora; cum felicitas operis non a tempore sed a nomine Domini debeat expectari. Aruspicium quoque in extorum inspectione uiget, quam artem Tages quidam dicitur inuenisse. Vnde Lucanus:

Fibris sit nulla fides, sed conditor artis
finxerit ista Tages.

Extorum uero nomine censentur omnia quae cutis extremitate teguntur. Ex quo liquet eos esse aruspices, qui uaticinantur in ossibus animalium sine sanguine, siue futura praenuntient, siue praesentia pronuntient uel praeterita. Vaticinium siquidem est, quo cum intelligentia ueri abscondita proferuntur; cum et prophetiam non modo 408 a de futuris constet esse, sed de praesentibus et futuris et praeteritis. Si uero adhibeatur sanguis, ad nigromantiam iam accedit; quae inde dicitur, quod tota in mortuorum inquisitione uersatur. Cuiusuis ea esse uidetur, ut ad interpretationem ueri mortuos ualeat suscitare. Ea namque ludificantium demonum et humanae perfidiae illudentium fallacia est.

Phycii sunt quos spiritus phitonicus replet, et frequentius in uirginibus exercetur, ut magis ludificet; ac si immundissimo spiritui placeat integritas mentis aut corporis.

Vultiuoli sunt qui ad affectus hominum immutandos,

---

2 dampnauit M: damnat S 13 prenunciant M 23 Phicii CB

---

3 *Timeo* etc.: Gal. iv. 10, 11. 7 *Tages*: cf. Hugon. de S. Victore *Erud. Did.* vi. 15. 8 *Fibris* etc.: Luc. *Phars.* i. 626. 15 *cum et* etc.: v. Iunil. *Instit. Regul. Div. Legis* i. 4 (Migne *P. L.* lxviii. col. 18 et ap. Kihn *Theodor von Mopsuestia und Junilius* p. 473). 17 *Si uero* etc.: v. Isid. *Orig.* viii. 9 § 11; *Decret.* II. xxvi. 5 c. 14 § 2 (ed. Friedberg. I. 1032, 3). Quae sequuntur haud ex Isidoro excerpta sunt. Pontanus in Macrob. *Sat.* vi. 9 nonnulla ex amissis Macrobii libris de doctrina Vergilii augurali in capp. 12, 13 huiusce libri, necnon in libro ii. Policratici servata esse suspicatur. Vix dubium est quin Ioannes exemplar Saturnaliorum nostris perfectius habuerit: cf. *Classical Review* xi. 441 a. 23 *Phycii*: cf. Isid. *Orig.* viii. 9 § 21; *Decret.* II. xxvi. 3 et 4 c. 1 (ed. Friedberg. I. 1024); Ivon. Carnot. *Decret.* xi. 68. 24 *in uirginibus*: cf. Act. Apost. xvi. 16.

in molliori materia, cera forte uel limo, eorum quos per-
b uertere nituntur effigies exprimunt; cuius illusionis in Farmaceutria Virgilius meminit:

> Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit,
> uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.

Naso quoque in libro Heroidum:

> Deuouet absentes, simulachraque cerea fingit,
> et miserum tenues in iecur urget acus.

Horum uero malitia, etiam cum plurimum nocent, artificio leui dissoluitur, si uidelicet qui suspecti sunt conuenti ab aliquo crimen suum inficientur: aut si confessi fuerint, cogantur maleficium reuocare.

Imaginarii sunt, qui imagines quas faciunt quasi in possessionem praesidentium spirituum mittunt, ut ab eis
c de rebus dubiis doceantur. Hos idolatras esse sacra scriptura conuincit et diuinae maiestatis iudicio condempnatos.

Coniectores sunt qui artificio quodam sibi uendicant sompniorum interpretationem.

Chironomantici sunt qui a manuum inspectione rerum uaticinantur abscondita.

Specularios uocant, qui in corporibus leuigatis et tersis, ut sunt lucidi enses, pelues, ciathi, speculorumque diuersa genera diuinantes, curiosis consultationibus satisfaciunt, quam et Ioseph exercuisse aut potius simulasse describitur, cum fratres argueret surripuisse ciphum, in quo consueuerat augurari.

Mathematici sunt, licet appellatio generaliter omnia complectatur, qui a positione stellarum situque firmamenti,

---

7 simulacra AS 13 ymagines M 15 ydololatras M 16 condemnatos S: condempnandos uel condempnatos P 19 somniorum S 20 Chiromantici S 27 auguriari A (uel -rari)

---

4 *Limus* etc.: Verg. *Ecl.* viii. 80. 7 *Deuouet* etc.: Ov. *Her.* v. 91, 2. 16 *scriptura*: v. Ezech. xxi. 21. 18 *Coniectores*: v. Quintil. *Inst. Orat.* iii. 6 § 30. 20 *Chironomantici*: v. Forcell. ed. de Vit. in *chironomos, chironomonta* quae vocabula cum χειρομαντεία confusa esse videntur. 25 *Ioseph* etc.: v. Gen. xliv. 5.

et planetarum motu quae sint uentura coniciunt, ut est illud: d

Nostra uel aequali suspendit tempora libra
parca tenax ueri, seu nata fidelibus hora
diuidit in geminos concordia fata duorum;
nescio quod certe est, quod te michi temperat astrum:

ac si stellarum coreas applicationesque unius ad alteram constet rebus, quae ex arbitrii libertate proueniunt, quandam necessitatis praestare originem. Quorum genelliaci, qui geneses id est natalitias horas attendunt, imitantur errorem; unde satiricus:

Nota mathematicis genesis tua.

Idem uero horoscopi nominantur; unde rursus:

Geminos, horoscope, uaro
producis genio. 409 a

Viguit autem ista scientia, et forte eam aliquatenus licuit exerceri, donec Deum natum nuntiauit stella de celo, magosque non reprobos primitias fidei ad eum adorandum nouo et inaudito ducatu perduxit. Exinde uero penitus interdicta est.

Salissatores qui ex saltu membrorum aut inopinato corporis motu prosperum aliquid futurum autumant uel aduersum.

Sortilegi sunt, qui sub nomine fictae religionis superstitiosa quadam obseruatione rerum pollicentur euentus, quod genus sortes apostolorum et prophetarum et diuidentium,

---

5 facta M 9 preare CBA 21 Sallissatores S 26 et *post* apostolorum *om.* M

---

3 *Nostra* etc.: Pers. *Sat.* v. 47–51. 9 *genelliaci*: de genethliacis vide Gell. *N. A.* xiv. 1; Isid. *Orig.* viii. 9 § 23. 12 *Nota* etc.: Iuv. *Sat.* xiv. 248. 13 *horoscopi*: v. Isid. *Orig.* viii. 9 § 27. 14 *Geminos* etc.: Pers. *Sat.* vi. 18, 19. 18 *magos non reprobos*: v. Matt. ii. 19 *Exinde* etc.: v. Isid. *Orig.* viii. 9 §§ 25, 26; (cf. Tert. *de Idolol.* 9.) 21 *Salissatores*: v. Isid. *Orig.* viii. 9 § 29. 24 *Sortilegi*: v. Isid. *Orig.* viii. 9 § 28. 26 *sortes* etc.: de *sortibus sanctorum* vide Du Cange s.v. *sors* 2. Talium sortium ad exemplum *sortium Vergilianarum* usum condemnat Augustinus *ad Inquisitiones Ianuarii* ii. (seu *Ep.* lv) c. 20 § 37 (Migne *P. L.* xxxiii. 222). *diuidentium*: v. Du Cange s.v. *divisio* (1).

et inspectio tabulae, quae Pitagorica appellatur, obseruatio b quoque cuiusque casus in rei de qua quaeritur significatione.

Augurium uero, quod est in auium obseruatione, Phriges inuenisse traduntur, quod in uoce proditur aut uolatu. Est autem secundum traditionem eorum uolatus tam alarum quam pedum: *uola* siquidem est interior pars palmae uel pedis. Vnde apud Maronem in sexto *uolantes* pro gradientibus columbae describuntur. Hoc etenim ad ominis pertinet felicitatem, si columbae gradientes, dum tamen in pastu, itinerantes praecedant.

Cap. 13. *De uariis ominibus.*

In expeditionem missus consul Romanorum, dum nullius boni ominis sortiretur auspicium, columbas ieiunio confectas granis sparsis triticeis in uia qua iturus erat, praeferri iussit, ut uel earum omine auspicii duritiam sulleuaret. c Quae cum diligentius a cibis abstinerent, eas praecipitari iussit in fluuium, ut saltem biberent; submersaeque ui fluminis docuerunt consulem cum exercitu submergendum. Hic etenim secutus est euentus. Apes Platonis infantuli mel labiis inferebant, singularem dulcedinem eloquentiae eius futuram praesignantes. Hiero, summus postea Siciliae magistratus, quod uirtute promeruit, a patre nobilissimo uiro expositus est, eo quod ex ancilla susceptus dehonestamentum generis uidebatur, et quasi probrosa clari sanguinis macula. Sed paruulum et indigentem opis humanae apes circa eum melle congesto plurimis aluere diebus; et sic

9 hominis CBMS[1] 11 omnibus B 15 subleuaret S 20 eloquentie dulcedinem A 26 coniesto CBMS

1 *tabula Pitagorica*: de ratione divinationis per *sphaeram Pythagorae* vide quae ex codice ms. in bibliotheca Petriburg. apud Russos servato refert K. Gillert in *Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde* v. p. 254. 3 *Phriges* etc.: Isid. *Orig.* viii. 9 § 32; cf. Hugon. de S. Victore *Erud. Did.* vi. 15. 5 *Est autem* etc.: v. Isid. *Orig.* xii. 7 § 75. 6 *uola* etc.: cf. Isid. *Orig.* xii. 7 § 4. 7 *Maronem in sexto*: Verg. *Aen.* vi. 191; v. Serv. *in Aen.* vi. 198 ad fin. 12 *consul Romanorum*: viz. P. Claudius Pulcher B.C. 249; v. Val. Max. iv. 3, qui tamen non *columbarum* sed *pullorum* mentionem facit; cf. Cic. *de Div.* ii. 8; Suet. *Tib.* 2; Flor. *Epit.* ii. 2 § 29. 19 *Apes* etc.: v. Cic. *de Div.* i. 36, ii. 31; Val. Max. i. 6. 21 *Hiero* etc.: Iustin. xxiii. 4.

consilio aruspicum ei regnum portendi canentium, a patre **d** agnitus recollectus et diligenter institutus est. Paruuli Midae cunabulis formicae grana tritici congerebant, significantes eum futurum ditissimum. Vnde et res aureas ipsius attactu fieri poetae finxerunt. Sulpitio sacerdoti lapsus apex de capite sacerdotium abstulit. Occentus soricis auditus Marco Fabio praefecturam. Si nugis Hiberis per omnia credis, si uestem in operis tui initio a soricibus corrosam senseris, tempera ab inceptis. Si egrediens limen calcaueris, aut in uia offenderis, pedem contine. Si in procinctu agendorum aliquid dampni pertuleris, differes inchoata, ne uel tota intentione frustreris, aut inutiliter impleatur. Expecta, dum omine meliori faustam agendis horam arripias. Omnia namque sunt aliquid. Cum processeris, abscondita futurorum aues, quas ominales uocant, **410 a** tibi praenuntiabunt. Quaenam sint istae, forte interrogas; quas scilicet de natura hominum in formam auium poetae asserunt esse conuersas. Quid cornix loquatur diligenter ausculta, situmque eius sedentis aut uolantis nullo modo contempnas. Refert etenim plurimum, a dextris sit an a sinistris, qua positione respiciat cubitum gradientis, loquax sit an clamosa an silens omnino, praecedat an sequatur, transeuntis expectet aduentum an fugiat, quoue discedat; non negligenter attende. Ait namque Virgilius:

> Quod nisi me quacumque nouas incidere lites
> ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix,
> nec tuus hic Meris nec uiueret ipse Menalcas. **b**

---

11 damni S   14 Omina CB   20 contemnas S

---

2 *Paruuli* etc.: Val. Max. i. 62; cf. Cic. *de Div.* i. 36, ii. 31.   5 *Sulpitio* etc.: Val. Max. i. 1. 45.   7 *Marco Fabio praefecturam*: Val. Max. loc. cit. habet *Fabio Maximo dictaturam.*   *nugis Hiberis*: v. Hieron. *Prol. in Pentat.*; *contra Vigil.* § 6; *in Amos iii.* 9, 10; *Ep.* cxx. *ad Hedibiam* § 10 (Migne *P. L.* xxviii. 150, xxiii. 345, xxv. 1018, xxii. 998). Omen haud dissimile ap. Ciceronem *de Div.* i. 44 reperiri potest; cf. B. Jonson, *The Fox*, act iv. sc. 1 (ed. Gifford and Cunningham, iii. p. 266).   15 *ominales*: hoc vocabulum, quod alibi non invenies, in Gell. *N. A.* v. 17, ubi codices *inominalem* habent, legendum esse coniecit Salmasius *de annis climactericis*, p. 824. Verisimile est Ioannem nostrum haec ex amissis Macrobii capitulis de doctrina Vergilii augurali traduxisse; vide quae dixi supra ad cap. 12.   25 *Quod nisi* etc.: Verg. *Ecl.* ix. 14–6.

Quamuis in eo uideatur in artem offendisse, quod cornix, quam uitae seruatricem asseruit, rerum magnarum ignorat auspicia; nisi forte in ea praeter naturam fiat ostentum, quale est quod imminente bono et optato perosi imperatoris exitio de rupe Tarpeia per urbem cornix Graeco eloquio protulit, Bene erit. Quod augur interpretatus ita exposuit;

Nuper quae sedit Tarpei culmine cornix,
Est quia non potuit dicere, dixit *Erit.*

Sed ignosces uiro doctissimo rusticanam simplicitatem exprimenti, aut quia pauperum uita diuitibus res uideatur exigua, qui humanum genus ut paucis seruiat asserunt institutum. Coruus uero, quem non minori diligentia
c obseruabis, rebus maioribus auspicatur, et usquequaque cornici praeiudicat. Porro cignus, in auguriis ales gratissima nautis, utpote quae aquarum domestica quadam gratia familiaritatis earumdem secreta praenouerit. An nescis apud Maronem

bis senos letantes aere cygnos

reducem classem Eneae Veneris uaticinio nuntiasse? Eorum namque hilaritas non modo nautis, sed et quibusque peregrinantibus felicium euentuum gratiam spondet, nisi fortioris superetur aduentu. Aquila namque sicut rex auium est, si non alarionem excipias, quae forte aquilarum species potentissima est, regni sui maiestate omnium auium, si contra loquatur, fidem euacuat. Potuerat apud Statium praesagio uolucrum Graecorum exercitus confortari. Sed
d fortior ecce aduentans per inane cohors, Amphiorao interprete, Graecorum quoque exitium patefecit. Licet enim aquila quarumdam auium uiribus superetur, in praenuntia-

---

20 hylaritas CB

---

5 *Tarpeia* etc.: Suet. *Dom.* 23. 14 *ales gratissima nautis*: v. Isid. *Orig.* xii. 7 § 19 (ex Aemilii Macri ὀρνιθογονίας). 'Cygnus in auspiciis semper laetissimus ales. Hunc optant nautae, quia se non mergit in undas.' 18 *bissenos* etc.: Verg. *Aen.* i. 393. 23 *alarionem*: v. Littré s. v. *alérion*. Haud bene Du Cange *valeriam* ex Plin. *H. N.* x. 3 coniicit: potius in Plinii loco sub *eademque ualeria* latet *alario*. 25 *Statium*: Stat. *Theb.* iii. 523 seqq. 27 *fortior* etc.: Stat. *Theb.* iii. 530, 531.

tione ueri nulla potentior est. Cunctis siquidem auibus excellentius uolat et ab ipsius Iouis archano numquam excluditur. Cumque tanto uisus acumine uigere dicatur, ut ab ethere summo pisciculos in fundo maris contueatur, et in ipsum solem, quod nulli animantium licet, figat obtutum, sensuum quidem subtilitate de Iouis gratia conscientiam ueritatis rerumque mysteria mutuatur. Quis enim falsum interpretem dicat, quem consiliorum Iouis nouit esse participem? Locris aduersus Crotonienses dimicantibus, aquila dum pugnabatur superuolans uic- 411 a
toriam dicitur contulisse, cum pauci numero deleuerint infinitos. Hoc tamen ualidiori signo scribitur roboratum, eo quod duo iuuenes procerioris staturae, elegantioris formae, in candido habitu, ab utroque latere Locros praecesserint; scilicet, ut erat communis opinio, Castor et Pollux. Omina uero huiusmodi cum geminantur potentiora sunt. Dum Hiero, de quo supra, prima bella iniret, aquila ex improuiso resedit in clipeo progredientis, manu promptum regemque futurum significans. Ea die qua natus est Alexander, duae aquilae tota die per pedes supra culmen domus patris eius sederunt, omen duplicis imperii Europae Asiaeque praeferentes. Vultures difficultatem portant, duritiam, rapacitatem, sicut habes in origine urbis con- b
dendae. Fenix singularis felicitatis successus pollicetur, quale est quod noua Roma uiso fenice melioribus auspiciis condita est. Auis picta urbi Pictauorum contulit nomen, leuitatem gentis colore et uoce praefigurans. Ardea rerum

6 obtuitum S: optutum A 7 misteria AS 20 per] prae M
21 dupplicis S

3 *Cumque tanto* etc.: v. Isid. *Orig.* xii. 7 §§ 10, 11. 9 *Locris* etc.: v. Iustin. xx. 3. 17 *Dum Hiero* etc.: Iustin. xxiii. 4. 19 *Ea die* etc.: Iustin. xii. 16. 24 *Fenix* etc.: Phoenicem a Constantinopolis conditore visum esse nemo praeter Ioannem nostrum, quod sciam, narrat; phoenicis tamen effigiem cum hac inscriptione FELIX TEMPORVM REPARATIO in nummis exhibuisse Constantem et Constantinum II, imperatores, Constantini Magni filios, me vir rei numismaticae peritissimus Carolus Oman certiorem fecit; cf. Cod. Iustinian. I. 17 § 10 'regiam nostram quae Deo propitio cum melioribus condita est auguriis.' 26 *Auis picta*: de picae cultus apud Pictavos reliquiis vide Grimm, *Deutsche Mythol.* c. 21.

arduarum auspicium est. Ciconia, quoniam auis concordiae est, concordiam inuenit aut concordiam facit. Grus semper affert quod expedit; unde et *gruere*, uerbum antiquum, a quo *congruere*, quod proficit; et *ingruere* contra, quod officit. Vnde illud:

bis uitibus ingruit imber.

Nec tamen minores contemptui habeas, cum et pica loquax, sicut ad multa, sic ad susceptionem hospitum te faciat
c cautiorem. Si auis, quae uulgo dicitur albanellus, praeteruolans uiam, a sinistris feratur ad dextram, de hospitii hilaritate ne dubites; si contra, contrarium expectabis. Aues quoque domesticae artificii huius non sunt expertes, cum galli cantus spem, iter, uel opus inchoantis promoueat. Tiberio nascituro, praegnans Liuia ouum gallinae subductum eo usque nunc suis, nunc ancillarum manibus fouit, donec gallus insigniter cristatus exclusus est; unde et augures puerum, qui nasciturus erat, dixerunt regnaturum. Bubonis, strigis, et noctuae semper infausta sunt omina. Noctua tamen eo quod noctis tenebris non cecatur, diligentis hominis uigilantiam signat; ut in portento, quo in hasta Hieronis, cum primum progrederetur ad bellum,
d noctua dicitur consedisse, significans eum futurum diligentissimum. Bubonem Dido, dum misceretur Eneae, sensit infaustum. Si accipiter quippiamue generis huius sub oculis proficiscentis solitam rapinam exerceat, inter eundum rapacitas imminebit. Quod et iocculariter innuens Naso ait:

Odimus accipitrem quia semper uiuit in armis.

Regulus quoque ipse, qui et bitriscus dicitur, uera quan-

1 Cyconia CB 6 ymber A 11 hylaritate CB 14 Tyberio M

3 *unde et gruere* etc.: cf. Paul. Diac. vii. p. 97, iii. p. 401 ed. Müller. Hoc Macrobio, quem constat Festi libro usum esse, nostrum debere suspicor. 6 *bis uitibus* etc.: Verg. *Georg.* ii. 410; *Aen.* xii. 284. 7 *pica loquax*: Martial. 14. 76. 9 *albanellus*: cf. De Corbiac ap. Diaz. *Veter. Poët. Occit.* p. 22; v. Du Cange ed. 1883 s. v. *albanellus.* 13 *galli cantus* etc.: v. Plin. *H. N.* x. 24; (cf. Cic. *de Div.* ii. 26.) 14 *Tiberio* etc.: Suet. *Tib.* 14. 21 *Hieronis* etc.: Iustin. xxiii. 4. 23 *Bubonem Dido* etc.: v. Verg. *Aen.* iv. 462. 24 *infaustum*: cf. Claudian. *Eutrop.* ii. 407 et Plin. *H. N.* saepissime. 27 *Odimus* etc.: Ov. *Ars Amat.* ii. 147. 28 *bitriscus*: v. auctores ap. Du

doque portendere non dedignatur. Minutae etiam aues aduentu suo uel recessu significant familiam nunc minui, nunc augeri. Omnium uero uolatus quanto serenior, tanto laudabilior. Vnde Melampo augur praenominatus conqueritur, stragem Graecorum coniciens ex uolatu;

Vides ut nulla serenos
ales agat cursus. 412 a

A bestiis quoque uiarum tuarum euentus scrutaberis. Leporis timebis occursum, si tamen euaserit. Est enim proculdubio longe commodior in mensa quam in uia. Lupo obuio congratulaberis; boni siquidem nuntius est, licet solo uisu nocere soleat ei quem ante praeuiderit, uocemque praecludere. Iuxta illud:

Vox fugit ipsa, lupi Merim uidere priores.

Hiero Siculus litteratorio insistens studio inter coaequales stilo operam dabat, eique lupus in turba puerorum repente conspectus tabellam eripuit, successus hominis firmans inaudita forma prodigii. Quid multa? lupi efficaciam non b
negabit, quisquis genus Romanorum lupino lacte non ambigit educatum. Vnde plerumque quod in eis dulcius est, adhuc lupinum saporem retinet; primique eorum fidem, quam a matre Lupa didicerant, sibi inuicem seruauerunt, eademque quadam lege naturae manauit ad posteros. Ouibus gratanter obuiam gradieris, dum capram uites, cui alludens poeta ait:

Occursare capro, cornu ferit ille, caueto.

Bobus triturantibus, libentius tamen arantibus, obuiabis. Nec displiceat si uiam ruperint, quia mora itineris hospitii gratia compensabitur. Mulus infaustus est, asinus inutilis;

---

4 *post* laudabilior *add.* est M   15 Hyero A   22 didiscerant CBMS

Cange citatos. Ad locum nostrum si Bollandistae in vita S. Aviti advertissent, de *bitorio*, Gallice *butor*, i. e. ardea, haud cogitavissent. 4 *praenominatus*: sc. 410 C, D supra. 6 *Vides* etc.: Stat. *Theb.* iii. 503, 4. 10 *Lupo* etc.: v. Plin. *H. N.* viii. 34. 14 *Vox* etc.: Verg. *Ecl.* ix. 53. 15 *Hiero* etc.: Iustin. xxiii. 4. 26 *Occursare* etc.: Verg. *Ecl.* ix. 25.

c etsi utilissimi sint ad onera perferenda. Equus quandoque bonus est; sed in eo nichil utilius quam quod humanis usibus seruit. Habet uero iurgiorum et pugnae significationem. Interdum tamen ex colore et usu mitigatur; unde apud Virgilium, uisis albis equis apparente Italia, senior Anchises exclamat:

Bellum, o bellum, terra hospita, portas.

Ceruum, capreolum, aprumque siluestrem, onagrum et cetera huius generis malo prandenti apponas quam uianti opponas. Eneas, ceruis pro nauium numero fusis, omen quod contrarium uidebatur, ad se sociorumque fortunam uirtute retorsit. Canis sequipeda commodissimus est; cuius, si uera est Hebreorum traditio, nec angelus ipse Tobyae d socius aspernatus est comitatum. Quid quod Cirus scelere aui expositus in siluis ut periret, caniculae uberibus regnum adeptus est Persarum. Locusta etsi minimum possit, itinerantium tamen praepedit uota; ex eo forte sic dicta, quod *loco stare* faciat gradientes. E contra cicada uiatoris promouet gressum et initiatorum amenat exitum. Aranea dum a superioribus filum ducit, spem uenturae pecuniae uidetur afferre. Obuius buffo futuros successus denuntiat; michi tamen uel solo uisu molestus est. Verumtamen homine ipso nichil potentius, nichil efficacius est, nichilque mortalium umquam inuenies quod euidentius exprimat ueritatem. Porro si artem diligenter exequeris, conditionem eius, et dona naturae, situm, gestum, motumque corporis, 413 a sensumque sermonis, tota mentis intentione notabis. Sacerdotem obuium aliumue religiosum, dicunt esse infaustum.

1 honera S 4 uisu M mitigantur CB 9 pendente P 13 ebreorum M tobie S: tobiae M 18 cycada A 23 omine A ipso] illo A

7 *Bellum* etc.: Verg. *Aen.* iii. 539. 10 *Eneas* etc.: v. Verg. *Aen.* i. 192, 193. 13 *Tobyae*: v. Tob. vi. 1. 14 *Cirus*: v. Iustin. i. 4. 19 *Aranea* etc.: cf. quae de simili omine apud nos narrat S. Baring-Gould, *The Red Spider.* 27 *Sacerdotem* etc.: Sacerdotes aut ministros in nauibus portare infaustum esse putant nautae nostri. Hanc religionem a Ionae historia ortam esse plerique credunt, sed ex hoc loco forsitan a Macrobio excerpto aliunde prouenisse suspicor.

Ego quoque perniciosum credo non modo sacerdotibus sed et uiris sapientibus contraire. Melius quoque est obuiare genti seruorum quam his qui summa sunt praediti potestate. Feminam quoque, quae capite discooperto incedit, infelicem crede; nisi, ut apud Plinium legitur, publica sit aut plurium libidini pateat prostituta. Nec expedit illi occurrere, quae amoto uelo caput suum deturpare non erubescit. Ab his quae primo audieris inter operis cuiusque auspicia quid sequatur praenosces.

Hinc Deus incumbens baculo quem dextra gerebat,
    Omnia principiis, dixit, inesse solent.
Auditas uoces timida perpendimus aure,
    et primam uisam consulit augur auem.

Ea siquidem futurorum praenostica sunt. Petilius consul b
Romanus obpugnans castrum in Sicilia, cui nomen Letum erat, cum milites accingerentur ad pugnam, ait: Ego hodie Letum capiam. Casuque sic accidit, cum ipse eadem die fuerit interemptus. Alius quoque consul, cum a senatu destinaretur ad expugnandum regem Persarum, a filia quam in ostio domus flentem obuiam habuit, causam quaesiuit; cumque illa responderet, perisse Persam (sic enim catulus, qui forte perierat, dicebatur), profectus in expeditionem triumphum non inuenit, eo quod rex Persarum perierat, quando filia consulis catulum flebat amissum.

Ab ipsis etiam elementis, aut temporis qualitate, rerum c
frequenter trahuntur auspicia. Fortunae duritiam gratia roris aut modestus imber emollit. Roscidum quippe et suppluuiale tempus aerque sudus, dum operis cuiusque incunctanter ortum prosequitur, creditur eiusdem fortunare

7 ammoto S capud A 11 omina CBMS 20 hostio S 21 persam periisse M 24 ammissum S 27 ymber A Rocidum AM 28 subpluuiale A

5 *Plinium*: Nihil tale apud Plinium reperire potui; de omine fausto a meretricis occursu cf. Leland, *Gipsy Sorcery*, p. 129. 10 *Hinc Deus* etc.: Ov. *Fast.* i. 177–80. 14 *Petilius* etc.: v. Val. Max. i. 5 § 9. 15 *in Sicilia*: potius in Liguria. 18 *Alius quoque* etc.: v. Cic. *de Div.* i. 46. 28 *suppluuiale*: Hoc vocabulum neque ap. Forcell. ed. de Vit. neque ap. Du Cange invenitur.

processum. Cum fortuna quae Frigios exules liuenti oculo diu perstrinxerat, tandem benignius, quasi de specula gratiae, respexisset,

olli ceruleus supra caput astitit imber.

Venus naufrago filio apud Didonem hospitium praeparans eundem fido Acate comitatum, dum in reginae gratiam introduceret, caua nube obtexit. Tonitrua quoque uarias habent significationes. Si enim afferant quamcumque ful-
d minis lesionem, infausta sunt. Vnde illud:

Saepe malum hoc nobis (si mens non leua fuisset)
de celo tactas memini praedicere quercus.

In his autem et illud perpenditur, an semita una descenderit, an multipharia aeris ruptione diffusos sparserit ignes. Hoc equidem semper tristius est. Dum Gaius Cesar ciuili bello patriae immineret, quam fulminosus aer extiterit, quot habuerit igneos turbines, quot trabes emiserit, nec ueteres historiae sufficiunt enarrare; et tunc

ignota obscurae uiderunt sidera noctes.

Si uero fulminis careat tempestate, si leuum sonet, deorum
414 a creditur nuntiare fauorem. Eneas Iouem a sinistris tonantem audiens se eum praemissis sacrificiis opinatur habere propitium. Sed qualitercumque ista se habeant, innatum timorem hominum poterit mitigare, quod nemo sentiet fulminis ictum, si ante tonitrui sonum audierit aut praeuiderit choruscationem. Tiberius Caesar turbatiore celo lauream coronam gestabat in capite, quia hoc genus frondis fulmine negatur afflari. Tonitrua siquidem timidissime et uehementer semper exhorruit. Est tamen quod proculdubio longe tutiorem faciat hominem, si fidem

1 progressum A[1] 4 ymber C 6 achate AM 27 negetur M 29 facit M

4 *Olli* etc.: Verg. *Aen.* v. 10. 5 *Venus* etc.: v. Verg. *Aen.* i. 411 seqq. 10 *Saepe* etc.: Verg. *Ecl.* 1. 16, 17. 14 *Dum Gaius* etc.: ex Catulo Parmensi testibus codd. SP. 18 *ignota* etc.: Lucan. *Phars.* i. 526. 20 *Eneas* etc.: v. Verg. *Aen.* ix. 630 seqq. 25 *Tiberius* etc.: Suet. *Tib.* 69.

crucis seruet in pectore, iustitiam fidei gestet in capite, et salutiferum signum fidei manus innocens figat in fronte, illum semper prae mente habens, qui cultoribus suis omnem mundi timorem excutiens ait: A signis celi ne timueritis, quae timent gentes, quia ego uobiscum b Dominus Deus uester. Haec quoque uerba inter tonandum uel audita uel dicta scribuntur a quibusdam noxam fulminis amouisse. Nichil autem est, quod imminentibus signis ita totum concutiat hominem, sicut mens sibi conscia iniquitatis, et quae scelerum suorum penam ad singula timet exposci. Vnde ethicus de criminosis:

Hi sunt qui trepidant et ad omnia fulgura pallent.

E contra: Iustus confidit ut leo; et illud: Non contristabit iustum quicquid ei acciderit. Fulgor equidem igneus, si urendo non noceat, celebritatis gloriam affert. Neque quia non urit, igneus non est; si tamen in hoc Plato recipitur. Duae sunt, inquit ille, ut opinor, uirtutes ignis; c altera edax et peremptoria, altera mulcebris et innoxio lumine. Posteriorem asserit operatricem uisus, et in superioribus uim suam maxime exercere. Ascanium fatalis exilii cum patre discrimina subeuntem ignis de celo quasi succenso capite illustrauit, praenuntians ei deberi felicitatem exilii, ipsumque futurum in gentem magnam. Alexandri Macedonis et Octauiani Augusti sub ipso eorum ortu claritas ignis miraculo declarata est. Proficiscentem, expeditionem dum egreditur, prosequens uentus successuum spe fortunat; dum in hostes uexilla feruntur, aeris testimonio uexilla triumphabunt. Si uero patriae imminent, iustissimum incutiunt metum.

12 Hii S 24 Octouiani M

2 *signum fidei*: De crucis signo et Tonantis septentrionalis malleo v. Grimm, *Deutsche Mythol.* c. 8. 4 *A signis* etc.: Jerem. x. 2; cf. 1 Paralip. xxii. 18. 12 *Hi sunt* etc.: Iuv. *Sat.* xiii. 223. 13 *Iustus* etc.: Prov. xxviii. 1. *Non contristabit* etc.: Prov. xii. 21. 16 *Plato*: Tim. 45 B vers. Chalcidii. 20 *Ascanium* etc.: ex Catulo Parmensi testibus codd. SP; vide Verg. *Aen.* ii. 679 seqq. (cf. Suet. *Tib.* 14; Ioann. Saresb. *Vita Anselmi* c. 4.) 24 *Alexandri* etc.: v. Suet. *Oct.* 94. 26 *prosequens uentus*: cf. Verg. *Aen.* iii. 130.

d Terra quoque ipsa mysteriorum conscia est, sed grauia omnia frequentius portat, eo quod fundata super stabilitatem suam mauult quiescere quam moueri. Cum ergo mugitus eius auditur, amaris euentibus condolet, et quo affectu suis compatiatur alumpnis, uocis suae tristitia protestatur; magna siquidem et pia parens omnium est. Studuerat haec ab amplexu hospitis arcere Phenissam, sed quia conciliatrix hospitii Venus iam praeualuerat, tacta dolore cordis intrinsecus mugiit, quoniam ei mugitus pro gemitu est. Haec eadem quotiens tremit, filiis suis praeuidet aliquid metuendum, nisi forte parturiendo laboret. Tunc uero uel omnino facit abortum, aut inutilem fetum parit, quia ut multum, saepe cum

415 a parturiunt montes, procedit ridiculus mus.

Haec sunt quibus totam uigilantiam suam uideas accommodare quam plurimos.

416 a Cetera de genere hoc adeo sunt multa, loquacem
ut lassare queant Fabium,

quibus quaecumque domus institerit, eam nec ab ipsa salute arbitror posse saluari.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

---

1 misteriorum AS 2 omina SM 5 alumnis CBS 12 oborsum SM 14 comparturiunt S procedit] nascetur P

---

7 *Studuerat* etc.: v. Verg. *Aen.* iv. 166. 14 *Parturiunt* etc.: Hor. *A. P.* 139. 17 *Cetera* etc.: Hor. *Sat.* i. 1. 13, 14. 19 *eam* etc.: v. Ter. *Ad.* iv. 7 fin.

INCIPIT LIBER SECUNDUS POLICRATICI 415 a

Prologus.

Omnia cedunt in usum sapientis, habentque materiam uirtutis exercendae, quaecumque dicuntur aut fiunt. Nam et otia eius negotia sunt, et dum rationis libramine rerum omnium uires pensat, prouida dispensatione quicquid ad b
beatitudinem proficit quadam quasi manu uirtutis apprehendit. Tunc ergo diuinae sapientiae tuae argumento ualidissimo dupliciter fidem facis, dum et in tuis actibus rectus incedis et philosopharis in nugis alienis. Alacres itaque exeant nugae nostrae, quas serenitas tua prodire iubet in publicum, ut coniectores mathematicos cum quibusdam aliis nugatoribus introducant; quia quibus dedisti egrediendi audaciam, securitatis quoque fiduciam praestabis. Connectantur ergo inferiora superioribus, et si quid in alterutris uitiosum aut deforme apparuerit, benignitatis tuae prudentia corrigatur.

Cap. 1. *Omina uana esse, et res ex fide sua cuique respondere.*

Rusticanum et forte Offelli prouerbium est: Qui sompniis c
et auguriis credit, numquam fore securum. Ego sententiam et uerissimam et fidelissimam puto. Quid enim refert ad consequentiam rerum, si quis semel aut amplius sternu-

---

1 Incipiunt capitula secundi libri *et post capitula* Expliciunt capitula libri secundi CBM: Incipit prologus ii. libri CB: Incipit prologus libri secundi M: Incipit prologus secundi libri A: Incipiunt capitula secundi libri *et post capitula* Expliciunt capitula Incipit prologus libri secundi S 18 Omnia A[1] 20 somniis CBS

---

20 *Rusticanum et forte Offelli*: v. Hor. *Sat.* ii. 2. 2, 3. 23 *sternutauerit*: De ominibus a sternutatione et de usu symboli et orationis Dominicae (vid. infra) et signi crucis inter sternutandum

tauerit? Quid si oscitauerit? Quid denique si undecumque sonum emiserit? Haec tamen, ex causis quas phisici nouerunt, aliquatenus ad eum pertinent circa quem fiunt. Esto, dum aliena opera impedire aut promouere non queant; sicut nec inania carmina aut superstitiosae quaedam ligaturae, quae tota medicorum secta condempnat, licet haec ipsa a quibusdam eminentiori quodam nomine phisica
d soleant appellari. Phisica etenim dicunt, cuius occultissima ratio est, ut humano sensu nequeat comprehendi. Nichil etenim est uel fit, cuius ortum legitima causa et ratio non praecedant; et, ut alius ait, nichil fit in terra sine causa. Constat itaque quia artificis naturae manum nichil euadit. Ex quo consequenter patet ad phisicam omnia pertinere. Ego quidem, quocumque modo ista se habeant, indubitanter credo illa sola non esse respuenda quae ex fide proueniunt et referuntur ad gloriam omnipotentis Dei; cum scriptum nouerim: Omnia quaecumque in opere uel in uerbo feceritis, in nomine Domini facite; in quo sola uia hominis prosperatur. Sic omnium sanctorum turba praecessit. Cuthbertus sig-
416 a nifer quidam gentis nostrae in lege Domini euangelium Iohannis superponebat infirmis, et curabantur. Beati Stephani tunica superposita mortuum suscitauit. Symbolum apostolorum demoniacum, a quo gestabatur, curauit. Oratio dominica herbis, dum legebantur aut dabantur ex
b fide dicta, saepissime contulit optatum salutis effectum.

---

10 legittima SM   17 in *post* uel *om.* M   22 Simbolum ASM

---

cf. pseudo-Aug. *Serm.* cclxxviii (Migne *P. L.* xxxix. 2269) *de Rectitud. Convers. Cathol.* (*P. L.* xl. 1172).   5 *ligaturae* etc.: v. Isid. *Orig.* viii. 9 § 30.   8 *Phisica* etc.: De hoc usu vid. *Medicina Plinii*, ii. 37, 47, ed. Basil. 1528 pp. 55 A. 59 C, Theod. Prisc. ed. Rose, p. 46. 17, 220. 7; cf. Salmasium in *Hist. Aug.* ed. Lugd. Bat. 1671, ii. p. 457, Reinesium *Var. Lect.* p. 392.   9 *Nichil fit cuius* etc.: Plat. *Tim.* 28 A. vers. Chalcidii.   11 *Nichil fit in terra* etc.: Iob v. 6.   17 *omnia* etc.: Col. iii. 17.   18 *uia prosperatur*: v. Ierem. xii. 1.   19 *Cuthbertus* etc.: Aliud miraculum de hoc libro S. Cuthberti narrat Symeon Dunelmensis (*Rolls Series* ii. p. 361, *Acta SS.* Mart. iii. 1425).   21 *Beati* etc.: v. Aug. *de Civ. Dei*, xxii. 8 §§ 12, 16 (quem tamen parum accurate citat Noster).   22 *Symbolum* etc.: cf. *Dict. of Christian Antiq.*, s. v. 'Exorcism.'

Beatus Benedictus signo crucis uas mortiferum fregit, ac si pro signo lapidem intorsisset. Capitula euangelii gestata uel audita uel dicta inueniuntur profuisse quamplurimis. Haec equidem et similia non modo licita sed et utilissima sunt. Alia uero non tam contempnenda quam fugienda. Certum siquidem est quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Infideles autem et reprobos aut etiam hesitantes in fide multis permittit Deus ludificationibus subiacere. Omnia tamen omina tantum possunt quantum excipientis fides permittit. Vnde et Iulius Cesar nullo augurio nullaue superstitione a quocumque incepto potuit absterreri. Contigit enim ut quandoque in Affricam naui- c gio proficiscens in egressu nauis prolaberetur; uerso itaque ad melius omine, Teneo te, inquit, Affrica: eamque obtinuit. Praeterea Calpurnia uxor eius ea nocte, quam is in terra ultimam gessit, uidit eum multis uulneribus confectum in sinu suo iacere, rogansque ut die sequenti a curia abstineret, non obtinuit, ne ille in uita sua aliquid timidum quocumque auspicio egisse uideretur. In excidio Massiliensium, lucum qui diis sacratus habebatur, primus ausus est caedere, probans se ab omni superstitione alienum. Beatus quoque Marcus euangelizandi causa Alexandriam proficiscens, cum nauem egressus rupisset calceum, gratias agens iter suum expeditum esse protestatus est. Si quis reuocatur inter d eundum, non ob hoc, si quidem in nomine Domini fuerat inchoatum, praetermittat, nisi forte omnem reuocationem ominosam esse corui persuadetur exemplo, qui coloris amisit uenustatem, dum reuocatus a cornice progredi maluit quam manere. His uero mens nugis incauta seducitur, sed fidelis nequaquam adquiescit.

14 optinuit A 18 optinuit A 25 quid M 26 omen M

1 *Beatus* etc.: Greg. Magn. *Dial.* ii. 3 (Migne *P. L.* lxvi. 136). 6 *diligentibus* etc.: Rom. viii. 28. 12 *Contigit* etc.: Suet. *Iul.* 59. 15 *Calpurnia* etc.: v. Val. Max. i. 7 § 2. 19 *In excidio* etc.: v. Luc. *Phars.* iii. 436 seqq. 21 *Beatus* etc.: v. *Acta SS.* Apr. iii. 348 A. 27 *corui* etc.: v. Ov. *Met.* ii. 547 seqq.

Cap. 2. *Non contempnendas esse omnino rerum naturalium significationes.*

Non tamen, licet omina uana esse, fidemque auguriis asseram non habendam, ideo signorum, quae a dispositione diuina ad erudiendam creaturam concessa sunt, fidem et fructum euacuo. Multipharie siquidem multisque modis
417 a suam Deus instruit creaturam, et nunc elementorum uocibus nunc sensibilium aut insensibilium rerum indiciis, prout electis nouerit expedire, quae uentura sunt manifestat. Futuras itaque tempestates aut serenitates signa quaedam antecedentia praeloquuntur, ut homo, qui ad laborem natus est, ex his possit exercitia sua temperare. Hinc agricolae hinc nautae familiaribus quibusdam experimentis quid quo tempore geri oporteat colligunt, qualitatem temporis futuri ex eo quod praeteriit metientes. In qua re nec aues, de quibus sermo praecessit, parentis naturae beneficio arbitror destitutas. Mergus, alcion, cignus archana naturae frequenter aperiunt. Cum etenim circa medium hyemis
b alciones nidificare ouaque fouere conspexeris, de quindecim dierum gratissima serenitate ne dubites, eosque nautae solent diligentius obseruare, dicunturque dies alcionitae, quibus uix uel tenuis flatus aura sentitur. Hos ad procreationem pullorum suorum sibi a natura concessos uerisimiliter opinaberis. Cum uero fluuialium auium corpora in aquis auidius mergi conspicies, imbres expecta. Cum clamorem cornicis audies matutinum, pluuiam petit.

> Haut ideo credo quia sit diuinius illis
> ingenium, aut rerum fato prudentia maior,

---

1 Concontempnendas M 11 praelocuntur M 12 exercicia sua B: exerticia sua A 17 alcione CB 19 xv SM 26 audieris M

---

6 *Multipharie* etc.: Heb. i. 1. 11 *homo* etc.: Iob v. 7. 17 *Mergus*: v. Plin. *H. N.* xviii. 87. *alcion*: v. Varr. ap. Gell. iii. 10, Plin. *H. N.* ii. 47, x. 47, xviii. 62, Ov. *Met.* xi. 745 seq. 26 *cornicis* etc.: v. Verg. *Georg.* i. 388, Plin. *H. N.* xviii. 87. 27 *Haut* etc.: Verg. *Georg.* i. 415, 416.

sed quia morantes in aere motus illius citius in seipsis sentiunt, et inde hilaritatem concipiunt aut merorem. Nec c
mirum, cum et grauiora animalium corpora ad exteriorum motus frequentissime disponantur, et archano quodam naturae consilio gerant elementis necessarium morem. Quae enim animalibus corporibus bona uel mala immineant, si se temporaliter uel extemporaliter reddiderint tempora, ars phisicorum regulis suis satis probabiliter comprehendit. Futuram etiam sanitatem aut egritudinem aut statum quem dicunt neutralitatem, fatalitatem quoque ipsam ex praecedentibus signis agnoscunt, et interdum, si causas nouerint, efficacissime curant. Si uero, ut uerbo eorum utar, causas ignorant, quomodo curant? Non utique artis beneficio, sed fortunae. Iudicium uero, quod ex signorum cognitione proferunt, etsi difficile, saepe uerissimum est. Multis d
quoque signis tranquillitas et uariae tempestatum formae procellarumque produntur, quae uelut in specula lunae orbis insinuat. Ostendit namque rubicundus color uentos, cerulus pluuias, ex utroque commixtus nimbos indicat furentesque procellas. Letus ortus serenitatem nauigiis repromittit, quam gestat uultu, praecipue si quarto ortu (is enim auctor certissimus est) neque obtusis cornibus rutila neque infuso fuerit humore fuscata. Tunc enim

totus et ille dies, et qui nascentur ab illo,
exactum ad mensem uento pluuiaque carebunt.

Sol quoque cadens interest utrum aequalibus gaudeat radiis an obiecta nube rutilet, utrum soluto splendore fulgidus an uentis urgentibus igneus, niue sit pallidus an pluuia sit 418 a

---

2 hylaritatem CB 6 animalium A² 19 ceruleus A *marg.* comixtus S 22 autor CB 27 solito SM

---

12 *ut uerbo eorum utar*: v. Cels. i. *Prooem.* (ed. Daremberg, p. 3 l. 16, alibi). 15 *Multis* etc. usque ad fin. cap. 2: Veget. *de Re Mil.* v. 11. 18 *rubicundus*: v. Plin. *H. N.* xviii. 79, Verg. *Georg.* i. 430, 431. 19 *cerulus*: Lunam nigram pluvias indicare asserunt Verg. et Plin. locc. citt., solem autem caeruleum Verg. *Georg.* i. 453. 21 *quarto ortu* etc.: v. Verg. *Georg.* i. 432 seq. 21 *is enim auctor certissimus est*: non habet Vegetius. 24 *Totus* etc.: Verg. *Georg.* i. 434, 435; hos versus Vergilianos haud citat Vegetius.

impendente maculosus. Aer uero et mare ipsum nubiumque magnitudo uel species plurimum afferunt instructionis. Sed et aues et pisces futurorum certissima produnt signa, quae Virgilius et Lucanus diuino comprehendunt ingenio, sed et Varro in libris naualibus, dum solicitos instruit nautas.

Cap. 3. *Signorum alia esse uniuersalia, alia particularia: et quid significet geminatio solis.*

Quae uero in sole et luna secundum naturam signa contigerint, certissima sunt et auctorum multorum testimonio comprobata. Solem quis dicere falsum audeat? Quotiens ergo sol in celo geminari uidebitur, inundationem aquarum
b subiectus orbis expectet. Et licet a raritate sui miraculis uideatur accedere, opus tamen naturae est, quae quidem soles non geminat, sed nubem simillimam facit, uocaturque parelion. Est enim parelion nubes simillima soli, signum quidem commune multis etsi non generale. Signorum siquidem alia particularia, alia uniuersalia sunt. Particularia uero faciunt singulis, uniuersalia multis aut uniuersis. Vtraque autem modo ex clementi dispositione Creatoris modo ex natura rerum modo ex malitia demonum homines Domino permittente ludificantium prouenire dicuntur. Sed quae et quomodo quaue de causa iudicium quidem difficile est et frequenter incertum et saepe altius quam ut ab homine ualeat expediri. Eis tamen licentiori uanitate mathematicorum referti sunt libri. Eneas,

c matre dea monstrante uiam, data fata secutum

11 dicere falsum quis A 16 etenim CB 18 sunt *om.* M

1 *maculosus*: v. Verg. *Georg.* i. 440 seqq. 4 *et Lucanus*: non habet Vegetius. 11 *Solem* etc.: Verg. *Georg.* i. 463, 464. 12 *Geminari*: de solibus geminatis cf. Aug. *Ep.* cxcix *ad Hesychium de fine saeculi* c. 10 (Migne *P. L.* xxxiii. 917), Sen. *N. Q.* i. 11. 2. 16 *parelion*: de *pareliis*, cf. Sen. *N. Q.* i. 11. 2. 17 *Signorum* etc.: Quaedam de signis universalibus et particularibus habet Lydus *de Ostentis*, quem librum tamen quippe Graecum legere haud potuit Noster; cf. quae de somniis habet Macrob. *Comm. in Somn. Scip.* i. 3, a Ioanne ipso infra cap. 15 citata. 27 *matre* etc.: Verg. *Aen.* i. 382; hoc de Lucifero i.e.

se asserit, eo quod egredienti Lucifer, qui et Venus, donec ad Italiam perueniret, apparuerit auspicanti.

Defectus solis uarios lunaeque labores

rerum euentibus curiositas humana coaptat.

Cap. 4. *De signis quae praecesserunt excidium Ierosolimitanum nouissimum.*

Vetus refert historia (sic dicta quod est auctor eius incertus, et uetera refert) quod imminente Ierosolimorum excidio eclipsis lunae per duodecim noctes continuas etiam in remotissimis locis protracta est, forte significans Iudaicae perfidiae et superstitiosi erroris euersionem, quae Christo per praedicationem apostolicam mundo illucescente rectissime contigit. Scriptum est enim: Stultus mutatur ut d luna, sapiens uero cum sole permanet. Alia quoque quam plurima, diuino super incredulos imminente iudicio, acciderunt, quae si per singula, prout ab auctoribus digesta sunt, coepero enarrare, uel sola haec proprium tempus desiderabunt et otium. Pauca tamen auctore Iosepho compendioso sermone percurram, eo quod ad roborandam fidem nostram proficiunt et ad retundendam obstinatam perfidiam Iudeorum. Quadraginta namque post admissum piaculum continuis protracta annis impiorum pena differtur. In

2 apparuit M 6 Hierosolimitanum S *in rubr. cap. praefixa.* 7 hystoria M 9 eclypsis M xii. SM 11 et *om.* M

Veneris stella, auctore Varrone, interpretatur Servius in loc. 3 *Defectus* etc.: Verg. *Georg.* ii. 478. 7 *Vetus historia*: *Veterem historiam* de Herodiade citat Hieronymus in Matt. xiv, quem sequuntur plerique medii aevi commentatores, ut Beda, Rabanus Maurus, Paschasius Radbertus, Anselmus Laudunensis; sed neque de Herodiade neque de eclipsi lunae excidium Hierosolymitanum praecedente veritati consona narravisse videtur auctor incertus. 8 *imminente* etc.: Narrat Plinius *H. N.* ii. 10 (si locum recte intelligimus) anno p. Chr. 72, triumphantibus *post* bellum Iudaicum Vespasiano et Tito, et solem et lunam xv. diebus (viz. intra quindecim dies) defecisse; hic legunt nonnulli *xii* pro *xv*, rem indicantes quam salvis naturae legibus fieri non posse constat. 13 *Stultus* etc.: v. Ecclesiastic. xxvii. 12. 21 *Quadraginta* . . . *eorum* (420 c): Euseb. vers. Ruffin. iii. 7. 8.

quibus et Apostoli omnes, praecipue tamen Iacobus, qui dicebatur frater Domini, Ierosolimis episcopus constitutus, 419 a indesinenter populum commissae impietatis et feralis ausi de scelere commonebant, si forte possent, commissi penitudinem gerere; si possent, flere pro scelere et ultrices penarum flammas lacrimarum ubertate restinguere. Ostendebat namque eis Deus per suam patientiam quod ipsorum quaereret penitentiam; quia non uult tantum Deus mortem peccatoris quantum ut conuertatur et uiuat. Mollire autem adhuc mentis eorum duritiam nitebatur diuina maiestas signis et prodigiis celitus datis terroresque simul et minacem dexteram ostendendo potius quam inferendo; de quibus supra dicti historiographi fides, ut in ceteris, etiam in hoc sufficiens erit. Relegamus ergo quid in sexto historiarum suarum libro de his ipse signauerit Iosephus. Sed infelicem, inquit, plebem teterrimi quidam homines et b deceptores falsa uaticinantes suadebant ut euidentibus signis et indiciis iracundiae et indignationis diuinae non crederent, quibus aperte futurum et urbis et gentis praesagabatur excidium. Sed uelut afflati et amentes, et qui neque oculos neque animas in se haberent, spernebant omnia quae celitus nuntiabantur. Etenim stella praefulgens gladio per omnia similis imminere desuper ciuitati, et cometes praeterea exitialibus flammis ardere uisa est per totum annum. Sed et ante excidii tempus ac belli, cum populi ad diem festum conuenirent, octauo die mensis Xantichi, qui est Aprilis, noctis tempore, hora nona, tantus luminis fulgor aram templumque circumdedit, ut putarent omnes diem clarissimum factum, et permansit spatio horae c dimidiae. Quod imperitis quidem et ignaris prosperum uidebatur; sed legisperitos et probos quosque doctores non latuit exitiale portentum. In eadem quoque festiuitate uitula sacrificiis admota et aris assistens inter ipsas

---

6 ubertate] libertate M restringere M 13 hystoriographi AM: historiografi S 14 vi^to CS 15 hystoriarum M 20 uelud A 24 uisa est ardere M 26 viii S 27 xanctici A

---

8 *quia non uult* etc.: Ezech. xviii. 32, xxxiii. 11.

ministrorum manus enixa est agnam. Sed et ianua interioris edis, quae respiciebat ad orientem, cum esset ere solido induta, ac perinde immensi ponderis, quae uix uiginti uiris summo conatu impellentibus clauderetur, ferreis quoque uectibus et seris munita ac pessulis in altum demissis teneretur obstricta, repente hora noctis sexta, prima et uicesima die mensis, apparuit sponte patefacta. Sed et transacto die festo post aliquot dies prima **d** et uigesima die mensis Arthemesii, qui apud nos Maius uocatur, prodigiosus apparuit uisus et fidem pene excedens. Quod uere falsum putaretur nisi oculorum fidem confirmasset malorum consecuta pernicies. Etenim prope solis occasum uisi sunt currus et quadrigae in omni regione per aerem et armatorum cohortes misceri nubibus et urbes circumdari agminibus improuisis. In alio item die festo, qui Pentecostes appellatur, noctu sacerdotes ingressi templum ad ministeria ex more complenda, primo quidem motus quosdam strepitusque senserunt, tum deinde uoces subitas audiunt dicentes: Migremus hinc, migremus ex sedibus istis. Additur his etiam aliud terribilius; etenim quidam Ananiae filius Iesus nomine, uir plebeius **420 a** et rusticus, et ante quartum belli annum, cum ciuitas in pace et abundantia perduraret, in die festo tabernaculorum repente clamare coepit: Vox ab oriente, uox ab occidente, uox a quattuor uentis, uox super Ierosolimam et templum, uox super sponsos et sponsas, uox super populum: et indesinenter die noctuque per omnes plateas circumiens haec clamabat; usque quo quidam primores ex populo uiri, uelut infausti praesagii indignatione commoti, correptum hominem multis uerberibus afficiunt. At ille nequaquam pro se aliquid loquens, sed nec eos quidem qui circumsteterant deprecans, easdem uoces pari obstinatione et clamore repetebat. Tum principes intelligentes, ut res erat, numinis esse in uiro motus, perducunt eum

---

4 xx. SM 9 artemesii SM 25 quattuor BA: iiii^or M
27 circuiens A 32 circumsteterant B: qui circumsteterant quidem A

b ad iudicem Romanorum, apud quem flagris ad ossa usque laniatus neque preces neque lacrimas fudit. Sed eandem uocem miserabiliter et cum quodam eiulatu emittens per singula pene uerbera proferebat, addens etiam hoc: Ve ue Ierosolimis. Prosequitur et aliud idem historiographus maiore gestum miraculo, dicens oraculum quoddam in sacris litteris repertum, quod per idem tempus uirum designaret ex eorum regione processurum, qui totius orbis potiretur imperio. Cuius oraculi praesagium idem historiographus Vespasianum declarare suspicatur. Sed Vespasianus non aliis quam illis solis gentibus quae Romano imperio uide-
c bantur subditae dominatus est. Vnde iustius ad Christum haec responsa referuntur, ad quem dixit Pater: Pete a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae: et cuius per idem tempus per apostolos suos in omnem terram exiuit sonus et in fines orbis terrae uerba eorum.

Cap. 5. *Quanta fuerit calamitas obsessorum, et obstinatae malitiae quis fuerit finis, et quae pietas Titi.*

At ne tot et tanta mediocris plagae aut perfunctoriae indignationis Dei aduersus impenitentiam Iudeorum signorum praecessisse uideantur indicia, calamitatem intolerabilem, excidium irreparabile, reprobatae et excecatae gentis inauditam et cunctis saeculis incognitam seruitutem suc-
d cinctus sermo percurrat. Quantis ergo malis tunc uniuersa multata sit, utque ipsa Iudeae terra bello, fame, igni, caedibusque uastata sit, quanta populorum milia, patres simul cum coniugibus ac paruulis liberis absque numero et absque discretione trucidati sint, quae etiam diuersarum urbium obsidiones, sed et ipsius magnificae et famosissimae

4 uerba M 5 hystoriographus AM 9 hystoriographus M 13 dixerat S 16 *post* sonus *add.* eorum SM 19 quae *om.* S. *in rubr. cap. praef.* 26 mulctata M

13 *Pete* etc.: Ps. ii. 8. 16 *in omnem* etc.: Ps. xviii. 5, Rom. x. 18.
25 *Quantis . . . Iosephus* (425 A): Euseb. vers. Ruffin. iii. 5, 6.

ciuitatis Hierusalem quanta uastitas et quanta fuerit diuersarum mortium strages, quis per haec singula bellorum extiterit modus, et ut (secundum id quod prophetae dixerant) abominatio desolationis in ipso quondam Dei famosissimo collocata sit templo, utque ad ultimum cuncta ignis populatus sit et flamma consumpserit, si quis plenius nosse uult, historiam Iosephi relegat. Nos uero ex his ea tantum, **421 a**
quae ad explanationem suscepti operis sufficiunt, assumemus; in quibus refert, quod ex omni Iudea populi in die solenni Paschae Ierosolimam, uelut exitiali quadam manu cogente, conuenerant. Quos tricies centena milia dicit hominum fuisse, iusto scilicet Dei iudicio, tempore hoc ultionis electo, ut qui in diebus Paschae saluatorem suum et saluatorem Christum Domini cruentis manibus et sacrilegis uocibus uiolarunt, in ipsis diebus uelut in unum carcerem omnis multitudo conclusa feralis penae exitium, quod merebatur, exciperet. Praeteribo sane quae in eos uel gladii caede uel aliis belli machinis collata sunt, explicare; ea tantummodo, quae dirae famis inedia pertulerunt, supradicti historiographi sermonibus proferam, quo legentes haec intelligant quantum piaculi sit audere aliquid in **b**
Christum et quam grauibus ausa suppliciis expientur. Age itaque, quintus Iosephi historiarum liber ponatur in medio, ex quo omnis eorum luctuosa tragedia pernoscatur. Diuitibus autem permanere, inquit, aut perire unum atque idem erat. Si enim in urbe permansissent, facultatum suarum causa crimine obiecto, quasi qui de transfugiendo cogitarent, perimebantur. Necessitas uero famis factiosorum extollebat arrogantiam; et utrumque simul inedia cum temeritate crescebat. Publice quidem frumentum nusquam omnino erat, sed irruentes urbis praedones perscrutabantur domus, et si quid inuenissent, tamquam de his qui fefellerant, penas sumebant; si uero non inuenissent,

---

1 ierusalem S 4 abhominatio SM 5 collata M 7 hystoriam AM 10 sollenni A[1]: sollemni S 19 inedia A: (uel exitio) exicio S 20 hystoriographi M 23 sextus C[2]BA[1] (*quid habuerit* C[1] *incertum est*) hystoriarum M 27 qui *om.* M

c nichilominus tamquam eos, qui occultius et diligentius absconderint, cruciabant. Indicium uero haberi ab eis pabula capiebant hoc ipso, quod adhuc uiuerent, et subsistere corporibus uidebantur, tamquam qui profecto iam interissent, nisi absconditos uspiam tegerent cibos. Si quos sane tabescentes macie uidissent, hos cum uenia praeteribant, superfluum putantes perimere, quos paulo post absumeret fames. Multi tamen in occultis omni censu suo mercati sunt unum metrum, si diuites frumenti, hordei si inferiores fuerunt, et concludentes se in interioribus quibusque penetralibus domus, nonnulli nec in panes confectas fruges edebant. Alii uero, in quantum uel necessitas uel metus permitteret, excoquebant. Et mensam d quidem nullus expectabat apponi, sed ex ipso semiusta igni rapientes propria uelut furtiua deuorabant; et erat infelicis ipsius cibi spectaculum miserabile, cum ualidiores quique inuenta diriperent; imbecillibus uero nichil praeter luctum superesset ac lacrimas; et omnium licet acerbitates rerum superaret fames, nichil tamen ita subruit atque subuertit sicut uerecundiam. Quicquid enim saluis rebus pudore dignum est, id in hac necessitate contempnitur. Denique et uxores de uirorum manibus et filii de parentum, et (quod est infelicius) matres cibos de paruulorum manibus atque ore rapiebant, et cum dulcissimi liberi in manibus atque ante ora positi tabescerent, exigua uitae subsidia a dentibus ipsis eximere nemo parcebat. Verum 422 a ne ipsos quidem infelices et perexiguos sumentes latebant cibos; sed continuo aderat praedonum quis, et statim ut clausas cuiuspiam conspexisset fores, indicium credebat hoc esse, quod intrinsecus positi ederent; et repente despicatis foribus praecipites irruebant, atque ab ipsis, ut ita dicam, faucibus exprimentes, si quid forte insumptum iam fuerat, reuocabant. Verberantur senes, si cibum uendicare temptassent, sparsis etiam crinibus mulieres trahebantur, oc-

8 ocultis A 10 ordei M 20 uerecundia CBASM 33 Vereberantur C: Verebantur MCyr *marg.* S: Verberabantur M *marg.* Cyr.

cultare nitentes si quid forte deprehensum fuisset in manibus. Nulla senibus reuerentia, nulla erga paruulos miseratio, sed in exiguo panis fragmento paruulos inherentes et ex ipso cui inheserant suspensos elidebant in terram. In b eum uero, qui raptores cibo praeuenisset absumpto, crudelius seuiebant, et excogitabant dira supplicia, obturantes infelicibus naturales digestionum meatus, aliis uero praeacutas sudes per eadem uerenda adigentes. Horresco quae gesta sunt referens. Ad confectionem post haec unius panis aut ciathi farinae miseros perurgebant. Nam ipsi tortores non patiebantur famem. Esset enim quodammodo tolerabilius si haec compulsi inedia facere uiderentur. Sed ut uel praepararent sibi in posterum cibos, uel ut crudelitas exercitio conualesceret, in his etiam si qui forte furtim per stationes hostium pro colligendis herbis erupissent, occurrentes eis qui se hostium manus effugisse gauderent, diripiebant quicquid attulerant. Supplicantibus autem et c terribile sibi quoddam nomen Dei inuocantibus ut uel partem aliquam ex his, quae secum mortis periculo quaesiuerant, indulgerent, nichil prorsus praebebant; sed hoc beneficii loco cesserat, si comprehensum uiuum licuisset euadere. His autem post aliquanta adiungit, dicens: Iudeis uero cum egressu urbis omnis pariter spes excludebatur salutis, et inualescens acerbitas famis, domos simul et familias gentemque uastabat; ita ut in penetralibus strata iacerent mulierum paruulorumque cadauera, per plateas uero infelicium senum corpora fame magis quam etate consumpta. Iuuenes uero atque omnis etas robustior uelut simulachra quaedam in uiis et egressibus oberrabant, corruentes quocumque loci gressum surripuisset inedia. Sepelire autem cadauera proximorum nec defunct- d orum multitudo nec uirium debilitas permittebat; simul et pro suae uitae incerto unusquisque uerebatur. Denique aliquanti super eos, quos sepeliebant, animas emisere; multi etiam dum prosequuntur funera, priusquam ad

18 quoddam sibi S 29 simulacra A 30 subripuisset S

sepulchrum ueniretur, efflabant. Sed nec planctus ex more defunctis exhibebatur aut luctus, quia hoc sibi totum uendicauerat fames. Sed nec ariditas inediae humorem cuiquam reliquerat lacrimarum. Obsederant ciuitatem profunda silentia, et nox plena mortis cuncta contexerat. Quibus malis omnibus grauiores soli uigebant praedones, qui ne sepulchra quidem diripere et spoliare cadauera illicitum ducebant, non tam praedam petentes quam scelus
423 a irrisione cumulantes et aciem gladiorum suorum in cadauerum obtruncatione probantes. Interdum etiam in nonnullos adhuc spirantes mucro examinandus agebatur, quod alii semineces cum uiderent, supplices dexteras praetendebant, ut in se quoque beneficii loco conuerterent scelus, quo scilicet cruciatibus famis uelocius absoluerentur; sed nouo crudelitatis genere necem quam sponte inferebant, si rogarentur, negabant. Cum tamen unusquisque deficientium cum gemitu retorqueret oculos ad templum, non de morte propria dolens, sed de impunitate praedonum, quos superstites relinquebant. Et primo quidem sumptu publico sepelire mortuos iusserant fetoris intolerantia; ut uero omnem sumptum coepit uincere multitudo mori-
b entium, de muro cadauera praecipitabant. At cum Titus circumiens peruidisset repletas cadaueribus mortuorum ualles et humani corporis tabo patriam terram rigari, cum ingenti gemitu, eleuatis ad celum manibus, Deum inuocat testem hoc sui causa non prouenire sed se ista sustinere inuitum. Et post aliquanta iterum Iosephus talia quaedam prosequitur: Non cunctabor, inquit, proferre quod sentio. Arbitror enim quod etiam, si aduersus impios ciues Romanorum paulisper arma cessassent, aut hiatu terrae aut aquae diluuio aut Sodomitanis ignibus et fulminibus celitus tortis supplicium ciuitas dependisset, quae multo infaustiorem illis, qui haec perpessi sunt, et nequiorem uirorum praesentem hanc protulisset etatem, pro quibus

1 sepulcrum A 7 sepulcra A 10 in *ante* nonnullos *om.* AM 23 circuiens AS mortuorum cadaueribus SM 28 cuntabor A

omnis gens pariter mereretur extingui. Sed et in sexto c
libro de eisdem talia scribit. Et eorum, inquit, qui per
totam ciuitatem famis inedia corrumpebantur, multitudo
innumerabilis erat, quorum nec explicari miseria potest.
Per singulas namque domos, sicubi aliquid fuisset cibi
repertum, bella continuo et cedes inter caros ipsosque
parentes ac liberos nascebantur, dum non solum e manibus
sed ex ipsis etiam faucibus inuicem cibum rapere certa-
bant. Fides autem nec mortuis erat; sed et ipsi, cum
iam spiritum exhalarent, perscrutabantur a praedonibus,
ne cui forte intra gremium cibi aliquid resideret. Alii
autem per inediam hiantes uelut rabidi canes huc atque
huc ferebantur, et quasi insania quadam exagitati in
easdem domos sub momento temporis iterum ac saepius d
irruebant. Omnia tamen necessitas uertebat in cibum,
etiam illa, quae ne mutis quidem animalibus edere usus
fuit. Ad ultimum ne loris quidem uel cingulis aut ipsis
calciamentis abstinuere. Scutorum quoque indumenta
detrahentes conficienda dentibus ingerebant. Nonnulli
et feni ueteris festucas edebant, sed et de quisquiliis
collectis paruissimum pondus dragmis quattuor distra-
hebant.

Cap. 6. *De Maria quae fame urgente comedit filium.*

Sed quid opus est per haec pondus famis illius explicare?
cum gestum sit ibi facinus, quod neque apud Grecos 424 a
neque apud barbaros ullus accepit auditus, horrendum
quidem dictu, auditu uero incredibile. Equidem libenter
tam immane facinus siluissem, ne quis me crederet mon-
struosa narrare, nisi multos memoriae nostrae uiros testes
commissi sceleris habuissem. Porro uero ne aliquid meae
patriae praestare me arbitrer, si subtraham eorum uerba,
quorum pertulit facta. Mulier quaedam ex his, quae ultra

1 *Post* Sed *om.* et SM vi^to S 2 inquid A 12 autem] etiam M uelud A 21 iiii^or CBMS 23 *post* filium *add.* proprium S *in rubr. cap. praef.* 27 Et quidem M

Iordanis alueum commanebant, nomine Maria, Eleazari filia, de uico Bethezob, quod interpretatur domus Ysopi, genere et facultatibus nobilis, cum reliqua multitudine, quae confluxerat, Ierosolimis reperta, communem cum omnibus
b obsidionis casum ferebat. Huius reliquas quidem facultates, quas domo in urbem conuexerat, tyranni inuasere, si quid uero reliquiarum ex magnis opibus fuerat, quibus uictum cotidianum pertenuem duceret, irruentes per momenta praedonum satellites rapiebant. Pro quibus ingens mulier uelut insania iam quadam ex indignatione fatigabatur, ita ut interdum praedones maledictis in necem sui et conuiciis instigaret. Verum cum neque irritatus quisquam neque miseratus eam opprimeret, et si quid forte cibi fuisset ab ea quaesitum, id ab aliis quaereretur, nec iam usquam reperiendi copia fieret, fames autem dira uisceribus ipsis insisteret ac medullis, et ad furorem perurgeret iam inedia, fame et ira pessimis usa consultoribus contra ipsa
c iam armatur iura naturae. Erat namque ei sub uberibus paruulus filius. Hunc ante oculos ferens, Infelicis, inquit, matris o infelicior fili, in bello fame et direptione praedonum cui te reseruabo? Nam etsi uita sperari posset, et iugo Romanae seruitutis urgemur. Sed nunc ipsam etiam seruitutem praeuenit fames; praedones uero utraque ui grauiores perurgent. Veni ergo nunc o mi nate, esto matri cibus, praedonibus furor, seculis fabula, quae sola deerat cladibus Iudeorum. Et cum haec dixisset, simul filium iugulat. Tum deinde igni superpositum torret et medium quippe edendo consumit, medium uero reseruat obtectum. Et ecce confestim praedones irruunt, ambustae carnis nidore concepto mortem minantur, nisi
d sine mora cibos, quos paratos senserant, demonstraret. Tum illa, Equidem partem, inquit, uobis optimam reseruaui.

---

1 Maria nomine M 4 hierosolimis CBS 5 quidem reliquas A 8 cottidianum A 13, 14 quesitum ab ea A 15 repperiendi A famis C[1]M 17 ita (uel ira) A 19 paruus SM 22, 23 etiam ipsam M 32 optimam uobis M

---

28 *quippe*: *quidem* habet Ruffinus.

Et continuo quae superfuerant membra retexit infantis. At illos repente ingens horror inuasit, et crudeles quamuis animi diriguere. Vox faucibus interclusa est. Illa uero truci uultu et ipsis etiam praedonibus truculentior, Meus, inquit, hic filius est, meus est partus, et facinus meum est. Edite, nam et ego prior comedi, quae genui. Nolite effici aut matre religiosiores, aut femina molliores; quod si uos pietas uincit et execramini cibos meos, ego quae iam talibus pasta sum, ego his iterum pascar. Post haec illi territi trementesque discedunt, qui hunc solum ex omnibus 425 a facultatibus suis miserae matri reliquerant cibum. Repleta est autem confestim uniuersa ciuitas nefarii sceleris nuntio, et unusquisque ante oculos facinus quod perpetratum fuerat adducens, tamquam si ipse hoc perpetrasset, horrebat. Omnes autem, quos famis necessitas perurgebat, festinabant magis ad mortem, beatos dicentes eos quibus contigit interisse priusquam talium malorum polluerentur auditu. Haec quidem Iosephus.

Cap. 7. *De numero captiuorum et occisorum et peremptorum fame.*

Quem uero tanta calamitas inuenerit exitum, eodem auctore perpaucis adnectam. Colligens enim supra dictus historiographus omnem numerum peremptorum uel fame b uel siti uel ferro undecies centena milia designauit. Ceteros uero latrones uel sicarios ac praedones post urbis excidium mutuis declarauit interisse uulneribus. Electos autem quosque iuuenum, quos decor corporis et proceritas commendabat, ad triumphum dicit esse reseruatos, reliquos autem qui supra decem et septem annos agebant etatis, uinctos ad opera Egypti per metalla destinatos uel per ceteras prouincias esse dispersos, alii quidem ut ad ludos gladiatorios, alii ut ad bestias traderentur. Si qui uero intra septimum et decimum etatis reperti sunt

22 autore A 23 hystoriographus M 29 x$^{\text{cem}}$ & vii$^{\text{tem}}$ CA: x & vii S: xvii M

22 *Colligens . . . in te* (425 c): Euseb. vers. Ruffin. iii. 7.

annum, per diuersas prouincias in seruitutem distrahi iussi sunt, quorum numerus usque ad nonaginta milia perductus
c est. Haec uero omnia gesta sunt secundo anno Vespasiani imperii, iuxta ea quae ipse Dominus et Saluator noster Iesus Christus praedixerat; quippe cum ea quae gerenda erant praesentia uideret. Tunc cum secundum euangeliorum fidem uidens ciuitatem fleuit super eam et uelut in auribus eius prolocutus est haec uerba: Si agnouisses, inquit, et tu in hac die quae ad pacem tibi sunt, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis; quia uenient dies in te et circundabunt te inimici tui uallo et circundabunt te et perurgebunt te undique et ad solum redigent te et filios tuos in te. In hunc modum quam plurima diuinae comminationis tonitrua publice induratis auribus resonabant,
d quousque sanguis iustorum, sed et ipsius iusti singularis et unici, qui ab impiis inique effusus est, iusto Dei iudicio quaereretur. Attriti sunt ergo plagis, bellis strati, et a patriis sedibus diuinae indignationis excisi turbine, ut in urbe gloriosissima nec lapis super lapidem remaneret; fuitque populi indurati et quouis lapide durioris tribulatio tanta quanta non fuit ex quo gentes esse coeperunt usque ad diem hanc.

Cap. 8. *De peregrinatione fidelium, quos sub ea tempestate seruauit Christus apud Pellam.*

Ecclesia uero quae fuerat Ierosolimis congregata diuinitus transire iussa est trans Iordanem ad oppidum quoddam nomine Pellam, quo ablatis ex urbe cultoribus Dei celestis uindictae fieret locus, quae in urbem gentemque sacrilegam
426 a fuerat exercenda. Quod et Eusebius Cesariensis in Ecclesiastica Historia plenius refert.

7 uelud A 8 cognouisses B 24 petrum S *in rubr. cap. praefixa* 30 hystoria AM

8 *Si agnouisses* etc.: Luc. xix. 42–4. 15 *sanguis iustorum*: v. Matt. xxiii. 35. 19 *nec lapis* etc.: v. Matt. xxiv. 2; Luc. xix. 44. 20, 21 *tribulatio tanta* etc.: Matt. xxiv. 21. 25 *Ecclesia . . . exercenda* (426 a): Euseb. vers. Ruffin. iii. 5.

Cap. 9. *Testimonium quod perhibet Iosephus Christo.*

Et quidem haec omnia rectissime passi sunt qui in filium Dei manus sacrilegas extendere praesumpserunt, cum testimoniis scripturarum et uirtute mirabilium operum ipsum Christum Domini esse constaret. Vnde Iosephus: Fuit autem hisdem temporibus Iesus sapiens uir, si tamen uirum eum appellare fas est. Erat enim mirabilium operum effector doctorque hominum eorum qui libenter quae uera sunt audiunt, et multos quidem Iudeorum, multos etiam ex gentibus sibi adiunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostrae gentis uirorum, cum Pilatus b
in crucem agendum esse decreuisset, non deseruerunt eum hii qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim eis tertia die iterum uiuus, secundum quod diuinitus inspirati prophetae uel haec uel alia de eo innumera miracula futura esse praedixerant. Sed et in hodiernum diem Christianorum, qui ab eo nuncupati sunt, et nomen perseuerat et genus.

Cap. 10. *De Vespasiano, qui claudum et cecum curasse legitur.*

Vespasianum quoque Iudeae uastatorem patremque Titi, Ierosolimorum piissimi euersoris, ut quibusdam scriptoribus placuit, miraculorum signis ad faciendam uindictam in nationibus Dei digitus excitauit. Ipsum namque necdum imperatorem quidam e plebe luminibus orbatus c
itemque alius claudus crure debilis sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem ualitudini, eo quod sibi foret in quiete monstratum oculos restituendos si eos ille inspiceret, et crus debili roborandum si illud dignaretur calce contingere. Orantibus amicis inuitus licet utrumque

---

1 *post* Iosephus *add.* de S *in rubr. cap. praefixa* 5 Domini] deum A (uel domini) : deum M 7 apellare S 13 hi AM enim] autem M

---

6 *Fuit . . . genus* (426 b): Euseb. vers. Ruffin. i. 14. 21 *Vespasianum* etc.: v. Suet. *Vesp.* 8.

temptauit; nec defuit euentus. Imperium quoque eius et interitus Vitellii et Ottonis, qui fedo Neroni successerant, pluribus celestium signis praenuntiatum est et pro parte stupendis.

Cap. II. *Signa esse quae contra naturam fiunt.*

Quae uero huiusmodi stupore digna in his contingunt plerumque signa esse non ambigit quisquis euangelicae d promissionis fideliter meminit, cum scriptum sit: Erunt signa in sole et luna et stellis, et cetera. Ea tamen quae hic praenuntiantur, sine praeiudicio sententiae melioris ea intelligenda arbitror, quae in his contra naturam fiunt; quale est quod in passione Domini sol obscuratus est, uelum scissum, petrae ruptae, aperta monumenta, et sanctorum corpora qui dormierant surrexerunt. Naturalis etenim eclipsis esse non potuit, quae lunaris corporis obiectu contingit, cum constet pridie lunam quartam decimam extitisse, nisi forte quis de Iudaica perfidia incredulitatis suae solatium mutuetur, asserens cum eis Venerem tunc in ecliptica linea soli fuisse oppositam, quae quidem magna est et (ut astrologi tradunt) sola de quinque sideribus de 427 a nocte umbram de se emittit ut luna. Quod quia nec ratio probat nec auctoritas aut fides approbat, repudiatur ut futile. Si enim adeo luminosum est Veneris corpus, quomodo tantas parit tenebras? Dionisius Ariopagita in epistola ad Policarpum scribit se et plures alios philosophantes tunc uidisse lunam soli incidentem, et quidem contra naturam; non enim erat coitus tempus. Quod ei postmodum Paulo praedicante conuersionis dedit occasionem. Scio tamen plures aliter hinc locutos; sed Dionisium praefero, quia quod uidit scripsit, alii proprias

---

2 interitum A otonis M 13 cissum S 16 xiiii^{mam} S
20 v S syderibus C

---

5 Cum capp. II, 12, cf. Aug. *de Civ. Dei*, xxi. 7, 8 (Migne, *P. L.* xli. 718 seqq.). 8 *Erunt signa* etc.: Luc. xxi. 25. 12 *sol obscuratus* etc.: v. Luc. xxiii. 45; Matt. xxvii. 51, 52. 20 *sola de quinque* etc.: Martianus Capella viii. 883. 24 *Dionisius* etc.: Dion. Areop. *Ep.* vii. sec. versionem Ioannis Scoti (Migne, *P. L.* cxxii. 1180 c).

sequuntur opiniones. Sunt autem signa plerumque non modo uniuersalia sed et generalia, sicut illud quod Deo moriente tenebrae factae sunt per uniuersam terram ab hora sexta usque ad nonam, et quod in eis particulare est b aut minus uniuersale capacitatem generis temporis perpetuitate compensat. Mors etenim illa Moysi faciem detexit uniuersis, perpetuam duritiam scidit, et resurrectionis primitias in eternam letitiam introduxit. Illa quoque quae diem iudicii praeuenire dicuntur per dies quindecim, si tamen futura sunt, quoniam de scriptura canonica firmamentum non habent, naturae legibus minime subiacebunt, dum tamen naturam hic, ut in locis quam pluribus, dicamus solitum cursum rerum, aut causas occultas euentuum, quarum ratio reddi potest.

Cap. 12. *Nichil contra naturam, auctore Platone, qui naturam dicit Dei uoluntatem.*

Si uero Platonem sequimur qui asserit naturam esse Dei uoluntatem, profecto nichil istorum euenit contra naturam, c cum ille omnia quaecumque uoluit fecerit. Ille quidem dum rerum causas exequitur, finem omnium diuinam astruit bonitatem. Optimus est, inquit; porro ab optimo

1 secuntur M 4 vi^{ta} C: vi^{a} S ad *om.* CA *post* ad *add.* horam S ix^{am} S 6 moisi S 7 ressurrectionis S 10 xv MSP 20 causas rerum A

3 *tenebrae* etc.: Matt. xxvii. 45. 6 *Moysi faciem* etc.: v. 2 Cor. iii. 15, 16. 7 *duritiam scidit*: Sic petrarum ruptionem interpretatur Hieron. *ad Hedib.* (*Ep.* cxx) c. 8 § 2 (Migne, *P. L.* xxii. 992). 10 *quindecim*: vide de quindecim signis totidem dierum diem iudicii ultimi praecessurorum quae ut ex Hieronymo narrat Petrus Damianus in *Opusculo de Novissimis et Antichristo*, c. 4 (Migne, *P. L.* cxlv. 840). Hieronymus quidem in Dan. xii. 11 seqq. tantum de xlv diebus inter Antichristi mortem et diem iudicii intercessuris mentionem facit; notandum tamen est (quod mihi v.d. C. H. Turner indicavit) virum doctissimum Gall Morel *Einsiedler-Handschriften der lateinischen Kirchenväter* (Wien 1867) p. 420 codicem Hieronymianum saec. xi–xii memorare cui titulus est *signa xiv dierum iudicium praecedentium.* Cf. etiam Petr. Comestor. *Hist. Scholastica in Evang.* c. 41 (Migne, *P. L.* cxcviii. 1611). 17 *Platonem*: cf. *Enthet.* 625. Augustinus *de Civ. Dei*, viii. 3 (ut Gennrich. p. 124 notat) *Socratem* rerum causas in voluntate Dei petiisse narrat; vide Plat. *Phaedo.* 99. 21 *Optimus . . . consentiam*: Plat. *Tim.* in vers. Chalcid. 29 E, 30 E.

longe relegata est omnis inuidia. Itaque consequenter cuncta sui similia, prout natura cuiusque beatitudinis capax esse poterat, effici uoluit, quam quidem Dei uoluntatem certissimam rerum originem esse si quis ponat, recte eum putare consentiam. Et quidem sapientia Dei et bonitas, quae rebus omnibus originem praebet, natura rectissime appellatur; contra quam utique nihil fit, quia dispositionem Dei nihil euacuat, aut causas quae in mente illius, qui fecit celos in intellectu, ab eterno constiterunt, d suo priuat effectu. Insunt itaque rebus seminales euentuum causae et originariae rationes, quae praeordinato tempore in suos procedunt effectus, ex eo quidem mirabiles, non quod nullas sed quod occultissimas habeant rationes. Humor siquidem de intimis terrae uisceribus ab arborum uel uinearum radicibus appetitiua quadam uirtute attrahitur, deinde quadam distributione naturae digeritur per plantarum membra, et cum sua decoctione profecerit, turgescit in surculos, et quo ad sustentationem sui non indiget, in folia et fructus emittit, qui cum maturuerint in musta despumant et sic per interualla temporum consueto usu uina parturiunt. Si uero occulta dispositione 428 a Dei quibusdam naturae cuniculis digestus et maturatus humor absque temporis interstitio inopinatum uertatur in uinum, miraculum quidem est, quia altitudo diuinae dispensationis nostrum transcendit intellectum. Sed, ut ait sapiens, cedat inscitiae nubilus error, cessent profecto mira uideri. Non tamen mirabilium Dei fidem uel auctoritatem infringo, sed altitudinem diuitiarum sapientiae et scientiae suae plena humilitate ueneror et admiror, sciens quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. In multis etenim labi humana infirmitas est, sicut in nullo aliter sentire quam res se habeat, angelica uel diuina perfectio.

16 dirigetur M 17 de *post* cum *add.* M

9 *qui fecit* etc.: v. Prov. iii. 19. 10, 11 *seminales causae*: v. Aug. *de Gen. ad Litt.* ix. 17 § 32 *Quaest. in Heptateuchum* ii. 21 (in Exod. vii. 12) (Migne, *P. L.* xxxiv. 406, 602). 14 *Humor* etc.: cf. Aug. *de Gen. ad Litt.* vi. 15 (Migne, *P. L.* xxxiv. 349) alibi. 26 *cedat* etc.: Boeth. *Consol.* iv. Metr. 5. 28 *altitudinem* etc.: Rom. xi. 33. 30 *quia quod* etc.: 1 Cor. i. 25.

Cap. 13. *Quia Deus signis suam praemunire dignatur creaturam.*

Hoc quoque diuinae miserationis est, quod signorum suorum indicio ignorantiam nostram quandoque praemunit. b Cometa siquidem apparente creduntur imminere comitia. An ignoras

terris mutantem regna cometem?

Italiae quoque imminente excidio, quae signa contigerint, non nescit quisquis aliquatenus rerum publicarum historias attigit. Historicorum uolumina, quae de rebus memorabilibus scribuntur, prodigiis plena sunt et ostentis. Denique sub Helya et Heliseo multa fidei et uirtutis signa praecessisse non ambigis. Niniuitae quoque signorum indiciis penitentiam egerunt in praedicatione Ionae. Infidelitas namque signorum argumentis erigitur, et fides tenera eisdem roboratur. Vnde illud: Quod signum ostendis nobis? c et: Iudei signa quaerunt, Greci sapientiam.

Cap. 14. *Quid signum, et de sompno.*

Hic uero intelliguntur signa, quaecumque quouis indicio diuinam homini innuunt uoluntatem. Signum siquidem est, quod seipsum sensui, et praeter se aliquid animo ostendit. Quaedam tamen signa sunt, quae nulli corporalium sensuum aliquid ostendunt, sed animo cuiuscumque rei specie mediante aut citra medii difficultatem uerum falsumue frequenter ingerunt. Signa etenim interdum uera, interdum falsa sunt. Quis nescit somniorum uarias esse significationes, quas et usus approbat et maiorum confirmat auctoritas? In eis utique quoniam sompnus est, d

1 dignatur premunire A 4 premunt A[1] 9 hystorias M: hostorias S 10 Hystoricorum M 12 helyseo B 18 sompnio M[2] 26 sompniorum AM 28 somnus S

7 *terris* etc.: Lucan. *Phars.* i. 529. 16 *Quod signum* etc.: Ioann. ii. 18. 17 *Iudei* etc.: 1 Cor. i. 32. 20 *Signum est* etc.: Pseudo-Aug. *Dialectica*, c. 5 (Migne, *P. L.* xxxii. 1410).

animales uirtutes, scilicet sensus, qui dicuntur corporis et sunt animae, quiescunt, sed naturales intenduntur. Contingit interim ut animus corporis exercitio releuatus in seipsum liberius redeat, et ueritatem nunc per figuras et enigmata nunc immediata facie licentius contempletur. Quod et illum non latuit, qui sompni depingens portas alteram eburneam, alteram corneam finxit; cum et cornu sit peruium uisui, qui non frequenter errat, et ebur naturae densioris et usque ad extremam tenuitatem rasum nullo uisus acumine penetretur. Hoc quidem dentibus, illud oculis uerioribus similius est; hinc uera somnia, hinc falsa

ad celum mittunt insomnia manes.

Cap. 15. *De speciebus somniorum, et causis, figuris, et significationibus.*

429 a Sunt autem multae species somniorum, et multiplices causae, et uariae figurae et significationes. Aut enim insomnium, aut phantasma, aut somnium, aut oraculum, aut uisio est.

Porro insomnia ex ebrietate uel crapula, aut uariis passionibus corporis affectuumque tumultibus et reliquiis cogitationum frequentissime oriuntur. Vnde et male sanis amantium mentibus insomnia numquam desunt. Quod prudenter innuit Maro:

Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent?
Multa uiri uirtus animo multusque recursat
gentis honos, herent infixi in pectore uultus
uerbaque, nec placidam membris dat cura quietem.

b Haec quoque dolentium aut gaudentium, aut quos timoris

---

6 somni S 11 sompnia CBAM 12 insompnia AM 13 sompniorum BAMS *post* somniorum *om.* et A^{1} *post* causis *add.* et S *in rubr. cap. praef.* 15 sompniorum BAM 17 insompnium AM fantasma MP sompnium AM 22 insompnia AM.

---

1 *animales uirtutes*: cf. Pseudo-Aug. *de Spiritu et Anima*, c. 22 (Migne, *P. L.* xl. 795). *qui dicuntur* etc.: v. Aug. *de Gen. ad Litt.* iii. 5 (Migne, *P. L.* xxxiv. 282) alibi. 6 *illum*: sc. Vergilium; cf. Macrob. *de Somn. Scip.* i. 3 ad fin. (cuius auctor fuit Porphyrius in Hom. *Il.* ii). 15 *Sunt autem* etc.: v. Macr. *de Somn. Scip.* i. 3. 24 *Anna* etc.: Verg. *Aen.* iv. 9, 3–5.

uexat angustia aut immoderatae cupidinis ardor accendit, non praetereunt passionem.

Phantasma, cum rerum ignotae uidentur species, qualitate uel quantitate aut partium modo uel numero a natura discrepantes, ut si forte

nec pes nec caput uni
reddatur formae
tetrum
desinit in piscem mulier formosa superne.

Has quidem species ex infirmitate mentis et corporis tradunt phisici prouenire, earumque causas magis attendunt quam ex eis aliquas significationes. In quo genere et ephialtem, quo quis uariis pressuris quodam quasi inter- c uigilio sed sompno potius inquieto opinans se uigilare cum dormiat, putatur ab aliquo interim praegrauari, connumerandum arbitrantur. Quae quidem omnia medicorum potius indigent cura quam uentilatione nostra; praesertim cum nichil in eis uerum appareat, nisi quod uerissimae sunt et molestissimae passiones.

Somnium uero cuius appellatio communis est, licet in specie propria censeatur, per quaedam inuolucra rerum gerit imagines, in quibus coniectorum praecipue disciplina uersatur, et nunc suum cuiusque est, nunc alienum, modo commune, interdum publicum aut generale est. In his uero omnibus qualitas personarum rerum et temporum diligentis- d sime obseruatur. Vt enim ait Nestor, de statu publico regis credatur somnio aut eius qui magistratum gerit, uel re quidem uel rei uicina praedestinatione. Aut si publicae fortunae signum ostensum est multis, ut in eo quod pluribus Romanis ciuibus secundum quosdam Sibilla interprete de mysterio incarnationis reuelatum scribitur. Et quidem non modo incarnationis, sed passionis, ascensionis post resurrectionem, aduentus quoque secundi interpres, docente et

---

3 Fantasma CABMS 6 capud A 14 somno S 20 Sompnium AM 22 ymagines M 23 modo] nunc M

---

6 *nec pes* etc.: Hor. *A. P.* 8, 9; 3, 4. 13 *ephialtem*: v. Macrob. *de Somn. Scip.* i. 3 § 7. 26 *Nestor* etc.: v. Macrob. *de Somn. Scip.* i. 3 § 5.

dictante Spiritu patefecit archana, sicut in uersibus Sibyllinis manifeste reperies. Quorum istud, sicut in plerisque patrum scripturis inuenitur, initium est:

Iudicii signum tellus sudore madescet.

430 a Si uero apices capitales singulorum uersuum ex ordine coniungantur, ad confundendam perfidiam Iudeorum hoc inuenietur expressum: Iesus Christus Teio Sother: nisi quod in lingua Latina Grecarum litterarum proprietas ad plenum non potuit obseruari. Ipsos uero uersus, ut opinor, apud beatum Augustinum in libro De Ciuitate Dei inuenies. Est ergo mistice uisionis eius caput et summa intentio, Iesum qui praefigurabatur indubitanter esse filium Dei uiui, hominem uerum, iudicem omnium, regem eternum, remuneratorem sperantium in se, auctorem uitae, et eternae beatitudinis ex gratia largitorem. Re quidem uel rei uicina praedestinatione, ideo dictum est, quia magistratus nunc praesens intelligitur nunc futurus. Excidium quippe Numantiae iuniori innotuit Affricano,
b dum esset adhuc pene miles. Dum autumnus adultus est aut praeruptus, somnia frequentius euanescunt. Arborum namque labentibus foliis, insomniorum uanitas dominatur: quod et Virgilius, in libro in quo totius philosophiae rimatur archana, sensisse uisus est, dum labentia folia apud inferos uariis somniis onerauit. Locorum quoque diuersitas uarias figuras quietis admittit, ut alia aliis nunc horum nunc illorum somniorum uberiora sint. Locus namque palustris aut desertus eminentiori aut celebriori phantasticarum imaginum fecundior est. Res quoque

2 repperies A 11 capud A 19 autumpnus M 20 sompnia AM 21 insompniorum BAM 22 phylosophiae C: phylosophie B 24 sompniis AM 26 sompniorum M 28 ymaginum M

10 *Augustinum*: sc. *de Civ. Dei*, xviii. 23 (Migne, *P.L.* xli. 579). 18 *Numantiae*: potius *Carthaginis* (Macr. *de S. S.* i. 3 § 13, § 16). 22 *Virgilius* etc.: v. Macr. *de S. S.* i. 6, i. 15; cf. quod disseruit Comparetti *Verg. nel medio ero* i. 8. de Fulgentii in *Aen.* vi commentariis. 23 *dum labentia*: v. Serv. in *Aen.* vi. 282–4. (cf. Plutarch, *Quaest. Conv.* viii. 10.)

interdum manifestius, interdum obscurius aperitur, et nunc se ipsam animo ingerit, nunc intimante alio declaratur.

Cum uero luce immediata seipsam infundit, uisio est, ex eo quod plena et uera specie sui oculis uideatur esse subiecta; c quale est, quod Cassandrum omnino non uisum, a quo Alexander hausto ueneno perimendus erat, agnouit, quia eum quies ei repraesentauerat. Porro uisionum alia manifestior est, ut quae clara rei occurrit imagine; alia profundiorem desiderat intellectum, ut cum rem admixta species figurarum obnubilat; sicut est, quod Gaio Cesare transito Rubicone bellum patriae inferente, ad designandum terrorem ciuium, qui erant per conciuis iniuriam opprimendi,

ingens uisa duci patriae trepidantis imago,

duci suo denuntians ne conciues armis ciuilibus impugnaret. Publici namque imago imperii publici metus et Cesareo nomine prostratae urbis erat indicio. Quod si imperii d nullam in ueritate, quae sic appareret, credidit quis fuisse imaginem, historiarum fide certiorabitur. Cum enim maiestatem urbis principes uisibili specie censuerunt honorandam, exquisito artificio muliebrem formam, quae orbem dextra contineret, in eris materia fieri studuerunt. Ea uero perfecta in forma egregia, uenusta quantitate, apta partium dispositione, membris quoque condecentibus et

---

4 subiecta] substantia M. Cyr. S 8 ymagine M 10 Gneio CBA: G. SM 14 ymago M 16 ymago AM 19 ymaginem M hystoriarum M

---

3 *uisio*: v. Macrobii loc. saepe cit. 5 *Cassandrum* etc.: Val. Max. i. Ext. 2. 14 *ingens* etc.: Luc. *Phars.* i. 186. 19 *Cum enim* etc.: Historiam haud dissimilem de statua quadam non Romae sed Romuli, quam quousque virgo pareret duraturam esse prophetavit oraculum Apollinis, habet Iacobus de Voragine in *Legenda Aurea*, cap. vi. (*de nativitate D. N. I. C.*); cf. *Mirabilia Romae*, c. 5, ed. Parthey 1869, p. 5, *palatium Romuli inter S. Mariam nouam et S. Cosmatem, ubi sunt due edes Pietatis et Concordie, ubi posuit Romulus statuam suam auream dicens 'non cadet, donec uirgo pariet.' Statim ut peperit uirgo, corruit.* Idem de palatio ab ipso per artem magicam apud Romam constructo praedixisse Vergilium narrat Alexander Neckam *de Naturis Rerum*, c. lxxiv (*Rolls Series* 34, p. 310).

sibi inuicem congruentibus uniuersis, cum non tam populi examinationem quam admirationem plena sui commendatione deposceret, quidam solas tibias tantae moli perferendae inhabiles esse causati sunt. Quibus faber respondit, eas usquequaque sufficere donec uirgo pareret, omnino
431 a credens impossibilem uirginis partum. Quod et Christo nato impletum est, ea corruente et fracta, quia humanum contrahitur ubi diuinum imperium dilatatur.

Cum uero res per quietem alio nuntiante clarescit, si tamen enuntiantis honesta cuique persona sit et uenerabilis, in oraculorum speciem cadit. Est enim oraculum, ut ait quidam, diuina uoluntas ore hominis enuntiata. Hominis uero appellatione censetur quicquid in specie uidetur hominis, homo, angelus sit, an deus, an quaeuis alia creatura. Persona autem cuiusque honesta est et uenerabilis, aut natura, ut parentis; aut conditione, ut domini; aut moribus, ut religiosi; aut fortuna, ut magistratus; aut religione, ut dei, angeli, hominisue sacris et cerimoniis diuinis consecrati. Ex quo apparet, etsi non simpliciter tamen secundum quid, per-
b sonas arte coniectoria non modo honestas sed et detestabiles uenerabilium nomine claudi. Sicut enim catholicae religionis uiri uero Deo eisque quae munere eius sacra sunt piam uenerationem impendunt, ita hereticae et superstitiosae religionis homines fictis numinibus, immo potius ueris demonibus et execrabilibus sacris eorum non debitam reuerentiam, quae nulla est, sed turpissimum exhibent famulatum. Quod latius ex gentilium libris colligitur. Eneas oraculorum indicio promissam et quaesitam inuenit Italiam, et in ea non tam numinum quam demonum nutu sedem statuit et sementem Romani generis in orto qui eis complacuerat seminauit. Quid enim aliud agit in sompnis pater Anchises, quid Iupiter, quid Apollo, quid alii quos
c longum est enarrare? Vnde si de semine illo genus oritur

---

31 somnis S 33 enarrare] recitare M

---

11 *Est enim oraculum* etc.: Sen. *Controv.* praef. § 9. 28 *Eneas* etc.: v. Verg. *Aen.* iii. 32 *Anchises* etc.: v. Verg. *Aen.* iv. 351–3, iv. 268 seqq., etc.

toxicatum, impium in Deum, crudele in homines, persecutioni sanctorum inuigilans, fide rara, sollenni perfidia, seruile moribus, fastu regale, fedum auaritia, cupiditatibus insigne, superbia tumidum, omnimoda nequitia non ferendum, miraculis non debet ascribi; cum auctor eorum homicida fuerit ab initio, et a ueritate deficiens inuidiae spiculo orbi terrarum infixerit mortem. Qui ergo ex eo patre sunt, etsi eius nequeant implere mensuram, solent tamen illius imitari malitiam; licet in orto illo nonnullas plantas, quae uirtutis fructum irrigatione apostolica faciunt, manu Domini constet esse insertas. Sed si quis ab initio urbis conditae totam reuoluat historiam, eos ambitione et auaritia d prae ceteris gentibus inueniet laborasse, et uariis seditionibus et plagis totum concussisse orbem. Ipsi quoque tyrannidis et seditionum suarum tam crebra dampna senserunt, ut uix quisquam principum eorum ad exitum uitae natura ducente peruenerit. Vnde et illud satiricum illis aptissime facit:

> Ad generum Cereris sine caede et sanguine pauci
> descendunt reges et sicca morte tyranni.

In scripturis quoque canonicis inueniuntur plurima oracula; ut cum Ioseph in sompnis ab angelo saepius eruditur; magis interdicitur ne redeant ad Herodem; docetur Petrus in reptilium lintheamine plenitudinem gentium colligendam; et cum uisitato ab apostolis Constantino crucis 432 a erectum est in imperii arce uexillum, et pace ecclesiis restituta maiestas orbis publica uoce scriniariorum aduocatorum et iudicum omnem uictoriam regnum et imperium Christi esse personuit. Verum quia duae species primae

2 solenni M: sollemni S 15 damna S 22 somnis S 24 linteamine MS 29 primę species M: prime species S

5 *homicida* etc.: v. Ioann. viii. 44. 8 *implere mensuram*: v. Matt. xxiii. 32. 19 *Ad generum* etc.: Iuv. *Sat.* x. 112, 113. 22 *Ioseph*: v. Matt. i. 20, ii. 13, 19. 23 *magis*: v. Matt. ii. 12. *Petrus*: v. Act. App. iii. 10 seqq. 25 *uisitato ab apostolis*: Hanc visionem narravit *Liber* seu *Vita Silvestri* de qua consule Duchesne *Lib. Pontif.* Introd. c. 4 §§ 47 seqq.; cf. Iacob. de Voragine, *Legend. Aur.* c. 12 (*de S. Silvestro*).

omnino uanae sunt, et in postremis quasi uisibili specie ueritas menti occurrit, mediam, quae corpori ueritatis quasi uelum figurarum oppandit, diligentius exequitur.

Cap. 16. *Generalia quaedam de significationibus, tam somniorum, quam aliorum figuralium.*

Est itaque tam ad interpretationem somniorum quam ad reuelationem enigmatum et figurarum sollerter attendenda rerum significatio, quae tanto multiplicior est quam
b uocum, quanto ab operibus naturae opera uincuntur artificis imitantis naturam. Si quis enim sermo tres aut quattuor habet significationes, statim polixenus est, id est, multarum significationum. Omnis uero res quot habet aliarum similitudines, tot gerit earumdem significationes; ita tamen ut maior numquam minoris sit signum. Signa siquidem semper minora sunt. Inde est quod hominem substantia quaeuis significat, utpote aliquid commune cum omnibus habentem, quod et in figura reptilium Petri et in pluribus locis scripturarum manifestum est. Porro quo similitudo expressior est, eo magis cognata et familiarior est significatio. Similitudo uero aut substantialis est, ut quae ex genere aut specie; aut accidentalis, ut ex quantitate aut qualitate aut uariis accidentium formis; aut imitationis
c est, ut cum quis alii quouis motu operis conformatur. Et hoc quidem modo potest creatori creatura esse consimilis, cum tamen nullo substantiali uel accidentali participent. Causae quoque suus conformatur effectus, et reciproce causa, si tamen minor est, effectui suo dicitur esse consimilis. Ceterum similium rerum sicut idem iudicium, ita et eadem nota est. Et quia signa frequenter eadem, in eo uel maxime ars coniectoris apparet, si sub identitate

4 significabilium S. *in rubr. cap. praef.* 6 sompniorum AMS 10 quatuor CS: iiii^or MP 16 hominibus P

11 *polixenus*: scil. πολύσημος; cf. Serv. in *Aen.* i. 1. 17 *reptilium Petri*; v. Act. App. iii. 10 seqq.

signorum diuersitatem rerum cauta discretione distinguit. Haec quidem generalia sunt; quae uero sunt specialia singulorum, latius patent. Non tamen praetereundum est signorum uim pro qualitate personarum seuiorem aut mitiorem esse. Pecuniae siquidem contrectatio aliis letum, tristem aliis euentum denuntiat. Sic ex non apparentibus causis inopina Veneris praesentia amaritudinem fortunae d frequentius ingerit. Vnde illud Ysiphiles Archemorum lugentis extinctum:

> Numquam impune per umbras
> attonitae michi uisa Venus.

Si enim ex reliquiis cogitationum aut Cereris Bachiue stimulis incitata Venus occurrat, insomniorum uanitati rectius applicabitur, quae omnia coniectorum disciplina, quasi uana contempnit, iuxta illud uiri sapientis:

> Somnia ne cures, nam mens humana quod optat,
> dum uigilat, sperat, per sompnum cernit id ipsum.

Interdum tamen et per antithesim rerum sequenda sunt ueritatis uestigia, sicut cum magno Pompeio ruina immineret, 433 a contraria uisis uaticinata quies, letitiamque urbis, populi tripudiantis praeconia, plausumque theatri sui, quasi re totius imperii bene gesta, fortuna perituri ducis oculis ingerebat. Res quoque quae turpis et obscena est in superficie, honestissimae ueritatis quandoque substantiam tegit. Gaius Cesar in minori etate in sompnis sibi uisus est matris incestare cubicula, et turpitudine soporis attonitus, cum rem ad mathematicos retulisset, uniuersam terram ditioni eius subiciendam responderunt. Sic itaque magnanimi uiri spes ad occupandum imperium erecta est. Denique ad speciem facti quis Vria iustior? quis Dauid nequior aut crudelior? quem decor Bersabee ad pro-

1 diuersitatatem M 13 insompniorum AM 16 Sompnia AM 17 somnum S 19 ponpeio C 25 Gaius] G. MS somnis S 27 retullisset M

10 *Numquam* etc.: Stat. *Theb.* v. 621, 622. 16 *Somnia* etc.: Cato *Dist.* ii. 31. 19 *cum magno* etc.: v. Luc. *Phars.* vii. 7 seqq. 21 *plausumque theatri sui*: v. Luc. *Phars.* i. 133. 30 *Vria* etc.: v. 2 Reg. xi.

b ditionem homicidium et adulterium inuitauit. Quae quidem omnia contrarium faciunt intellectum, cum Vrias diabolus, Dauid Christus, Bersabee peccatorum labe deformis ecclesia figuretur. Frequens tamen et quasi regulare ius est, ut a similibus ad similia recurrat interpretatio. Verum hanc uisionum, quas quies inducit, diuisionem per opposita non fieri certum est; cum eadem pro parte sit uisio, aliunde oraculum, et propter rerum figuras possit somniis aggregari, et uniuersas eorum species quandoque contingat; quod et studiosis scripturarum planum est. Visio Affricani, Apocalipsis apostoli, Danielis et Ezechielis oracula, somnia Pharaonis et Ioseph eorum quae dicta sunt faciunt fidem. Personis quoque quibusdam ueritas c frequentius illucescit, utpote compositum habentibus animum, alias frequentior error inuoluit. Augustus Cesar cum aduersus Antonium dimicaturus esset, egritudine graui laborans in quiete mandatum accepit ut ad uictoriam consequenti die praelio interesset. Paruit itaque lectica deuectus in praelium et uicit. Socrates sibi ex ara Veneris, quae Academiae erat, uidit offerri cignum collum inserentem celo, rostro tangentem sydera, regionem quae Aplane dicitur penetrantem, et transcendentem aspectus omnium, et tanta uocis sonoritate et letitia canentem ut totum mulceret orbem. Sequenti die Aristides ab Academia paruulum filium Platonem Socrati obtulit litteris et moribus imbuendum. Quo uiso, mentis uiribus ex corporis disposi- d tione conceptis, Hic est, inquit, cignus, quem nostro Apollini Venus Academica consecrauit. Plato litterarum, quas persequebatur, causa proficiscens in Egyptum se a piratis capi inter eundum et uenundari uidit; quod et dum iret, contigit.

27 Apolloni M 29 egiptum C

1, 2 *Quae quidem* etc.: v. Aug. *contra Faustum*, xxii. 87 (Migne, *P. L.* xlii. 459); Greg. *Mor.* iii. 28 in Iob ii. 13 (Migne, *P. L.* lxxv. 626). 11 *Visio Affricani*: ap. Cic. *Somnium Scipionis.* 12 *Pharaonis*: v. Gen. xli. *Ioseph*: v. Gen. xxxvii. 15 *Augustus* etc.: v. Val. Max. i. 7 § 1. 16 *Antonium*: potius *Brutum*; v. Val. Max. l. c. 19 *Socrates* etc.: v. Apul. *de Dogm. Plat.* i. 1. 28 *Plato* etc.: Hanc historiam de Platonis seruitute, discrepantem ab ea quae vulgo traditur, haud alibi reperire potui.

Cap. 17. *Coniectoriam non esse sequendam.*

Sed dum has coniectorum traditiones exequimur, uereor ne merito non tam coniectoriam exequi, quae aut nulla aut inanis ars est, quam dormitare uideamur. Quisquis enim somniorum sequitur uanitatem, parum in lege Dei uigilans est, et dum fidei facit dispendium, perniciosissime dormit. Veritas siquidem ab eo longe facta est, nec eam facilius potest apprehendere quam urionem expungere uel puncto [434 a] curare carcineam qui caligantibus oculis in meridie palpat. Et licet haec sompnolentia perfidiae sit fidei stimulis excitanda, et maleficii potius quam artificii impugnanda illusio, diuinae tamen gratiae dispositionis suae non obstruimus uias, non praecludimus semitas, quin Spiritus ubi uult spiret et pro arbitrio suo subiectis mentibus infundat ueritatem. Verum quisquis credulitatem suam significationibus alligat somniorum, planum est quia tam a sinceritate fidei quam a tramite rationis exorbitat. Plane si sermo proferatur ambiguus et cuius multae sint significationes, nonne merito parum doctus uidebitur quisquis ex eo citra discussionem sensuum sibi aliquid pertinacius suadebit? Profecto rerum omnium, ut praedictum est, [b] multiplex est et uaria significatio. Multiplicium uero distinctio diligens habenda est, ne forte dum unam diligentius sequeris, in aliam deterius prolabaris. Vnde patet coniectorium, qui nomine Danielis inscribitur, auctoritatis et ueritatis robore destitutum, cum res singulas singulis significationibus arcet; de quibus non uidetur latius

---

5 sompniorum AM 10 somnolentia S 16 sompniorum AM 25 autoritatis A

---

8 *urionem*: quid significet *urio*, nescio; nam locus *Policr.* i. 5 ubi ludus quidam *urio* vocatur nihil ad rem habet. 9 *carcineam*; haud dubito quin hoc vocabulum idem quod *carcinoma* significet. Forsan *urio* etiam apud medicos speciem quandam tumoris morbidi designavit. Sententia Nostri huiusmodi esse videtur: Nemo qui somnia sequitur facilius veritatem apprehendere quam caecus artem chirurgicam exercere potest. 13 *Spiritus* etc.: Ioann. iii. 8. 21 *ut praedictum est*: v. supra *Policr.* ii. 15 *init.* (499 A). 25 *coniectorium* etc.: vide Fabricium *Cod. pseudepigr. V. T.* i. pp. 1130 seqq.

exequendum, cum tota huiusmodi sit inepta traditio, et uagus coniectorum liber per curiosorum manus impudenter discurrat. Habuit sane Daniel gratiam interpretandi uisiones et somnia, quam ei Dominus inspirabat; sed absit ut uanitatem hanc in artem redegerit uir sanctus, qui lege Moysi prohibitum esse nouerat, ne fidelium quis somnia c sequeretur; sciens utique satellitem Sathanae ad subuersionem hominum in angelum lucis transfigurari, et immissiones fieri per angelos malos. Ioseph quoque coniectandi gratia Egypti principatum obtinuit, et quem fratres quasi de inuidia somniorum uenditum Hismaelitis obnoxium fecerant seruituti, digitus Domini non minus iocundo quam salubri mysterio, reuelata facie futurorum quae se regi quiescenti ingesserant, quasi quodam somniorum uehiculo de squalore carceris in regni fastigium sullimauit, ut non modo liber de seruo sed nobilium et procerum primus uno tantum regni scilicet solio praecederetur a rege. Quod utique si de humanae sapientiae artificio contingere potuisset, aliquem decessorum suorum d ante eum meruisse crediderim, uel scientiam promerendi uirum sanctum et pietatis affectu plenum, si non humano generi in commune, quod tamen aequitatis esset, fratribus et filiis facile putauerim reliquisse. Ad haec Moyses eruditus in omni sapientia Egyptiorum hanc artem aut nesciuit aut spreuit, cum eam, impietatis errorem detestatus, a populo Dei exterminare curauerit. Praeterea sanctus Daniel disciplinas et sapientiam didicit Caldeorum; quod utique sanctus uir non fecisset, si gentilium disciplinis instrui credidisset peccatis ascribendum. Habuitque eruditionis participes, quos legis et iustitiae Dei se gaude-

---

4 sompnia M 6 sompnia AM 10 egipti S 11 sompniorum M ismaelitis M: hismahelitis S 13 misterio AS 14 sompniorum AM 24 egiptiorum S 29 asscribendum S

5, 6 *lege Moysi*: v. Lev. xix. 26. 8 *in angelum lucis*: 2 Cor. xi. 14. 9 *immissiones* etc.: Ps. lxxvii. 49. *Ioseph* etc.: v. Gen. xli. 17 *uno tantum* etc.: Gen. xli. 40. 23 *Moyses* etc.: v. Act. App. vii. 22. 27 *Daniel* etc.: v. Dan. i. 4.

bat habere consortes. Simul etenim discebant Ananias Azarias Misael quicquid poterat docere Caldeus; simul a mensa et a regalibus epulis abstinebant, quod inspirabat Deus. Acceptis leguminibus pariter reficiebantur, eisdem 435 a contenti erant militiae suae stipendiis, regi una famulabantur. Sed ecce priuilegium, quod homo conferre non potuit, singillatim datum est Danieli, ut in lucem proderet enigmata somniorum et Domino dictante umbras discuteret figurarum. Vt uero familiaritas diuinae gratiae euidentius illucescat, quid rex in strato cubans praecogitaret agnouit, et meditationi uisa connectens mysterium salutis, quod umbra obnubilat, et in fine seculorum completum est aut complendum, prudenter exposuit. Siccine solent coniectores etiam cogitationes excutere et umbras exinanire, explicare inuolucra et illustrare tenebras figurarum? Si quis est qui pari gratiae priuilegio gaudeat, accedat ad b Danielem et Ioseph, et similiter eis Domino gratuletur. Quem uero ueritatis spiritus non illustrat, de arte sompnolenta frustra confidit, cum ars omnis habeat a natura originem, ab usu et ratione processum. Ratio uero in his tantum defectum patitur, ut quo se uertat, quid iudicet, plerumque omnino non habeat. Quod quidem cum frequenter eueniat, facillime ex paucis colligitur. Sollicitus quidam (nomen etenim a memoria excidit, etsi narrationis auctorem magnum teneam Augustinum) in re dubia sensum alterius, cui rem nouerat esse notam, magna instantia sibi postulabat exponi. Cum uero alter petentis desiderium promissionibus protraxisset, et unius instantia deluderetur calliditate alterius, accidit ut eadem nocte pariter som- c niarent, alter quod rem quaesitam petenti exponeret, alter quod ei a doctiore diligentissime exponeretur. Factumque est ut cum umbra quietis euanesceret, se miraretur ille ad scientiam, quam diu quaesierat, sine doctoris beneficio

2 chaldeus CB 8 sompniorum AM 10 stratu A 11 misterium AS 18 somnolenta S 29 sompniarent AM

7 *ut in lucem* etc.: v. Dan. ii. 23 *Sollicitus* etc.: v. Aug. *de Civ. Dei*, xviii. 18.

nulloque sui exercitio peruenisse. Deinde cum more solito apud doctiorem ageret ut sibi promissum solueretur, iam, inquit doctior, factum est quod petisti, cum ea nocte ut docerem accesserim. Quis huius facti explicet rationem, nisi quod boni spiritus uel maligni exigentibus hominum meritis eos erudiunt uel illudunt? Nouit enim Ieronimo d referente catholica mater ecclesia quomodo ad tribunal iudicis Dei raptus, eo quod libris gentilium uehementius inhereret, ibidem coactus est profiteri se ultra gentilium libros non modo non lecturum sed nec etiam habiturum. Ante siquidem professionem interrogatus, cum se diceret Christianum, ei a iudice probrose obiectum est quod non suus erat sed Ciceronianus. Hoc tamen non audacter affirmauerim somnii censendum nomine, cum idem ueracissimus et prudentissimus doctor umbram somnii non fuisse, sed rem secum ueraciter agi Domino uisitante etiam iurisiurandi religione confirmet; et ut plenam assertionis suae faciat fidem, liuorem uerberum in cute, uulnerum cicatrices expergefactus ostendit in corpore. Sed cum haec a spiritibus circa homines fiant, eam solam rerum imaginem fidelis anima non aspernatur, quae innocentiam 436 a relinquit incolumem. Quod si materiam uitiis afferat, libidinem forte accendens aut auaritiam aut dominandi ingerens appetitum aut quicquid huiusmodi est ad subuersionem animae, proculdubio aut caro aut spiritus malignus immittit, qui in quosdam exigentibus culpis, Domino permittente, tanta malitiae suae licentia debaccatur ut quod in spiritu patiuntur, miserrime et mendacissime credant in corporibus euenire. Quale est quod nocticulam quandam uel Herodiadem uel praesidem noctis dominam

14 sompnii AM 15 sompnii AM 21 ymaginem M 27 debachatur BM

6 *Nouit* etc.: v. Hieron. *Ep.* xxii. § 30 (Migne, *P. L.* xxii. 415, 416). 29 *Quale est* etc.: cf. Aug. *de Civ. Dei*, xviii. 18. 30 *Herodiadem*: haud recte Pontanus (in Macrob. *Sat.* iii. 8) *heroidem* legere maluit; nam haec ex canone quodam spurio conc. Ancyrani a. 314 habiti citant Regino, Burchardus, Ivo Carnotensis, Gratianus *Decr.* II. xxvi. 5 c. 12 (ed. Friedberg i. 1030), auctor libri *de Spiritu et Anima* sub

concilia et conuentus de nocte asserunt conuocare, uaria celebrari conuiuia, ministeriorum species diuersis occupationibus exerceri, et nunc istos ad penam trahi pro meritis nunc illos ad gloriam sullimari. Praeterea infantes exponi b lamiis et nunc frustratim discerptos edaci ingluuie in uentrem traiectos congeri, nunc praesidentis miseratione reiectos in cunas reponi. Quis uel cecus hoc ludificantium demonum non uideat esse nequitiam? Quod uel ex eo patet, quod mulierculis et uiris simplicioribus et infirmioribus in fide ista proueniunt. Si uero quisquam eorum qui hac illusione laborat ab aliquo constanter et ex signis aliquibus arguatur, demonium statim aut superatur aut cedit et, ut dicitur, ex quo quis in luce arguitur, cessant opera tenebrarum. Huius autem pestis cura efficacissima est ut fidem quis amplexus his mendaciis subtrahat mentis auditum et nequaquam respiciat ad huiusmodi uanitates c et insanias falsas.

Cap. 18. *De fundamento mathematicae, et exercitio sensuum, et uiribus animae, et profectu rationis, et efficacia liberalium disciplinarum.*

Possit utinam tam facile mathematicorum error a praestantioribus animis amoueri quam leuiter in conspectu uerae fidei et sanae conscientiae istarum illusionum demonia conquiescunt. Verumtamen eo periculosius errant, quo in soliditate naturae et uigore rationis suum fundare uidentur errorem. Temerarium siquidem uidetur uniuersis in legem naturae praeuaricari, et stultum gratis dissentire ab eo quod ratio persuasit. A ueris ergo sumunt initium, ut per uera diutius gradientes se et sequipedas suos praecipitent

---

nomine Augustini editi c. 28 (Migne, *P. L.* xl. 799), Vincentius Bellovacensis *Spec. Mai.* ii. 11 *Quaedam mulierculae post Satan conversae daemonum illusionibus et fantasmatibus seductae credunt se et profitentur nocturnis horis cum Diana dea Paganorum vel cum Herodiade et innumera multitudine equitasse, earumque iussibus obtemperasse.* Vide Grimm, *Deutsch. Mythol.* c. 13, pp. 234 seqq., c. 34, pp. 382 seqq., etc. *Herodias* inter titulos *Kundry* a *Klingsor* in R. Wagneri *Parsifal* enumeratos invenies. 13 *ut dicitur*: v. Ioann. iii. 19, 20. 21 *Possit* etc.: cum capitulis 18–24 cf. Aug. *de Civ. Dei*, v. 1–11.

d in laqueum et foueam falsitatis. Mathesim ergo probabilem quae penultima breui enuntiatur, quam et natura inducit, ratio probat, et utilitatis experientia approbat, quasi quoddam doctrinae suae iaciunt fundamentum, ut exinde opinionum suarum lubrico quasi quadam imagine rationis in mathesim reprobam, quae profertur extensa penultima, perniciosissime prolabantur. Primo namque res quas natura creauit discutiunt, easque multipliciter inuestigant, nunc quomodo ex partibus suis, nunc quomodo ex materia et forma constant inquirentes. Quod ut facilius possint, sensuum uires pensant et intellectus efficaciam metiuntur. Et quia sensuum hebetudo rerum corporearum naturam non transgreditur, paulatim aliorum beneficio ad
437 a subtiliora consurgunt. Visus etenim in solo corpore eoque praesente colores tantum quantitates examinat et figuras: sonus solus contingit auditum: gustus de saporibus iudicat: olfaciendi uis in odoribus tota uersatur: quid durum, quid molle sit, quid lene, quid asperum, quid ponderosum, quid leue, quid calidum aut frigidum, quid humidum sit aut siccum, tactus discernit; est interdum figurae explorator, et quantitatis et ponderis conscius; dolorem quoque percipit et uoluptatem; isque per omnes fere sensati corporis partes diffunditur, adeoque animae coherens est ut eo discedente uideatur et tota corporis uita discedere. Si uero corporum absentium praefatas proprietates inquiris, eas tibi tracta similitudine ab his quas sensus agnouit,
b poterit imaginatio praesentare, quae tanto erit fidelior, quanto expressior similitudo. Vnde et Titirus apud Maronem non assecutae similitudinis uitio lapsam sibi queritur imaginationem:

Vrbem quam dicunt Romam, Melibee, putaui
stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
pastores ouium teneros depellere fetus.

---

5 ymagine M 27 ymaginatio M 28 *post* expressior *add.* fuerit A *marg.* SM titurus M 30 ymaginationem M

---

2 *quae penultima* etc.: cf. supra, *Policr.* i. 10 (407 a). 31 *Vrbem* etc.: Verg. *Ecl.* i. 19–21, 24, 25.

Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
quantum lenta solent inter uiburna cupressi.

Sin autem familiarius expresserit rei similitudinem, fidelis et uera est imaginatio, quali utitur Andromache apud Virgilium:

O michi sola mei super Astianactis imago;
sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat,
et nunc equali tecum pubesceret euo.

Verum si ad incorporea diuertendum est, ratione opus est c
et intellectu, cum absque intelligentia haec non ualeant comprehendi, et uerum non possit esse de his sine ratione iudicium. Intellectus itaque aliis deficientibus exerit uires suas, et quasi in arce animae constitutus omnia inferiora complectitur, cum ab inferioribus superiora nequeant comprehendi. Et nunc quidem res ut sunt, nunc aliter intuetur, nunc simpliciter, nunc composite, nunc disiuncta coniungit, nunc coniuncta distrahit et disiungit. Simpliciter ergo incedit intellectus, dum rem quamlibet contemplatur, puta hominem equumue concipiens. Cum uero res plures gradatim complectitur, compositioni obnoxius est; puta hoc intellectum, hominem album equumue currere, mente complectens. Disiuncta coniungit, ut si d

humano capiti ceruicem iungat equinam,
uarias inducens undique plumas

ut, iuxta poetam,

turpiter atrum
desinat in piscem mulier formosa superne

Hunc uero ad auditores suos uerbo traiciunt poetae, cum hircoceruum, centaurum describunt et chimeram. Coniuncta uero disiungit, ut si formam teneat absque materia, cum tamen sine ea forma omnino esse non possit, nisi forma essendi et ei adherentes formae formarum, ex quibus illae

1 capud A 4 ymaginatio M 6 ymago M

6 *O michi* etc.: Verg. *Aen.* iii. 489–91. 23 *humano* etc.: Hor. *A. P.* 1–2. 26 *ut turpiter* etc.: Hor. *A. P.* 3, 4. 28 *Hunc*: sc. intellectum. 32 *ex quibus* etc.: v. Boeth. *de Trin.* c. 2 (Migne *P. L.* lxiv. 1250).

fluxerunt, quae in materia sunt et corpus efficiunt. Porro 438 a cum res aliter quam sint componendo inspicit, eo quod cassus est et a rerum ueritate deficiens, ad opinionis errorem uergit, et si esse asserit uel non esse, pleno nomine opinio est. Sed licet aliter quam sint, dum tamen simpliciter, coniuncta disiungat, non inanis erit conceptio, quae totius inuestigationis sapientiae expeditissimam parit uiam. Hic est enim totius philosophiae instrumentum, quod et mentem mira subtilitate exacuit et res singulas a se inuicem naturae suae proprietate distinguit. Si abstrahentem tuleris intellectum, liberalium artium officina peribit, cum citra ipsius operam nulla earum rite haberi ualeat aut doceri. Hic itaque sicut formam sine materia, sic et materiam aggreditur sine forma; et quod propriae b uirtutis potentia tenere non sufficit, suo quodam defectu interdum comprehendit, ut si uideantur tenebrae non uidendo et non audiendo silentium audiatur. Ecce non est homo qui non sit albus aut niger aut medii coloris particeps, nec potest esse homo, qui non statim sit aliquis homo, cum idem sit alicui esse et unum numero esse. Verumtamen sic hominem intellectus attingit, ut ad neminem hominem aspectus illius descendat, generaliter intuens, quod non nisi singulariter esse potest. Sicut enim dicendi et significandi, sic et intelligendi diuersitas, subsistendi modos sui numerositate transcendit, et homo, qui non potest nisi singulariter esse, uniuersali clauditur mentis conceptione. Diffinit ergo ratio quod concipit intellectus, c animal rationale mortale, quod in solos subditos cadere nemini recte sapientium ambiguum est. Dum itaque rerum similitudines et dissimilitudines colligit, dum differentium conuenientias et conuenientium differentias altius perscrutatur, dum quid singula cum pluribus, quid cum paucioribus commune habeant, diligentius inuestigat, quaeue rebus singulis adesse necesse sit, quae abesse non possint,

8 phylosophie C phylophie B 21 Verumptamen C 34 possunt M

27 *Diffinit* etc.: vide (cum quodam in marg. *S.*) Boeth. *Consol. Philos.* v. Pros. 4.

perspicacius contemplatur, multos apud se rerum inuenit status, alios quidem uniuersales, alios singulares. Quos pro arbitrio suo diffiniens et multiphariam diuidens ad ipsius archana naturae, mentis transmittit aspectum ut nichil naturalium plene absconditum sit ab oculis eius. Et primo substantiam, quae omnibus subest, acutius intuetur, in qua manus naturae probatur artificis, dum d eam uariis proprietatibus et formis quasi suis quibusdam uestibus induit et suis sensuum perceptibilibus informat, quo possit aptius humano ingenio comprehendi. Quod igitur sensus percipit, formisque subiectum est, singularis et prima substantia est. Id uero sine quo illa nec esse nec intelligi potest, ei substantiale est, et plerumque secunda substantia nominatur. Hoc autem quod adest quidem substantiae et ea manente abesse potest, accidentibus aggregatur. Singulare quidem si unus tantum sit; uniuersale, si, licet non natura, conformitate tamen sit commune multorum. Quod forte facilius in intellectu quam in natura rerum poterit inueniri, in quo genera et species, differentias propria et accidentia, quae uniuersaliter dicuntur, planum est inuenire, cum in actu rerum subsistentiam 439 a uniuersalium quaerere exiguus fructus sit et labor infinitus, in mente uero utiliter et facillime reperiuntur. Si enim rerum solo numero differentium substantialem similitudinem quis mente pertractet, speciem tenet; si uero etiam specie differentium conuenientia menti occurrat, generis latitudo mente diffunditur. Denique dum rerum, quas natura substantialiter uel accidentaliter assimilauit, conformitatem percipit intellectus, in uniuersalium comprehensione mouetur; cum uero similium differentias agitat, quanto expressius, tanto ad opera naturae, quae singularia sunt, familiarius accedit, si substantiam suis uestitam proprietatibus inspicit, a naturae conditione non diuertit. Sin autem b detracta specie, eam quasi formarum exuit uestimento, acumen quidem suum exercet, et rerum naturam, quid

---

17 scilicet M 23 repperiuntur A 24 solo rerum A

scilicet in se, quid in aliis sint, liberius et fidelius contemplatur, dum rerum substantiam, quantitatem, ad aliquid, qualitatem, situm esse, ubi, quando, habere, facere, pati, singillatim discutit et discernit. Quae etsi singillatim esse non possint, singillatim tamen inuestigari queunt; et ad totius philosophiae compendium, utilissima est haec speculatio, in qua magnitudinis et multitudinis, quae duo totum orbem complectuntur et ambiunt, natura discutitur. Numquid abstrahens intellectus, dum haec agit, otiosus est aut inutilis, per quem animus honestarum
c artium gradibus ad thronum consummatae philosophiae conscendit? Multitudinem ergo quae potentia sui in infinitum crescit, sicut e contra magnitudo decrescit in infinitum, bimembri diuisione partitur, dum eam nunc simpliciter et per se, nunc ad aliud relatam contuetur, alteram demandans arithmeticae, alteram musicae pleno iure reseruans. Magnitudinem quoque secat in duas species, alteram immobilem subiciens geometris, alteram scilicet mobilem his qui astrorum et celestium scientiam profitentur. In his uero quattuor speciebus mathesis, id est, doctrinalis tota consistit, et quasi quattuor philosophiae limitibus mundanae sapientiae perfectionem assequitur. Primus itaque gradus est ab arithmetica numerorum
d uirtutem mutuare: secundus proportionum gratiam a musica trahere: tertius obtinere scientiam a geometria mensurarum: quartus idemque nouissimus ueram positionem siderum assequitur et uim celestium perscrutatur. Eorum uero qui scientiam profitentur astrorum, alii opinionis errore prolabuntur ad fabulas, in quo deprehenditur

---

1 conteplatur C 6 phylosophiae C: phylosophie BA 11 tronum A phylosophiae C: phylosophye B 16 arismeticae M: arismetice S 21 $iiii^{or}$ M phylosophiae C: phylosophie B 23 arismetica M: arismethica S 27 syderum CB

---

2 *substantiam* etc.: viz. decem Aristotelis praedicamenta. 12 *Multitudinem* etc.: vide de hac scientiae mathematicae divisione quadripartita Boeth. *Arithm.* i. 1. (Migne, *P. L.* lxiii. 1081); cf. Cassiod. *de Artibus et Disciplinis* (Migne, *P. L.* lxx. 1203). 20 *quattuor speciebus*: quae saepe *quadrivium* appellantur.

et Iginus, alii sola imaginationis uirtute contenti sunt, quid uerum sit doctiorum iudicio reseruantes, satis agentes sibi, dummodo ueri similitudinem teneant. Vtrosque alterutra astrologia eruditionis suae recipit professores. Sunt alii, qui in professione astrorum ueritati quidem inuigilant, eo solo contenti, si positionem ueram motumque siderum rationemque signorum ueraciter assequuntur.

Cap. 19. *De differentia mathematicae doctrinalis et mathe-* 440 a
sis reprobatae, et traditione mathematicorum et erroribus eorum.

Verum quia probabile est celestium aliquam esse uirtutem, cum et in terra non credatur aliquid gigni, quod a manu opificis Dei bonum aliquem non sortiatur effectum, qui curiosiores sunt, celestium potentiam inuestigant, et de singulis quae in sublunari globo proueniunt, astronomiae suae regulis nituntur reddere rationem. Est autem astronomiae nobilis et gloriosa scientia, si clientelam suam intra moderationis metas cohibeat, quam si licentiori uanitate excedit, non tam philosophiae species quam impietatis decipula est. Et quidem multa sunt mathesi doctrinali et diuinatoriae mathesi communia, sed dum diuinatio sobrie- b
tatis mensuram excedit, toto dissidens fine non instruit sed suum dedocet professorem. Quod enim zonas partiuntur, parallelos disterminant, cum signis suis obliquant zodiacum, quod orbem fere totum coluris cingunt, quod laborem metiuntur planetarum, quod aplanem nullius erroris participem faciunt, quod a polo arctico ad antarcticum axem ducunt, quod signa per gradus et puncta diuidunt, quod orientium et occidentium signorum, et siderum proportionem tenent, utrique commune est. Vtraque tamen in eo

1 ymaginationis M 6 syderum CB 7 assecuntur M 24 parallellos CBM oblinquant CBS 27 artico CB antarticum CB 29 syderum C

1 *Iginus*: scil. Hyginus in *Poetic. Astron.* 11 *Verum* etc.: in hoc capitulo scribendo Macrob. *de Somn. Scip.* et Martiani Capellae lib. viii usus est Noster. Vestigia libri Aristotelis *de Caelo*, de quo Mannonis commentarios legisse Ioannem suspicatur, invenisse sibi videtur Petersenius in editione sua *Enthetici de Dogmatibus Philosophorum* p. 94.

phisicis adquiescit, quod teneritudinem subtilium corporum in quasdam sectas uias et circulorum intercapedines non estimat dissipari. Asserunt quoque communiter solem c caloris auctorem esse, humorumque augmentum et defectum, quoniam id sensus probat, motui lunari accommodant; et in hunc modum plurima. Ceterum mathesis, quae futurorum pollicetur indicium, ab elementis philosophiae, ut praedictum est, trahens originem ultra progreditur, et elationis suae temeritate in praerogatiuam eius prorumpit

qui stellas numerat, quarum ipse nomina solus
signa potestates cursus loca tempora nouit.

Quoniam hoc ipsum astronomiae suae beneficio sibi astrologus repromittit. Tantoque longius a scientia ueritatis aberrant, quanto ad eam tumidius irrumpere moliuntur. Signorum ergo naturam reuoluentes, prout eam forte nouerant, dum in stellis comparibus fluctuarent, alia d dicunt masculini generis, alia feminini, essentque forsitan multiplicata per sobolem, nisi quia dissociata locis in coitu conuenire non possunt. Planetarum quoque consilia, quoniam et orbis moderatores eos habent, diligenter explorant, quod ex affectione eorum et motu et applicatione unius ad alterum choreisque stellarum facile est inuenire. Saturnus ergo, quia frigidus est et senex, grauis est et nociuus, et de natura malitiam, morositatem contrahit ab etate. Omnibus ergo inimicus uix suis etiam scolasticis parcit. Succedit ei Iupiter e contra propitius et salubris tantaeque benignitatis in omnes ut nec de malitia patris nec Martis ferocitate subiecti quemquam offendat, nisi forte et ipse 441 a in orbis subiecti dispendia stationarius factus sit retrogradusue aut adustionem miserabilem patiatur. Mars ferox naturaque indomitus omnes praeter scolasticos suos

24 nocuus M 26 igitur M parcet M

1 *phisicis* etc.: Mart. Cap. viii. § 814. 3, 4 *solem caloris* etc.: v. Macrob. *de S. S.* ii. 7 alibi. 11 *qui stellas* etc.: Sedulius *Carm. Pasch.* i. 66, 67. 23 *Saturnus* etc.: sic planetas describit Firmicus lib. vii.

persequitur; mitigatur tamen interdum Iouis accessu uel Veneris, quoniam et ipsa propitia est et benigna. Mercurius uero talis est, qualem uicini planetae permiserint, cum et ipse conuertibilis naturae sit potentioribusque cohereat. Vnde plerique eum praesulem eloquentiae opinantur, eo quod illa iuncta sapientiae plurimum prosit, malitiae sociata noceat plurimum. Haec quidem etsi non docuit, sectam tamen erroris attigit Lucanus, cum timorem urbis describeret; bellumque ciuile necessariis astronomiae argumentis ineuitabiliter appropinquante Cesare futurum denuntiaret. Innuit enim poeta doctissimus (si tamen poeta dicendus est, qui uera narratione rerum ad historicos b magis accedit) illius malitiam irrefragabiliter adimplendam qui solus in throno sui domicilii residebat. Et licet Figulus Parcarum consilia discutiat mentemque stellarum, corporum tamen quae uidentur nondum plenam notitiam tradidit, cum in tota mathematicorum domo adhuc non sit quaestio expedita, an ex elementis sidera constent an ex quinta essentia quam Aristotiles introducit. Nam quod eis obiciunt pueri, mollia sint an dura, et si quid huiusmodi est, etiam audire dedignantur, quamuis aliquos famosos et suo iudicio sapientes in talibus uiderim miserrime laborare. Expediunt tamen et suis rationibus probant, quid fata deliberent, et deprehensa uoluntas c siderum quem in sublunari globo sortiatur effectum. Et forte sententia numinis irrita est, quam non mathematicus profert. Ait ergo:

Quod cladis genus, o superi, qua peste paratis
seuitiam? extremi multorum tempus in unum
conuenere dies; summo si frigida celo
stella nocens nigros Saturni accenderet ignes,

12 hystoricos M 14 trono A 18 sydera CB 23 miserationibus M 25 syderum CB sublimari M

8 *Lucanus* etc.: v. Luc. *Phars.* i. 469 seqq. 13 *illius*: sc. Martis; v. Luc. *Phars.* i. 660 seqq. 15 *Figulus*: v. Luc. *Phars.* i. 640 seqq. 19 *ex quinta essentia*: Stellas ex *quinta substantia* constare docet Mart. Cap. viii. § 814, quam Aristotelem quattuor elementis addidisse tradit Cic. *Tusc. Disp.* i. 10 § 22. 28 *Quod cladis* etc.: Luc. *Phars.* i. 648–68.

Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,
totaque diffuso latuisset in aequore tellus.
Si seuum radiis Nemeaeum, Phebe, Leonem
nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
succensusque tuis flagrasset curribus ether.
Hii cessant ignes; tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda, Chelasque peruris,
quid tantum, Gradiue, paras? Nam mitis in alto
Iupiter occasu premitur, Venerisque salubre
sidus hebet, motuque celer Cillennius heret,
et celum Mars solus habet. Cur signa meatus
deseruere suos, mundoque obscura feruntur?
d Ensiferi nimium fulget latus Orionis.
Imminet armorum rabies, ferrique potestas
confundet ius omne manu; scelerique nefando
nomen erit uirtus, multosque exibit in annos.

Ecce ex qualitate planetarum et positione signorum et concursu causarum quam manifestus belli ineuitabilis sequatur euentus. Hoc etenim ad artis traditionem plurimum spectat, ut de naturali uel casuali constet domicilio planetarum. Omnes siquidem praeter solem et lunam qui soli singulis contenti sunt, duobus domiciliis gaudent, naturali scilicet et accidentali. Naturale quidem cuique domicilium est, in quo quisque creationis suae principium
442 a habuit, si tamen genethliaci consentiunt eos a Domino esse creatos. Lunae igitur domicilium Cancer est, Leo Solis, Mercurii Virgo, Libra Veneris, Scorpio Martis, Sagittarius Iouis, Saturni Capricornus, et hoc naturaliter. Casualiter uero Saturno cedit Aquarius, Pisces Ioui, Aries Marti, Veneri Taurus, in Mercurii sortem Gemini cedunt. Luna uero commoda est, quam cum aliis stellis, quicquid illi garriant, creauit Deus ut praeesset nocti. Quid enim de sole dicam, qui dux et princeps est et moderator luminum reliquorum? Eum utique reclamantibus omnibus his planetariis, non timeo bonum et necessarium profiteri;

6 Ii A   10 sydus CB   15 nafando S   16 exhibit A   20 causali CBA[1]   25 genelliaci CBSM   26 ergo M   28 Causaliter CBA[1]

16 *exibit*: scil. *Hic furor*, l. 669.   31 *quam cum aliis* etc.: Gen. i. 16.

cum et diem uidentibus cunctis illustret, temperet orbem,
anni tempora diuidat, inducat rerum uicissitudines, et alia
plurima quae nunc longum est enarrare. Sed licet multa-
rum utilitatum in eo et in ceteris causae resideant, ipsorum b
tamen et omnium quae recte sunt, una est et prima causa,
quae mundum fecit propriae maiestatis potentia, eumque
sapientiae suae uirtute et immensitate formauit et firmauit,
et ut ei tam substantiam quam formam conferret, sola
inducta est bonitate.

Verum mathematici uel planetarii, dum professionis suae
potentiam dilatare nituntur, in erroris et impietatis menda-
cia perniciosissime corruunt. Nec cuiuscumque artis regula
seruatur illesa, nisi dum infra proprii generis ambitum
cohibetur, praesertim cum iuxta sapientem frequens sit
aliquid extra regulam inueniri. Omnis etenim regula
alicui generi rerum accommodata est. Si uero traducatur c
ad aliud, statim in ueritatem impingit obnoxiam falsitati.
Si ergo mathematici probabilis matheseos, id est, doc-
trinalis essent fine contenti, et ueram possent assequi
positionem stellarum, et ex signis suis sobria eruditione
secundum quod naturaliter proueniunt qualitatem prae-
scire temporum et speculationis suae iocundissimum
carpere fructum. Cum uero dilatant philateria sua et
magnificant fimbrias, dum constellationibus et planetis
nimium uirtutis ascribunt, eis nescio quam auctoritatem
operum ascribentes, in creatoris prorumpunt iniuriam; et
dum celestia quae tractant ad sobrietatem non sapiunt,
iuxta apostolum stulti sunt. Vide in quantam erroris
abyssum ab ipsis celestibus cadant. Constellationibus
suis ascribunt omnia. Tu uideris an fiat ei iniuria, qui d
fecit celum et terram et omnia quae in eis sunt. Deinde
eam constellatio rebus necessitatem indicit, ut arbitrii
perimat libertatem. An et hoc recte, tecum delibera.

1 cuntis A 2 necessitudines A 23 philacteria A *marg.* 25 asscribunt S 26 asscribentes S 29 abissum A

23 *dilatant* etc.: Matt. xxiii. 5. 28 *iuxta apostolum*: v. Rom. i. 22. 30, 31 *qui fecit* etc.: Ps. xlv. 6.

Ad tantam denique quidam peruenere uesaniam, ut ex diuersis stellarum positionibus dicant imaginem ab homine posse formari, quae si per interualla temporum et quadam ratione proportionum in constellatione seruata formetur, stellarum nutu recipiet spiritum uitae, et consulentibus occultae ueritatis manifestabit archana. Et licet quandoque, quae honesta uel recta sunt, ut se in loco mundo uelle seruari, uel solum Deum, quando aliquid quaeritur, preci-
443 a bus et muneribus inuocandum praecipiat, maligni tamen spiritus hanc esse fallaciam certissimum est, qui ut minus caueatur innocentiae uel iustitiae praecepta plerumque uidetur afferre. Hanc quidem idololatriae speciem esse fidelium nullus ignorat. Longe uero commodius in celum ascendunt astrologi, qui Academicorum more quicquid eis occurrerit probabile suo iure defendunt. Itaque quidam eorum motu quodam irrationali planetas aduersus aplanem niti contendunt; alii, auctore Aristotile, eosdem cum firmamento ferri profitentur, quorum neutrum teste Mineio astrologiae regulis inuenitur aduersum. At genethliaci dum ad diuinationem scientiae celestium nimis insistunt tam ipsorum celestium quam Dei notitiam perdiderunt. Qui tamen inter eos suum commodius excusare uidentur errorem, cum Plotino auctoritatem operum non detrahunt
b creatori, sed semel et simul ab eo legem asserunt institutam; quam nullus umquam conatus euacuat, cum omnia quae disposuit futura sint ut praeuidit. Quod forte Papinius intellexit cum diceret:

Incipit ex alto, graue et immutabile sanctis
pondus adest uerbis, et uocem fata sequuntur.

2 ymaginem M 12 ydolatrie CB 16 irrationabili P 19 genelliaci CBSM 26 prouidit A 29 secuntur M

2 *imaginem* etc.: cf. quae de *homunculis* scripsit Paracelsus *de Vita Longa* prolog. (ed. Genev. ii. 52 a), *de Imaginibus* c. 12 (ii. 501, 502), *de Nat. Rer.* i. (ii. 866). 18 *Mineio*: i. e. Martiano Capellae; v. Mart. Cap. viii. § 853; cf. Macr. *de S. S.* ii. 4 § 8. 23 *Plotino*: v. Plot. *Enn.* ii. 3; sed unde ad Nostrum haec Plotini sententia permanaverit, nescio. 28 *Incipit* etc.: Stat. *Theb.* i. 212, 213.

Ab eo ergo sua potestas attributa est singulis creaturis, in quibus non oportuit celestia locum tenere nouissimum, et quae digniora sunt aliis habere minimum potestatis. Eis itaque quantum uoluit contulit qui, etsi sibi retinuerit operis principatum, signorum illis ad minus indixit obsequium. Vnde etsi non saepe faciant opera signorum, c tamen auctore Deo exhibent ministeria. Hinc forte illud: Celi enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum. Nec mirum, cum et aues et alia plurima institutione Dei et naturae beneficio quaedam futura signis praeueniunt. Si igitur celestia signa sunt rerum quae procul dubio uenturae sunt necessario, cum eas immutabilis dispositio ordinauerit, quid prohibet ea quae celestium praenuntiantur indicio sciri ab homine et homini inuicem indicari? Signa siquidem hominibus data sunt ad eruditionem, non illis qui celestium conscii secretorum nullis indigent signis.

Cap. 20. *Quod prouidentia rerum naturam non perimit, neque series rerum immutat prouidentiam, et quod liberum arbitrium manet cum prouidentia.*

Probabilia quidem sunt haec quae proponunt, sed tamen d uenenum hic sub melle latet. Fatalem etenim quandam necessitatem rebus imponunt sub praetextu humilitatis et reuerentiae Dei, timentes ne forte ipsius euacuetur dispositio, nisi rerum euentus necessitas comitetur. Praeterea priuilegium diuinae maiestatis irrumpunt, scientiam uendicantes qua tempora praeuideant et momenta quae Filii testimonio Patris reseruata sunt potestati. Adeo quidem ut abscondita sint ab oculis eorum, quibus Dei Filius quaecumque a Patre audierat patefecit. Deinde mentes hominum tumore elationis extollunt aut desperationis pusillanimitate

12 nescio S 30 audierat a patre M

8 *Celi* etc.: Ps. xviii. 2. 21 *Probabilia* etc.: In capitulis sequentibus Augustini et Boethii sequitur Noster. 27 *momenta* etc.: v. Act. App. i. 7. 29 *quaecumque* etc.: v. Ioann. xv. 15.

prosternunt, dum uel uitam diuturnam aut mundi prospera deiciendis promittunt, uel e contra imminentia fata aut
444 a seculi aduersa minantur erigendis. Certe superiorem timoris uel inferiorem spei molam, quibus fidelis anima in area mundi teritur, tollere prohibentur. Tollunt non tamen tam in suam et clientelae suae perniciem quam in contumeliam prohibentis. Verum sicut series rerum Dei prouidentiam non immutat, sic et eterna dispositio rerum naturam non perimit. Neque enim homo non peccare non poterat, quia eum Deus praenouerat peccaturum, aut quia ille non peccare poterat, eum peccaturum Dominus ignorabat. Neque non mori posse nesciebat, eo quod erat peccati merito moriturus. Neque eum mori necesse erat, quoniam hoc Dominus praesciebat. Factus est igitur quodammodo
b immortalis, procul dubio moriturus; et mortem culpa attulit, quam naturae conditio non inuexit. Essetque ab ea immortalitate qua non mori poterat, in eam qua mori non posset transferendus, nisi culpa inobedientiae, praecisa iustitiae semita, tantae gloriae aditum pro tempore praeclusisset. Itaque peccare et non peccare potuit mera praeditus libertate arbitrii, qui nulla dispositionis uiolentia, nullo fatorum impulsu, nullo conditionis stimulo, nullo adhuc naturae defectu urgebatur ad culpam, quae indubitata parens paene hominem sponte lapsum impegit in mortem. Verum quia in iniustitia frena laxauit arbitrii, sic in ea oppressus et obrutus iacet, ut iusto Dei iudicio, quia tunc noluit a peccato abstinere cum potuit, modo nequeat ab-
c stinere cum uelit. In eo tamen solo adhuc ei liberum uiget arbitrium, ut sibi ad opus iniquitatis sufficiat, etsi ad bonum non nisi a gratia praeuentus et adiutus assurgat. Sic iustitiam per se deserens traductus est in regnum peccati et mortis, ut iugo seruitutis pressus necessitati delinquendi et moriendi subiaceat, quamuis hoc non fatorum series sed praeuaricationis meritum introducat. Alioquin hominem nulla iustitia condempnabit, cum culpa non in eum

5 non] tamen SM 19 prescisa SM 25 in *om.* CB iniusticiae CB 35 condemnabit S

sed in ipsius retorqueatur auctorem. Possibilia itaque sunt, quae numquam futura sunt; quae si, quia non erunt, euenire non possent, nequaquam possibilia dicerentur. Nauale siquidem bellum fieri, item non fieri possibile est, alterum tamen praescise et determinate uerum est et praescitum.

Cap. 21. *An possint a Deo sciri quae non sciuntur; et* d *quod rerum mutabilitas ei nequaquam est infligenda; et quod idem est scientia, praescientia, dispositio, prouidentia, praedestinatio; et quod uera infinita sunt, ut numerus eorum non queat augeri uel minui; et quod prouidentia nullam necessitatem rebus inducit.*

Sed ecce iam alterius difficultatis succrescunt cornua, et quocumque me uertam, errore uideor inuolutus. Si enim quae non sunt nec erunt, esse possunt, profecto et Deus potest scire quod non scit, aut eo ignorante potest aliquid euenire. Bellum namque nauale quod non erit, sicut et geri, sic et a gerentibus sciri potest. Quod utique et esse et sciri potest ab homine, numquid a Deo sciri non potest? Si ergo potest Deus scire quod non scit, potest 445 a
utique et non scire quod scit, eo quod contraiacentium simul nulla possit esse scientia, cum alterum eorum semper, eo quod ueritatis substantia careat, sit obnoxium falsitati. Porro mendaciorum nulla scientia est. Quomodo ergo scientia immutabilis est, cui decessus rerum potest fieri et accessus, quae potest ignorare quod scit aut scire quod nescit? Quod si eam uariabilem esse recipimus, Iacobo reclamante, iam apud eum est uariatio et uicissitudinis obumbratio, et pater luminum esse desistit, si elabitur quod

---

4 *post* item *add.* que SM 5 prescisse C¹A 7 nunquam S *in rubr. cap. praef.* 12 subcrescunt MS 18 sciri a deo M 21 scientia] licentia M 22 obnoxium sit A

---

3 *Nauale bellum* etc.: v. Ar. *de Interp.* c. 9 (19 a 30 seqq.). 6 *Cap.* 21: Cum cap. 21 cf. Abailardi, *Dialect.* II. *Anal. Prior.* iii. *Ouvr. Inéd.* p. 289 seqq.) praesertim ubi legimus *Licet enim* usque ad *infert*; cf. etiam eiusdem *Introd. ad Theol.* iii. (ed Cousin p. 142) ubi Aristotelis exemplum de bello navali citat. 26 *Iacobo*: v. Iac. i. 17.

praenouit. Hoc equidem nec gentilium error circa sua non tam numina quam demonia dignabatur admittere, qui Stigiam paludem diis peruiam esse negabant, dicentes eam omnibus uenerandam et usquequaque illicitam a
b celestibus praeteriri. Mentes namque celestium obliuio non contingit. Numquid ergo fides recipiet quod de Deo et ipsa perfidia abhorret? Constat autem apud omnes quia Deus scit illud non esse futurum, etsi plerique non recipiant illum posse scire aut non posse scire hoc esse futurum, ne eum mutabilitatis nota uel impotentia inurere uideantur. Sed esto ut Deus, quoniam hoc plerique recipiunt, possit, dum tamen (si fieri potest) positione aut coniunctione non pecces, scire quod non scit, non ob hoc eum esse mutabilem quis conuincit, cuius scientiae non decedit aliquid uel accedit, cum illud solum in rerum natura uerum esse contingat, quod ille ab initio stabilitatis suae
c puncto praefixit. Dum tamen hoc recipitur, exactissima diligentia praecauendum est, ne cognatio modorum uerbi quam Apollonius inducit, quicquam perfidiae ingerat aut falsitatis. Haec ipsa quoque possibilitas eueniendi non leuitati illius qui non mouetur, sed rerum facilitati, quae natura non indignante moueri possunt, conuenienter ascribitur. Manet itaque usquequaque immobilis integritas scientiae Dei, et si quid uarietatis alicui inest, non tam scientis quam scitorum mutabilitas est. Licet enim quae scientia Dei complectitur, mutabilitati subiaceant, ipsa tamen alterationis uices ignorat, et uno singulari aspectu et indiuiduo, omnium quae dici aut quocumque sensu excogitari possunt, uniuersitatem claudit et continet; adeo
d equidem sine motu ut localia sine loco, nascentia sine initio, decedentia sine fine, fluctuantia sine alteratione, temporalia

7 et] uel A²SM 10 uel impotentie nota S uideantur inurere A 21 illius] ipsius M 30 quidem M

19 *Apollonius*: sc. Apollonius Dyscolus grammaticus. Nihil de cognatione modorum verbi ab Apollonio inducta apud Priscianum invenies: nec unde hoc sumpserit Ioannes coniicere possum. Quod tamen de verbi modis docuit Apollonius, cuius liber *de verbo* non exstat, collegit Egger *Apollonius Dyscole*, pp. 147 seqq.

sine mutabilitate et motu sic uniformiter comprehendit, ut ei nec praeterita transeant nec futura succedant. Nec mirum hoc in eternitatis statu, nisi quia quicquid ibi est, mirabile est, cum et in nobis mutabilium motum et festinantium cursum aliquatenus quiescens comprehendat aspectus. Intellectus quoque rem magnam sine distensione et sine contractione sui rem modicam contemplatur, nec loco indiget ut localia claudat aut spatiorum interstitiis ut distantia complectatur, in eoque patrem luminum sequitur sed non passibus aequis, cum hic multis ille uero omnino nulli motui obnoxius sit. Cum uero diuinae simplicitatis aspectus innumerabilia claudat, una tantum est et indiuidua substantia praescientis, eique essentialiter una, 446 a cum sibi sit idem esse et sapientem esse. Alioquin fingat qui potest, quis haec diuersa coniunxerit, nec prima rerum omnium causa erit, quae, ut sit, coniunctionis adminiculo eget. Creaturae uero scientia longe disparis conditionis est. Spiritui siquidem et animae non est idem esse et scientem esse, cum anima primo affectionis motu in ualescens disponatur ad cognitionem rerum, eaque si radicata fuerit, ut aut omnino aut sine iniuria naturae conuelli non possit, habitu suo informat animam facitque scientem. Hic ergo habitus rectissime scientia appellatur, licet et res subiectae interdum scientiae nomine censeantur. Vnde et uicissim nominibus mutuatis quod unius est transit ad alterum. Sic utique et scientia dicitur multa, cum tamen b multitudo rerum potius quam scientiae sit. Si ergo sapientiae Dei immensitas et simplicitas attendatur, una est simplex et indiuidua; si subiacentium multitudo multiplex est et multiformis. Sic etiam si substantiam uolentis aut potentis qua uult aut potest attendas, una est uoluntas et potestas. Si quae uult et quae potest, infinitus omnium numerus est; iuxta illud propheticum: Magnus Dominus

---

1 motu] mora A^2 (uel motu): mora SM   10 equis passibus A   16 amminiculo M   23 apellatur S

---

33 *Magnus* etc.: Ps. xlvi. 5.

et magna uirtus eius, et sapientiae eius non est numerus. Itemque: Magna opera Domini, exquisita in omnes uoluntates eius. Et illud: Quis loquetur potentias Domini? Haec autem res uniformis et uaria, licet totius uarietatis ignara sit, uariis tamen nominibus appellatur, sed ex uariis causis.
c Scientia siquidem et praescientia, dispositio, prouidentia, et praedestinatio nominatur. Sed scientia existentium, praescientia futurorum, dispositio faciendorum, prouidentia gubernandorum, praedestinatio saluandorum est. Et est praedestinatio ab eterno gratiae praeparatio, per quam unusquisque uocatur ad uitam, sicut ait Apostolus: Quos praedestinauit, hos et uocauit, hos et iustificauit, hos et glorificauit. Et alius: Apud te est, inquit, fons uitae, et in lumine tuo uidebimus lumen. Vt ergo reuerenti quadam audacia scientia Dei quae finem nescit, uel sermone finem inueniat; scientia Dei est omnium, quae sunt, fuerunt,
d et futura sunt, uera comprehensio et plena notitia. Omnia siquidem uera nouit et sola, nullamque dignatur agnoscere falsitatem. Eam tamen diiudicat et condempnat. Est igitur necessario infinita, quae uniuersa uera complectitur, quorum utique non est numerus, aut adeo infinitus ut finem non inueniat nisi in sapientia Dei, quae sola seipsam quanta sit nouit. Nichil igitur eorum quae nouit, quoniam uera sunt, euanescit, omniumque dispositorum, praesentia sint praeterita an futura, initium et causa ueritas est. Psalmista siquidem ait: Principium uerborum tuorum ueritas; quae nullo defectu sui transibunt. Transibunt tamen celum et terra, quoniam et hoc de uerbis ueritatis
447 a est; tunc utique cum deformitate mundi purgata reformabitur celum nouum et terra noua. Sentiat unusquisque quod ei fides uel ratio persuadet; ego sine praeiudicio sententiae melioris uera modis omnibus arbitror infinita,

---

13 inquit est M 19 condemnat S 31 ei] dei S^1M

---

2 *Magna* etc.: Ps. cx. 2 3 *Quis* etc.: Ps. cv. 2. 11, 12 *Quos praedestinauit* etc.: Rom. viii. 30. 13 *Apud te* etc.: Ps. xxxv. 10. 26 *Principium* etc.: Ps. cxviii. 160. 27 *Transibunt* etc.: v. Matt. xxiv. 35; Marc. xiii. 31; Luc. xxi. 33.

cum in omnibus, quae sunt et quae non sunt, ab initio esse necesse sit uel non esse, et eorum quae contradictoriae opponuntur alterum semper ex necessitate sit uerum. Tanta ergo numerositate semel et simul uerorum excreuit aut potius extitit numerus, ut omnino minui nequeat uel augeri, et usquequaque in euum maneat infinitus nisi apud infinitam sapientiam Dei. Indeficiens ergo scientia est cui nichil eorum elabitur, et omnino augmentum non recipit quae ea omnia comprehendit. Rationem uero eorum, quae Deus ab eterno in sapientia, id est in unigenito Verbo, disposuit, creans ibi omnia simul, quam b
postmodum consequenter producit in opera secundum prouisum ordinem singula traducens a generatione, qua incipiunt esse, per sortem qua fluctuare uidentur casibus, ad corruptionem quae quasi existendi filum praescidens retrudit ad non esse, Parcas uel Fata antiquis placuit appellari, eo quod constitutiones prouidentiae Dei, quin effectui mancipentur, nemini parcant, et a Verbo Dei, quo eternaliter omnia dixit et facta sunt, executionis firmamentum accipiant. Vnde Stoicus omnia necessaria credit, timens euacuari posse scientiam immutabilem. E contra Epicurus eorum quae eueniunt nichil prouidentiae ratione dispositum, ne forte necessitatem mutabilibus rebus inducat, opinatur. Pari ergo errore desipiunt, cum alter casui alter necessitati uniuersa subiciat. Mutabilium igitur rerum c
dispositio immutabilis est; et eternae prouidentiae immutabilis status omnium mutabilium continet cursum. Cum uero ipsa ab eternitatis suae statu moueri non possit, contingentium seriem ab omni nexu necessitatis absoluit. Et licet lux inaccessibilis sapientiae Dei humanae scientiae tenebras incomparabiliter antecedat, est tamen in quo claritati illius caliginis nostrae oculus quod ad aliquid

7 dei sapientiam A   16 parchas M   20 stoycus A

16 *Parcas*: v. Serv. in Verg. *Aen.* i. 22; *Ecl.* iv. 47; Mart. Cap. iv. 360; Isid. *Orig.* viii. 93; Donat. *Ars Gramm.* iii. 6.   *Fata*: v. Prisc. *Partit. xii uers. Aen.* 116.   25 *Mutabilium* etc.: cf. Aug. *de Civ. Dei*, xv. 25.   30 *lux inaccessibilis*: 1 Tim. vi. 16.

coaequatur. Sicut enim quod uideo imminere, nulla ex eo quia uidetur necessitate proueniet, sic et quod illius oculus contemplatur non est necessarium euenire. Scio equidem lapidem uel sagittam, quam in nubes iaculatus sum,
d exigente natura recasuram in terram, in quam feruntur omnia nutu suo pondera, nec tamen simpliciter recidere in terram aut, quia noui, recidere necesse est. Potest enim recidere et non recidere; alterum tamen, etsi non necessario, uerum tamen est; illud utique quod scio futurum. Si enim futurum non est, etsi fore putetur, non scitur tamen, quoniam illius quod non est, non scientia sed opinio est. Ceterum etsi non esse possit, nichil impedit esse scientiam, quae non necessariorum tantum sed quorumlibet existentium est, nisi forte et tu cum Stoicis existentia censeas necessariis comparanda. Sic et quae ille praenouit, omnia proculdubio implebuntur. Contingentia tamen omnia et non euenire possibile est. Adeo quidem ut ad euenien-
448 a dum res, quas cum eo futuras praenouimus, non magis ipsius quam noster uisus astringat, licet ab illius dispositione subsistendi formam omnia sortiantur, quatenus bona sunt. Alias autem non formae existendi imaginem gerunt, sed defectum illius enormitatis suae uitio protestantur. Praescientia ergo rebus causa eueniendi non est, aut euentus rerum ei causa est praesciendi, ne aut temporalium motus eternae prouidentiae causa sit, aut a purissimo fonte bonitatis malorum profluant riuuli. Deus uero bonorum dumtaxat auctor est. Quod uero in compitis uulgo obicitur, quia necessario si quid praescitur eueniet, nullo ueritatis robore subnixum est, nisi forte rebus ab omni necessitate absolutis modum complexioni quis tribuat, ut potius necessitate consequendi quam
b consequentis propositae enuntiationis ueritas constet. Nec me artabis, ut licet dispositarum rerum mutabilem fatear esse naturam, scientiam disponentis ob hoc dicam esse

---

10 fore] forte B 14 stoycis A 21 ymaginem M

---

27 *in compitis*: i. e. vulgo; cf. Gell. *N. A.* i. 2.

mutabilem; cum secundum ipsius ueritatis archanum (Iohannem filium tonitrui loquor) fidei constet quia, quantacumque sit labilitas subiectorum, quod factum est in eo uita erat, per quem facta sunt uniuersa. Eius itaque dispositio tanta suae stabilitatis incolumitate uiget et uiuit, ut nullo rerum motu concuti, nulla possit temporis aut casus mutabilitate conuelli.

Cap. 22. *Quod ex possibili non sequitur impossibile, et quid ex quo necessario consequatur nouit Altissimus, qui solus omnia potest.*

Instas tamen dicens, nisi euenerit aliquid quod praeuidit, c illud certa significatione complectens, forte lapidem recasurum in terram, fallitur dispositio. Quia ergo lapis non recidere potest, iubes me de duobus eligere, quorum neutrum communiter approbatur, ut uel fatear prouidentiam posse falli, quod fides abhorret, uel, quod absonum est, ex possibili impossibile consecutione uera consentiam euenire. Angustiae quidem sunt undique; hinc, ne diuinam minuam maiestatem; inde, ne multorum clamoribus et sententiae, quae iam fere omnibus persuasa est, contradicam. Sed quia melius est incidere in linguas hominum quam impie uersari in Deum, si utrumque uitare non possum, absonus malo uideri quam perfidus. Nondum etenim omnibus persuasum d est quod ex possibili impossibile non sequatur. Nam hoc nonnulli recipiunt; sed an recte, uiderint ipsi et iudicent. At ut ex uero falsum sequatur, nemo sapiens adquiescit. Verum siquidem ex falso sequitur et uero, sed ex uero non nisi uerum. Ex possibili quoque et impossibili interdum possibile sequitur; non tamen ex quouis impossibili omnia impossibilia. Nisi forte aliud tibi persuaserint illi, quorum si omnia uera sunt, ex uno impossibili, sequuntur omnia

9 consequatur] sequitur S *in rubr. cap. praef.* 10 omnia solus A *in indice* qui omnia solus potest *om.* S *in rubr. cap. praef.*

2 *filium tonitrui*: v. Marc. iii. 17. 3 *quod factum est* etc.: Ioann. i. 3, 4.

impossibilia, et ex quouis falso quaelibet falsa. Si uero obtinuisses ex uero falsum, iure et ex sententia omnium quererer me a semita ueritatis abductum. Non tamen his importunitatibus eatenus premor, ut quod inopinabile est, licet inueniam consortes erroris, propria temeritate tueri
449 a contendam. Malo cum Academicis, si tamen alia uia non pateat, de singulis dubitare quam perniciosa simulatione scientiae quod ignotum uel absconditum est temere diffinire, praesertim in quo assertioni meae fere totus aduersabitur mundus. Eoque libentius Academicos audio, quod eorum quae noui nichil auferunt, et in multis faciunt cautiorem, magnorum uirorum auctoritate suffulti, cum ad eos etiam in senectute transierit ille, in quo Latinitas nostra solo inuenit, quicquid insolenti Greciae eleganter opponit aut praefert, Ciceronem loquor, Romani auctorem eloquii, quem ad eos quasi in calce uitae diuertisse liber De Natura Deorum inscriptus docet. Efferant Stoici inopinabiles sententias suas, quas paradoxas uocant, ueras quidem
b praeclaras et admirabiles; nos pingui (ut dicitur) Minerua agentes nichil eorum approbamus, quae omnibus aut pluribus aut sapientibus singulis in facultate sua probabilioribus falsa esse uidentur. Nec, si Cicero ipse aut Aristotiles impossibile ex possibili producant, adquiescendum censeo, me potius aliqua fallaciae nube deceptum uerisimiliter opinabor. Hac ergo uia tendiculas tuas egredior, ut dicam prouidentiam falli non posse, rem tamen quae prouisa est, posse non euenire. Sed quid inferre consueueris scio. Ergo possibile est eam non esse praeuisam. Esto, inquam. Quo ultra progrederis? Ergo, inquis, reclamante philosophia, et quod est non esse, et quod fuit possibile est non fuisse, et quae iam praeterierunt,
c reuocari possunt ne fuerint. Equidem infinitam potentiam

6 achademicos A 23 acquiescendum CBA 30 phylosophia C 32 Et quidem M

16, 17 *De Natura Deorum*: v. Cic. *de N. D.* i–v. §§ 1–12. 17 *inopinabiles*: cf. Gell. *N. A.* xvii. 12; cf. Cic. *Paradox.* Prooem. § 4. 19 *pingui Minerva*: Cic. *Lael.* 5 § 19.

Dei scientiolae et ratiunculae meae legibus non coarto; nec ei finem, quem non habet, impono. Scio enim quia omnia potest; sed tamen quia mendose colligis patenter uideo. Primo quia diuinae maiestatis immensitatem paruitatis humanae modulo circumscribis, et eternitatis immutabilem statum labentium rerum imagine et succedentium sibi temporum uarietate distinguis. Sed longe secus esse hic, atque in his ex praecedentibus oportuit concipi, cum eternitatis statum nullus omnino motus attingat, et creatura quaelibet accessu uel decessu accidentium moueatur. Homo siquidem si quid prouidet futurorum, statim mentem eius quidam motus aggreditur, ut animus quadam applicatione sui ad aliud apud se d futuri operis speciem praefiguret, eandemque plerumque nunc quasi in archiuis memoriae depositam reponit, nunc quasi in speculo natiuae puritatis replicat et reuoluit. Facilius enim est motum hunc ab animo omnino deficere quam contemplatione iugi animo inherere. Et quidem hic motus, si non prouidentia est, aut prouidentiam parit aut ei cuiuscumque federis notitia uicinatur. Cum uero motus praecedens et ex ea concepta species futuri operis sequela frustratur, inanis est agitatio mentis, et quasi umbra in sompnis sine ueritatis corpore euanescit. Motus tamen, quia reipsa fuit in anima, non potest non fuisse in anima, et anima, quae motus agitatione mota est, non mota non fuisse non potest. Porro diuinae simplicitatis status 450 a longe alia conditio est. Ea siquidem uno simplici et indiuiduo aspectu, ut praedictum est, quae sunt, quae fuerunt, et quae futura sunt, omnia contemplatur, nulloque rerum mutabilium lapsu mouetur, sed in seipsa semel et simul contuens uniuersa subsistit inuariabilis,

stabilisque manens dat cuncta moueri.

Et licet ei interdum praeteriti temporis aut futuri uerba

---

22 monstratur A[1] 23 somnis S 29 futura] uentura M 33 interdum ei M

---

32 *stabilisque* etc.: Boeth. *Phil. Consol.* iii. Metr. 9. l. 3.

aptentur, non ei quicquam ex hoc subtrahi uel impendere, sed rerum subiectarum mutabilitas, si quid proprie dicitur, b ueraciter indicatur. Cum ergo ipsum aliquid praenouisse audimus, minime intelligimus fluxu temporis eius praeteriisse scientiam, sed (si uerborum naturam sequimur) praecessisse tempus, quo ueraciter credatur eius quod futurum erat habuisse notitiam. Sic utique eum ab eterno certum est omnia prouidisse, non quod uisui eius motu suo quicquam subtrahat tempus, sed quia qui uniuerso tempore natura prior est, suus omnia semper comprehendat aspectus. Eius ergo prouidentia in sui dispositione non fallitur, quia eam semper sequela operis comitatur. Sed nec falli potest, quia nec ex mutabilitate rerum nec ex temporis fuga aut uersibilitate potest aliquid absconditum esse ab oculis eius. Hominis uero falli potest, et fallitur dispositio, et res, cuius apud se praefigurauit speciem, processu temporis aut omnino non c euenit, aut in alia specie in publicum procedit. Nec tamen quaecumque praeteriti uerbi significatione clauduntur, rebus sunt aggreganda praeteritis. Nec si me uixisse profitear florente Peripatetico Palatino, ideo michi uitam elapsam aut praeteritam esse confiteor. Aut si ab Arrianis Eugenio praesidente dissensi, non ob praeteriti temporis gratiam a fidei et confessionis illius integritate diuerti. Ceterum, quia quandoque uerum fuit dicere, Nunc uiuo, Sic sentio, eleganter et uere fateor in sequentibus quia Tunc uixi, et Sic sensi, nec tamen uitam praeteriisse uel sensum. Scio tamen quis dixerit quia in hoc erramus, quod mortem prospicimus; magna pars eius iam praeteriit; quicquid etatis retro est, mors tenet. Sed certe si ei semel fuisset uita elapsa, aut hoc omnino non d diceret aut diceret rediuiuus. Non est ergo necesse

16 et res] quia res SM 21 perhipatetico CBAS

21 *Peripatetico Palatino*: sc. Abailardo; vide ipsius *Hist. Calam.* ad init. (ed. Cousin i. 3). 22, 23 *ab Arrianis* etc.: viz. apud concilium Remense ab Eugenio III papa a. 1148 de Gilberti Porretani doctrina habitum. 28 *in hoc* etc.: Sen. *Ep.* i. 2.

praeteriisse quicquid praeteriti temporis significatur uerbo, et licet praedestinati sint multi, non ideo qua electi sunt praeteriit praedestinatio. Et quamuis non praedestinati esse possint, poterit aliquid quod praeteritum sit ne praeterierit reuocari. Nota siquidem praedestinationis, quocumque uerbi casu utaris, quantum in eo est, futurum quam praeteritum potius signat, et eum de quo dicitur, nisi iam fore euaserit, indicat esse saluandum. Est enim, ut dici solet, uerbum fecundum, et in se semper uerbi alterius intelligentiam claudit. Non itaque motum aliquem praedestinanti ingerit, sed ei qui saluandus est, primitiua disponentis Dei gratia, patere asserit ostium salutis et ianuam misericordiae, qua procedente tempore 451 a
possit saluari, immo saluabitur, licet possit et non saluari. Nec michi illud Aristotilis tui obicias, quia fuisse quod fuit et esse quod est, quando est, necesse est; ut colligas enuntiationes, quae praeteriti temporis habent copulam, ueras esse praecise uel praecise et ex necessitate falsas. Minime namque hac obiectione iuuaberis, cum et ipsa Aristotilis uerba faciant quaestionem, et articulo discutiendo nullum aut paruum ferant suffragium. Regulae siquidem integritatem subuertunt enuntiationes, quae praeteritis uim futuri contingentis adiungunt; puta uerum fuit heri te cras esse lecturum, aut te Plato quandoque sciuit dormiturum. In quibus ex adiunctione futuri praeteriti temporis fides uacillat. Dum enim tu poteris non dormire, et hoc Plato poterit nesciuisse, non quod motus, b
qui in anima eius fuit, non fuisse possit, sed quod quae fuit scientia mutabilitate rerum et temporis lubrico in opinionem poterit deuocari. Si tamen contingentium futurorum ulla potest esse scientia, quamuis sit indubitata opinio, quae scientiam probabiliter imitatur; item quod heri uerum fuisse praediximus, non fuisse poterit uerum,

---

16 quando] quoniam S   18 prescise *bis* S   26 uacillat fides M

---

9 *fecundum*: *Verbum fecundum* aliter definit Varro, *de L. L.* viii. 9.
15 *illud Aristotilis*: v. Arist. *de Interpr.* c. 9 (19 a, 23) interprete Boethio.

non quod res praeterita reuocetur, quae in eo nulla praeteriit, sed quod res futura expectatur, quae ab insidiis fortunae pendet ut sit. Deinde tu ipse potes prouidisse aliquod bonum, quod forte futurum est bonum, et potest non fore bonum; et idem potes non prouidisse bonum,
c non quia possis non prouidisse quod prouidisti, sed quia potest non bonum esse quod prouidisti. Item potes quid promisisse uel stipulatus esse utiliter, idemque potes non promisisse, aut non stipulatus esse utiliter; quod tamen promisisti uel stipulatus es, non promisisse aut non stipulatus esse non potes. Praeterea, tu in fundum Sempronianum illum qui te sequitur praecessisti; et si alium praecessisti, te alius aut secutus est aut sequitur aut sequetur. Cum ergo consequentis euacuari possit euentus, antecedentis quoque ueritas potest infirmari, ut et tu qui praecesseras non praecessisse possis. Quo tamen ingressus es, non potes non fuisse ingressus, neque quod factum est connumerari potest infectis, neque quod prae-
d teriit, ne fuerit, poterit reuocari. In his enim omnibus quae mente concepta uel uerbis expressa uel actu completa transierunt, non possunt nec poterunt exinde non fuisse, etsi qualia futura erant, dum eadem sui natura certus non fixit euentus, ualeant non fuisse. Talium uero clauduntur ambitu omnia, quae cuiuscumque generis imminentis appellatione clauduntur, licet familiarius ad quantitatem aut ad aliquid aut ad quodlibet aliorum naturaliter applicentur. Quid ergo mirum, si ille qui omnia potest, et quae praeuidit, non praeuidisse potest? cum constet fidei quod ea quae praeuisa sunt non euenire possunt, et quae non praeuisa sunt euenire, nec tamen citra conspectum prouidentiae ualeant euenire. Ait enim Ysaias: Si uolueritis ambulare in praeceptis meis et audieritis me,
452 a bona terrae comedetis; quod si nolueritis, et me ad iracundiam concitaueritis, gladius deuorabit uos, quia os Domini locutum est. Ecce quia liberum hic seruatur

11, 12 *fundum Sempronianum*: exemplum apud iurisconsultos notum; e. g. *Dig.* xliv. 1 § 16; cf. *Seium* infra (453 a). 31, 32 *Si uolueritis* etc.: Isa. i. 19, 20.

arbitrium, dum 'si uolueritis' et 'si nolueritis' dicens in utramque partem non ex iudicio irretractabili fatoue Dei sed ex merito singulorum omnibus penam uel praemium repromittit. Esset utique in uoluntatem collata conditio promerendi inutilis, si faciendi uel non faciendi necessitas esset prouidentiae uel fatorum nexibus illigata. Quod si istud non sufficit contentiosis, an non ex euangelico testimonio poterat in passione Filius rogare Patrem suum ut exhiberet ei plusquam duodecim legiones angelorum, cum tamen liqueat ex post facto non hoc, sed oppositum eius, quod contigit, fuisse prouisum. Nec perspicacioris ingenii moueat sensum, si in tantae maiestatis scrutinio b exemplis deficimus, nec rationibus habundamus, cum admirationem ratio tollat et exemplorum inductio singularitatem excludat. Ipsa uero ineffabili singularitate mirabilis et mirabili immensitate singularis omnem sensum exuperat non modo hominum sed angelorum. Scio equidem quia scrutator maiestatis opprimetur a gloria, et ex edicto Altissimi bestiam, si montem tetigerit, lapidibus obruendam. Vnde quae in talibus praeponuntur, sine praeiudicio meliorum inuestigantis animo potius dicta sunt quam temeraria contentione ad impugnationem ueri aliquid statuentis. Sed nec illud me scire confiteor, cur hoc reprobato alium praeelegerit, nisi quod cum patribus sentio c in illo occultam Dei iustitiam uenerandam, in hoc manifestam gratiae misericordiam amplectendam. Nam et ille, qui raptus ad tertium celum audiuit archana uerba, quae non licet homini loqui, huius difficultatis articulum non tam discutiens quam admirans altitudinem diuitiarum sapientiae et scientiae Dei confessione humili ueneratus iudicia eius incomprehensibilia et uias imperuestigabiles esse pronuntiat. Incerta et occulta sapientiae Dei, qui

---

13 abundamus B

---

8 *rogare* etc.: Matt. xxvi. 53. 18 *scrutator* etc.: Prov. xxv. 27. 19 *bestiam* etc.: v. Heb. xii. 20; cf. Ex. xix. 13. 24 *cum patribus*: cf. Aug. *Epp.* cxlix. § 22; cxciv. § 5 (Migne *P. L.* xxxiii. 639, 876). 26, 27 *ille qui* etc.: v. 2 Cor. xii. 2, 4. 29 *altitudinem* etc.: Rom. xi. 35.

sibi manifestata esse congratulatur, opera eius supra sensum hominis magnificata asserit et, dum scrutatur omnia, cogitationes Altissimi nimis profundas agnoscit. Huic ueritati consonat quod in Ecclesiaste sanctus Salomon
d in auditu fidelium concionatur: Est homo qui diebus et noctibus non capit oculis sompnum, et intellexi quod omnium operum Dei nullam inuenire possit homo rationem eorum quae sunt sub sole. Et quanto plus laborauerit ad quaerendum, tanto minus inueniet; etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. Si ergo inueniri non potest ratio subsolarium, quis plene suprasolarium redditurus est rationem? Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Constat itaque sic rationem omnium ueritatis ardore quaerendum, ut pia intentio suam infirmitatem agnoscat et ex omnibus rebus proficiat, dum sibi persuaserit diuinam maiestatem fideliter honorandam et misericordiae indeficientis abyssum iugiter amplecten-
453 a dam. Denique apud philosophos cautum est talia manere praedicata qualia subiecta permiserint, omniumque praedicamentalium uim et proprietatem naturalium finibus limitari; eandemque, cum ad culmen theologiae ascenditur, quasi natiuo colore destitutam et robore alterari. Plane deficit uis uerborum et intellectus ipse mortalis succumbit, ubi diuinae discutitur immensitas maiestatis, et in naturalibus optinet, his scilicet quae rerum numerum augent uel minuunt, ut quod fuit non possit non fuisse, aut non praeteriisse quod praeteriit, dum tamen quod uerum fuit, Seium forte lecturum, nichilominus uerum non fuisse possit. Quod itaque praeteritum est, reuocari non potest ne fuerit, et aeque quod ex insidiis fortunae pendet, dum tamen
b ex facilitate naturae utriuslibet sortis expectat euentum, nulla eueniendi sibi necessitas subicit. Sic forte dum

6 somnum S 10 repperire A 17 abissum S 19 que *om.* M

5 *Est homo* etc.: Eccles. viii. 16, 17. 12 *Quis enim* etc.: 1 Cor. ii. 16. 12, 13 *quis consiliarius* etc.: Exod. xl. 13. 18 *apud philosophos* etc.: v. Boeth. *de Trin.* c. 4, *init.* (Migne *P. L.* lxiv. 1252).

prouidentiae non impletur effectus, quod futurum est et non euenire potest, potest etiam non fuisse praeuisum. Non tamen, ut praedictum est, inuestigationis audacia omnipotentiam minuo aut immensitati eius quamcumque praescribo mensuram. Hoc autem cum multis sentio, quia si quid Deus praeuidit, eueniet; et si non euenerit, non praeuidit. Vnde probabiliter ad minus colligitur quia, si potest non euenire, potest etiam non fuisse praeuisum. Quid enim ex quo ueraciter consequatur, ipsa ueritas nouit, iuncturamque rationum plene et perfecte primitiua ratio pensat. Hanc autem humano generi indulget Academia antiqua licentiam ut, quicquid unicuique probabile occurrit, c suo iure defendat. Solebat nostri temporis Peripateticus Palatinus omnibus his conditionibus obuiare, ubi non sequentis intellectum antecedentis conceptio claudit, aut non antecedentis contrarium consequentis destructoria ponit, eo quod omnes necessariam tenere consequentiam uelint, etsi nonnullae sola dum tamen magna sint probabilitate contentae. Sicut enim scientiae assistit euidentior pro sui perspicuitate opinio, sic et singula quo probabiliora sunt, eo necessariorum fideliorem imaginem praeferunt. Et ne me solius opinionis lubrico fluctuare putes, auctorem quo me tueor magnum profero Augustinum, qui locum illum exponens Euangelii, ubi de multis mansionibus, quae d in domo Patris sunt, a Saluatore fit mentio, ait: Si quo minus dixissem uobis, quia uado parare uobis locum, id est, si non essent praedestinati, dixissem, ibo et praedestinabo. Diuersitatem etenim mansionum quae in domo patris electis suis praeparatae sunt, diuinae praedestinationi coaptat, quae saluandis pro bene placito disponentis parit diuersa carismata gratiarum et munerum. Cum ergo tantus pater hunc apprehenderit interpretationis

18 tamen] tam CB 29 electis suis] caelestis M 32 ergo] uero M

13, 14 *Peripateticus Palatinus*: i. e. Abailardus, ut supra; v. *Dial.* III *Topica* (*Ouvr. Inéd.* pp. 335 seqq.). 23 *Augustinum*: v. Aug. *Tract. in Ioann.* lxviii. § 1 (Migne *P. L.* xxxv. 1814). 25 *Si quo* etc.: Ioann. xiv. 2.

sensum, ut dixerit, Si non essent praedestinati, dixissem uobis, ibo et praedestinabo, credibile est dum rerum pendet euentus, si Omnipotenti placeat, eos qui nondum praedestinati sunt, posse praedestinari ad uitam, et qui iam scripti sunt in libro uitae, exigentibus meritis ab eodem
454 a posse deleri. Hinc est forte: Deleantur de libro uiuentium, et cum iustis non scribantur. Itemque: Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti. Qui natus est, inquit Euangelista, ex Deo, non peccat, quoniam generatio celestis seruat eum. Generatio utique celestis est eterna praedestinatio, cuius omnes filii ingrediuntur ad uitam, etsi possibile sit eosdem praeuaricationis merito a iustitia, quae uia uitae est, aberrare. Si mihi non credis, audi uel illum, cui si angelus de celo contradixerit, dignissimo anathemate condempnabitur. Pater, inquit, ex eis quos dedisti mihi non perdidi quem-
b quam, sed serua eos. Nonne quaeso iam illos perdiderat, qui retrorsum abierant? Nonne etiam quodammodo iam Iudam perdiderat? Sed certe non acceptauerat eum in archano consilii Filius, nec Pater seruandum inter conscriptos Filio dederat illum, qui non fuerat praedestinatus ad uitam. Si uero alii praeordinati erant, si labi non poterant, quare pro eis tanta sedulitate Filius intercedit? Saluandi ergo erant; et tamen dum peregrinabantur a Domino mortem poterant promereri, ad uitam nulla necessitate praedestinationis artati. Gloriatur quis quod eum nichil separabit a caritate Christi, et tamen castigat corpus suum et in seruitutem redigit, ne forte cum aliis praedicauerit, ipse reprobus inueniatur. In Apocalipsi quoque monentur angeli ecclesiarum nunc agere peni-

---

15 condemnabitur S

4, 5 *qui iam scripti* etc.: Hoc fieri posse negat Augustinus *Enarr. in Psalm.* lxviii. 29 (Migne *P. L.* xxxvi. 863). 6 *Deleantur* etc.: Ps. lxviii. 29. 7 *Aut dimitte* etc.: Exod. xxxii. 31, 32. 9 *Qui natus est* etc.: 1 Ioann. v. 18 ubi tamen *generatio Dei* legitur. 14 *angelus de celo* etc.: v. Gal. i. 8. 16 *Pater* etc.: v. Ioann. xvii. 11, 12, xviii. 9. 27 *separabit a caritate Christi*: Rom. viii. 35. *castigat* etc.: 1 Cor. ix. 2. 29 *In Apocalipsi* etc.: v. Apoc. ii. 5, iii. 11.

tentiam et prima opera facere ne moueatur candelabrum c eorum, nunc tenere locum suum ne eundem alteri cedant. Cur ita, si quae futura erant mutari non poterant? Haec quoque sententia nec gentilium philosophos latuit, qui fatorum seriem dicunt immobilem, non quia moueri non possit, sed quia moueri omnino non contingit. Hinc est illud:

Exire a mediis potuit Pharsalia fatis.

Itemque poeticum, quo senex Carnotensis in angustiis fortunae frequentius utebatur:

Fata uiam inuenient: et cetera.

Quae uero elapsa sunt, et secundo dispositionis effectu completa, naturaliter quidem non possunt non fuisse; licet nichil asserere in alterutro audeam in iniuriam disponentis. d Ait tamen doctorum doctissimus (Ieronimum loquor): Audenter loquar, licet Deus omnia possit, uirginem tamen post ruinam suscitare non potest; potest tamen coronare corruptam. Et quidem diffinitionem uirginis eodem interpretante Apostolus ponit, ut sit uirgo quae sancta est corpore et spiritu. Sed proculdubio Deus et sanctificare animam uirtutibus et carnem potest redintegrare corruptam, ut tota substantia sui uideri possit, quae ceciderat, suscitata. Quod si oratorio tropo usus intellexit quae fuerunt non posse non fuisse, non necesse fuit ad uirginem prostratam recurrere, cum in praeteritis omnibus simili sententia uel errore hoc idem potuerit inueniri. Sententiam uero ab errore scienter diuido, eo quod sententia 455 a semper habere debet ueritatis significationem. Sicut apud sanctum Iob inuenis: Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis? Sed forte uirginitas aliquis gradus

4 phylosophos CB 22 cecicederat A

8 *Exire* etc.: Luc. *Phars.* vi. 313. 9 *senex Carnotensis*: i.e. Bernardus Carnotensis. 11 *Fata* etc.: Verg. *Aen.* iii. 395, x. 113. 15 *Audenter* etc.: Hieron. *Ep.* xxii. § 5 (Migne *P. L.* xxii. 397). 18 *eodem interpretante*: v. Hieron. *de Perp. Virg. B. Mariae* c. 20 (Migne *P. L.* xxiii. 303, 304). 19 *ut sit* etc.: 1 Cor. vii. 34. 29 *Quis est* etc.: Job xxxviii. 2.

est, quem impossibile est a quacumque corrupta apprehendi. Quod autem possibile dicitur, interdum ad facilitatem quae singulis inest uel ex fortunae calculo uel ex aptitudine dispositionis refertur, quandoque ad ipsam rerum naturam respicit, nunc ad fontem omnium diuinam reflectitur maiestatem, a qua omnis non modo personarum potentatus sed rerum omnium, quae uideri uel cogitari possunt, potestas est. Hinc illud Salomonis: Omnis potestas a Domino Deo est. Aduersus hanc nulla me b umquam contumacia erigam, certus quia ipsa sola est, quae potest animam et corpus mittere in gehennam.

Cap. 23. *Obiectio novi Stoici.*

Restat tibi illius Stoici tui quaestio, quem in Apulia diutius morantem uidi, ut post multas uigilias, longa ieiunia, labores plurimos et sudores, tanto infelicis et inutilis exilii questu, in Gallias Virgilii ossa potius quam sensum reportaret. Quaerebat et enim Ludowicus ille, an posses aliquid facere eorum quae minime facturus es. Quod cum admisisses, mille tibi aureos offerebat dum illud efficeres. Quos si forte respueres, eos tibi quantalibet summa multiplicari iubebat, ut quod leuiter fieri potest efficias. Tandem impudenti et impudico soluebatur cachinno, c uim coniunctionis oppositorum non intelligens aut contempnens, et te ridiculum assistentibus digito ostendebat, qui gratis tantam pecuniam contempsisses. Congeris in hunc modum quamplurima. Non tamen his stimulis urgeor, ut omnia necessaria credam quia sciuntur, aut nichil contingentium sciri quia necessaria non sunt. Plane

---

4 ad *om.* CB 12 Abiectio A *In tabula capitulorum cod. B. praefixa abest littera initialis necnon numerus xxiii. S² huic cap. subsequentis titulum praefixit.* 13 Stoyci A 23 coniuntionis S

---

8 *Salomonis*: videtur Noster ad Sap. vi. 4 respicere; cf. Rom. xiii. 1. 10, 11 *quae potest* etc.: v. Matt. x. 28, Luc. xii. 5. 13 *Restat* etc.: usque ad *facturus es* citat et notis illustrat Pauli *Mon. Germ. Hist.* xxvii. p. 43. 17 *Ludowicus*: v. Schaarschmidt. *Iohannes Saresberiensis* p. 98, n. 2; Comparetti *Verg. nel medio evo* ii. 3.

sciolus paululum mihi cum peripatheticis prae illo uideor, qui huius difficultatis angustia in Athicis Noctibus confessus est se nescire se non esse cicadam.

Cap. 24. *Quod mathematici temerarii sunt, indifferenter futura iudicio suo subicere praesumentes.*

Illi quoque, licet dissentiamus in plurimis, mecum fatentur se omnia non nescire, cum quibus astra loquuntur, d
et qui quasi de ipso celestium sinu extrahunt ueritatem. Qui uero eorum modestissimi sunt nec sideribus rerum pollicentur effectus nec eas necessitati lege dispositionis astringunt, sed quia uenturae sunt certisque praenuntiantur indiciis, praedicere non uerentur. Sed si futurorum potest ordo mutari, temerarium est rem sui natura incertam certo diffinire iudicio. Sin autem mutari non potest, quid prodest tanta curiositate scrutari, quod nulla potest diligentia declinari? Sed forte etsi aliter esse possit, res incerta non est, temeritatemque iudicii excusat ratio indubitata signorum. Licet enim possibile sit rem aliter esse, eam tamen ita futuram esse manifesta signa praenuntiant; nec mea, inquit astrorum secretarius, interest an aliter 456 a
esse possit, dum id, de quo agitur, ita futurum esse non dubitem. Sed quaenam est haec certitudo signorum? Nempe rerum plerumque experimentum fallax iudicium difficile ipsorumque signorum uaria est et multiplex significatio. Porro uarietas ambiguitatem inducit; in ambiguis autem omnis diffinitio periculosa est. Sed esto

1 peripateticis M   2 atthicis A   4 S^2 *ad cap. xxiv. titulum cap. xxv. praefigit.*   7 locuntur S   20 mea] in ea M

1 *sciolus*: v. Isid. *Differentiae* i. 505.   2, 3 *in Athicis Noctibus* etc.: Nihil tale apud Gellium reperire potui; cf. tamen xviii. 13, xviii. 2; neque haec narrata esse impossibile est in libr. viii. cap. 10 cuius amissi exstat periocha ut sequitur *Qualis mihi fuerit in oppido Eleusine disceptatio cum grammatico quodam praestigioso, tempora verborum et meditamenta puerilia ignorante, remotarum autem quaestionum nebulas et formidines capiendis imperitorum animis ostentante*; cf. Augustin. *contra Academicos* iii. 10 § 22.   4 *Cap.* 24: Cum cap. xxiv cf. Abailard. *Dial.* II *Anal. Pr.* III (*Ouvr. Inéd.* p. 288).

quod signa uniformia sint, unde illa una significatio innotescit, aut quid eam prohibet esse falsam? Natura, inquis? Illane quae in rebus, an quae in diuina uoluntate consistit? Porro diuinae non obloquor uoluntati, sciens quia omnia, quaecumque uoluit, fecit. Si ea tibi innotuit, bene est. Potes utique in lumine illo uidere lumen, et uera indubitata de libro proferre, qui aliis signatus tibi b apertus est, in quo sunt omnes sapientiae et scientiae thesauri absconditi, quem nemini aperire licitum esse audieram, nisi Agno qui occisus est et mortem uirtute propria interemit. Noli amodo cum Apostolo mirari altitudinem diuitiarum sapientiae et scientiae Dei, cum tibi comprehensibilia sint iudicia eius et astrorum ducatu peruestigabiles uiae eius, tibique uadabilis sit iudiciorum eius abyssus multa. Si de ea natura niteris quae in rebus, id est, frequenti rerum cursu uersatur, frustra tibi de siderum familiaritate blandiris, cum a solito rerum cursu multa diuertant, et eo maiori admiratione feriant sensus hominum, quo non modo insueta sed ipsi naturae uidentur c aduersa; ut, cum solis defectus plenilunio contingit, aut si circa sinodum aut circa plenilunium uel ultra luminis sui luna patiatur eclipsim. Qui enim sideribus legem dedit, qui curricula temporum uoluntatis suae freno moderatur, qui rerum momenta temporibus suis accommodat, quando uult et quo modo uult, nouum stupente natura aut rarum potest producere effectum ex causis concurrentibus, quae aliter parere consueuerant. Quis enim consiliarius eius fuit, aut dicet ei, Cur ita facis? Vtique Dominus est; quod beneplacitum est in oculis suis faciet. Dispositioni

---

2 prohibet eam M 10 propria uirtute A?M 15 abissus A
17 syderum CB 20 contigit C^{2}BMS

---

5 *omnia* etc.: Ps. cxiii. 3. 6 *in lumine* etc.: Ps. xxxv. 2. 8 *in quo* etc.: Col. ii. 3. 9 *nemini* etc.: v. Apoc. v. 1 seqq. 11 *altitudinem* etc.: v. Rom. xi. 33. 14 *iudiciorum abyssus multa*: v. Ps. xxxv. 7. 21 *sinodum*: v. Mart. Cap. viii. 871. 23 *curricula*: v. Isid. *Orig.* v. 35 § 1. 27 *Quis consiliarius* etc.: Isa. xl. 13. 28 *dicet* etc.: Job ix. 12. *Dominus est* etc.: 1 Reg. iii. 18.

ergo aptare tempora et rerum momenta uariare temporibus solus ille qui disposuit, potest; et cum multorum notitiam, d
secundum beneplaciti sui mensuram concesserit creaturae, hoc sibi Trinitas singulariter reseruauit. Quando itaque et quam diu quid futurum sit nouit, et etates temporum ille dispensat, per quem ipsa tempora facta sunt. Ipsa quoque tempora motu et uariatione rerum quasi quibusdam coloribus pingit, et uolubilem temporis rotam iugali quodam nexu rerum quo teneatur illaqueat, et ut rem incomprehensibilem ingerat intellectui, eandem mirabiliter rerum proprietatibus quasi suis informat. Non est, inquit Verbum Altissimi, uestrum nosse tempora, ut plene sciatis quando et quam diu quid futurum sit; uel momenta, ut possitis modos et uarietates eorum, quae futura sunt, comprehendere. Ecce quare temerarium sit futura certo subiugare iudicio; in Patris siquidem potestate sunt posita, 457 a
non in necessitate eueniendi. Porro quae in potestate posita sunt, sic et non sic esse possunt. Nam quae in necessitate, sic esse necesse est.

Cap. 25. *Quod argumentum a signo suo non est necessarium; et de Ezechia, Acab, et Ninivitis; et quod ea quae significantur, mutari possunt.*

Sed forte familiaribus Veritas loquens, Non est uestrum, ait, ut tantam praerogatiuam alienis, puta mathematicis, reseruaret. Esto, si tamen fidelis animus adquiescit. Sed quanta, ut praedictum est, est haec certitudo signorum? Nempe cum

signa meatus
deseruere suos, b

nouum aliquid creditur imminere. Non enim eousque contendo, ut res magnas nullis umquam credam indiciis

12, 13 ut plene sciatis quando et quam diu quid futurum sit *om.* M 20 suo *om.* S^2 *in indice* de Ezechia *hic incipit tit. in rubr. capitulo praef. in S* 21 achab CBAS: iacob S *in rubr. cap. pr.*

11 *Non est* etc.: Act. App. i. 7. 16 *In Patris* etc.: Act. App. i. 7. 28 *signa* etc.: Luc. *Phars.* i. 663, 664.

praeueniri, cum in sole et luna et ipsis elementis et ornatu eorum uim significatiuam a Domino esse didicerim. Ceterum artem esse, quo quis de futuris ad omnia interrogata uerum respondeat, aut omnino non esse aut nondum innotuisse hominibus, michi multorum auctoritate et ratione persuasum est. Quod si tibi persuadere non possum, obstantibus his quae michi de prouidentia et fato indesinenter opponis, michique repugnantibus exemplis quae de uariis affers historiis, persuasi tamen michi huic c non adquiescere uanitati. Non equidem signorum signatorumque eam coherentiam arbitror, ut alterum ex altero necessario consequatur. Cur ita crediderim, nisi te curialium nugae detinent, audi. Rex Ezechias egrotauit ad mortem. An non credis regem Iuda medicum inuenisse, qui urinae et pulsus et multiplicium praenosticorum indicio morbi deprehenderet quantitatem? Deinde responsum mortis forte acceperat in corpore suo, qui eo usque perductus est ut se uicturum ulterius non speraret. Postremo Spiritus sanctus mortem nuntiabat astare pro foribus. Quod signum certius quaeris? Quid certum est, ut de aliis taceam, si de testimonio dubitas Spiritus sancti? An negabis Ysaiam dixisse in spiritu, Morieris et non uiues? d Vixit tamen et non mortuus est, adiectis ei annis quindecim, per misericordiam eius, qui futurorum euentus in sua posuit potestate. Et forte mortem, quam natura uitaliumque defectus intentabant, quia ille per penitentiam mortuus est in culpa, ulterior comminantis Dei absorbuit misericordia. Acab quoque rex impiissimus, cum Iezabel non tam coniugio quam crudelitate coniuncta, cum uineam sancti Nabutae cruore possedisset, mortem imminentem praenuntiante Domino expectabat. Si michi non credis, quod eam Deus ipse praenuntiauerit, audi Helyam. Ait

23 xv. M

13 *Rex Ezechias* etc.: v. 4 Reg. xx. 1, Is. xxxviii. 1. 16, 17 *responsum mortis*: 2 Cor. i. 9. 22 *Morieris* etc.: 4 Reg. xx. 1, Is. xxxviii. 4. 23 *adiectis* etc.: v. 4 Reg. xx. 6, Is. xxxviii. 4. 28 *Acab* etc.: v. 3 Reg. xxi.

enim: Haec dicit Dominus; Occidisti et possedisti. Itemque: In quo loco linxerunt canes sanguinem Naboth, ibi lingent sanguinem tuum, et Iezabel canes comedent ante 458 a muros Iezrael. Quod cum audisset Acab, scidit uestimenta sua et posuit saccum super carnem suam, ieiunauitque et dormiuit in cilicio. Factusque est sermo Domini ad Helyam dicens: Quia reueritus est Acab faciem meam, non inducam malum in diebus eius. Ecce pena quae debebatur Acab, quia penitentiam egit, differtur in posteros, et Iezabel in scelere perseuerans praesenti iudicio condempnatur. Vna eademque fuit sententia quae sanguinem Acab et Iezabel canibus exponebat. Et tamen pro parte mutatur et pro parte manet immobilis, auctore temporum sic omnia dispensante. Sic et Niniuitae a praesenti excidio liberati Domini flexere sententiam, ex edicto regis et principum agentes penitentiam ad prae- b dicationem Ionae. Numquid tibi uidetur uerior et fidelior sententia Iouis et Martis quam sententia creatoris? Non utique Plauti consilio adquiesces, si istud uirium planetis adscripseris. Cum enim sicofanta Mandrogerum percunctetur, an illi sint planetae placandi, qui numeris totum rotant, eos Mandrogerus nec uisu faciles nec dictu affabiles c esse respondet, adiciens quod et athomos in ore uoluunt, stellas numerant, sola mutare non possunt sua. Sic itaque a dispositione siderum euentuum necessitatem ingerit, ut illos sale satis urbano eleganter irrideat, qui uisum exercent in contemplatione eorum qui uisum fugiunt, et interpellant eos qui loqui dedignantur; et cum athomos in ore uoluant, uerendum est ne, si athomos genelliaco forte intercidat,

7 heliam S 11 condemnatur S 20 ascripseris CB: asscripseris S 23 et *om. B* 25 syderum CBM 29 genethliaco A

1 *Haec dicit* etc.: 3 Reg. xxi. 19. 3 *et Iezabel* etc.: v. 3 Reg. xxi. 23. 4 *cum audisset* etc.: 3 Reg. xxi. 27–9. 14 *Sic et Niniuitae* etc.: v. Ion. iii. Quod tamen a Iona praedictum erat, re vera completum fuisse docet Augustinus *de Civ. Dei*, xxi. 24. 20 *Cum enim* etc.: Pseudo-Plaut. *Querolus* ii. 3. 23 *athomos in ore* etc.: Pro *ore* Cannegieter (*Querolus* ed. Klinkhammer 1829) *orbe* coniecit; Ioannes tamen cum codicibus omnibus *ore* habuit. 29 *intercidat*: intelligendum est ut ap. Hor. *Sat.* ii. 4. 6.

in excipienda sententia celestium labatur. Sit ergo eorum insignis auctoritas, dum stabilis et inconuulsa maneat creatoris. Certe quicquid tibi Mars tuus aut Iupiter suggerant, Deus uerax est, et tu, dum illis plus quam Deo credis, perniciosissime mendax. Astra quidem mendacia sunt in conspectu eius, sed et in angelis suis reperit prauitatem. Vt tamen uerum fatear, tibi astra non mentiuntur, sed tu ipse. Quod deciperis, tibi imputa. Quis enim te cogit falsum putare? Quis ea, quae praeeuntibus signis uentura coniectas, immutabilia esse persuasit? An falleris eo quod Figulus sibilans:

d Aut hic mundus, ait, nulla sine lege per euum
errat, et incerto uoluuntur sidera motu;
aut si fata mouent urbi generique paratur
humano matura lues?

Idemque manifestius subicit:

Et superos quid prodest poscere finem?
Cum domino pax ista uenit; duc Roma malorum
continuam seriem, clademque in tempora multa
protrahe, ciuili tantum iam libera bello.

Sed proculdubio multi dii tui futurum bellum amouere non poterant, quia multi, immo potius nulli sunt. Hoc tamen unus et Deus et Dominus potuisset. Nouit enim ille mutare sententiam, si tu beneficio eius malitiam finias. Vnde et Nabugodonosor consilio Danielis peccata
459 a elemosinis redimens et iniquitates in misericordiis pauperum sententiam Domini imminentem ad tempus effugit, donec in aula Babilonis glorians diceret: Nonne haec est Babilon magna, quam ego condidi in domo regis, in robore

---

3 quicquit A 6 repperit C[2]BA 8, 9 falsum te cogit A: coegit SM 13 sydera CBM 29 babylonis B

---

5 *Astra* etc.: Iob xv. 15 *caeli non sunt mundi in conspectu eius*, iv. 18 *et in angelis suis reperit pravitatem.* 11 *Figulus*: sc. P. Nigidius Figulus. Quid significet *sibilans* nescio; forsan (e coniectura viri docti Caroli Mulvany) quasi *sibyllans* ex *sibylla.* 12 *Aut hic mundus* etc.: Luc. *Phars.* i. 642–5. 17 *Et superos* etc.: Luc. *Phars.* i. 669–72. 25 *Nabugodonosor* etc.: v. Dan. iv. 24.

fortitudinis meae et in gloria nominis mei? Sic ergo elationis uoce in seipsum iam fugientem Dei sententiam reuocauit.

Cap. 26. *Quod sententia Dei moueri potest, quod consilium Dei immutabile est, et uoluntas Dei prima omnium causa, et quod mathesis uia dampnationis est.*

Cum itaque immutabilis Dei possit moueri sententia, errantium et discurrentium siderum sermo manebit immobilis? Sed quocumque modo sententia moueatur, consilium Domini manet in eternum. Quod autem consilii et uoluntatis Dei signum certius est praeceptione aut prohibitione diuina? An non recte uidebitur uelle quod b praecipit? Plane patriarcham praecepit unigenitum promissionis filium immolare. Rectene patriarcha mandanti adquieuit? Recte quidem per omnia, eo quod mandatum uoluntatis, quae prima omnium causa est et numquam suo fraudatur effectu, certissimum indicium sit. Adeo quidem prima est, ut si quaeratur de aliquo, cur ita sit, rectissime dicatur, quoniam ille sic uoluit, qui omnia quaecumque uoluit, fecit. Si uero cur uoluerit inquiratur, inepta quaestio est, quia primae causae, uoluntatis scilicet, quaeritur causa, cuius nulla est omnino causa. Equidem dici solet et uerum est, quia in manu principis est ut possit mitius c iudicare quam leges, cum et qui legem tulit, derogandae uel abrogandae illius habeat potestatem. Legi ergo, quam Figulus tuus celo imponit, auctor celi contradicere non audebit? Interpositam inter ius et aequitatem interpretationem soli principi et oportet et licet inspicere. Vbi

4 concilium S *in rubr. cap. praef.* 5 commutabile S *in rubr. cap. praef.* 6 dapnationis C 21 quoniam M

4 *Quod sententia* etc.: De *consilii* sive *dispositionis sententiae*que Dei discrimine cf. Nostrum *Epp.* 96, 137, 185; v. Greg. *Mor.* xvi. 10 quam citat Abailardus *Eth.* c. 14 (ed. Cousin ii. p. 617); cf. etiam Greg. *Mor.* xvi. 12, xii. 2, et de *consilii* immutabilitate Aug. *Conf.* i. 4, *de Civ. Dei*, x. 12 (*sententiam* tamen *tam fixam quam certam praescientiam* esse dicit Aug. *de Civ. Dei*, x. 12. 13 *patriarcham* etc.: v. Gen. xvi. 19 *omnia quaecumque* etc.: Ps. cxiii. 11. 27. *inter ius* etc.: Cod. Iustinian. i. 14 § 1.

aliud ius suadet, aliud aequitas, quae in publica utilitate uersatur, principis quaerenda est interpretatio, quae generalis est et necessaria. Vbi de scripto et sententia dubitatur, mens est inquirenda auctoris. Quis ergo te celestium fecit interpretem? Vnde quid expediat nosti? Qua temeritate aliena opera tuis, immo Dei, stellis adscribis? Teneo enim tuum illud subtilissimum argumentum:

d Tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda, Chelasque peruris,
quid tantum, Gradiue, paras?

Sed mendacii pater, qui te hoc docuit celestibus adscribendum, fraudulenter sic agit tecum ut, cum his notis resperserit creaturam, ipsum creaturae sic infamet auctorem. Postremo animulas miserorum fraude deceptas ineuitabilium uaticinio futurorum in elationis tumorem suspendere uel desperationis abyssum praecipitare dementia est. Porro hunc fructum mathesis suae horoscopi afferunt et planetis suis magis erronei, dum a scientia pietatis exorbitant, longa peruestigatione signorum, cum eo, qui quasi lucifer
460 a matutinus oriebatur, descendunt in infernum uiuentes, aliosque ruinae suae participes faciunt. Sed dum tibi talia proponuntur uel opponuntur, quid facis? Rides equidem et nimis uncis naribus indulges, ludibrio habens simplicitatem fidei, recurrisque ad prouidentiae sinum, et te in abyssum inscrutabilem quasi Anteus alter totus immergis. Lucem inaccessibilem posuisti refugium tuum, et inde fidei rusticitatem impugnas, ac si fons ueritatis propugnaculum sit erroris. Sed esto, ueterem hanc prouidentiae querelam sopire non possum et nodos omnium quaestionem soluere non sufficio. Quis enim adeo sapiens est ut omnibus cuiusuis imperiti nedum tuis quaestionibus satisfaciat?

---

6 ascribis B 18 exhorbitant S 23 uncis] aduncis A 25 abissum A

---

8 *Tu qui* etc.: Luc. *Phars.* i. 658–60; cf. supra c. 19. (441 c.). 11 *mendacii pater*: v. Ioann. viii. 44. 19 *qui quasi* etc.: v. Is. xiv. 12, 15. 22 *Rides* etc.: Pers. *Sat.* i. 41. 25 *Anteus* etc.: v. Luc. *Phars.* iv. 593 seqq. 26 *Lucem inaccessibilem*: 1 Tim. vi. 16.

Totius denique ueteris philosophiae princeps Plato leuem, b ut fertur, (quod tamen de Homero uerius diceretur) nescio quam nautarum quaestionem explicare non potuit. Vnde cum ab eisdem impudentius et protractius derideretur, ut erat uir uerecundi ingenii, quasi toxicato confusionis iaculo perfossus ad mortem spiritum nouissimum exhalauit. Puduerat enim quod quasi totius Academiae improperio exprobrauerant principem philosophorum Greciae etiam minima ignorare. Hoc autem asserit Flauianus in libro qui De uestigiis philosophorum inscribitur Xenofontinos faciente inuidia aduersus Platonis gloriam impudenter finxisse, licet quamplurimi eum ob sacramentum numeri asserant ultro animam posuisse illo etatis suae anno expleto, quem nouenarius in se ipsum ductus effecerat, eo quod exinde non accedit humanitati nisi labor et dolor. Fateor quidem me paucula scire et cum multis plurima c ignorare, nec tamen uitae munus quasi Homerus pudore uictus abicio. Si ergo prouidentiae et liberi arbitrii litem componere non sufficio, si fatorum et facilitatis naturae repugnantiam nequeo concordare, numquid ideo minus uerum est ista esse? Sicut in iure ciuili reus frequentissime fauorabilior est, ita quaedam sunt in inuestigationibus philosophicis, ubi plerumque potior pars uidetur auctoris. Hoc autem ex defectu nostro arbitror euenire. Intellectus enim circa rerum prima principia deficit. In his scrutinium prouidentiae, inuestigationemque materiae, et fidei nostrae multos articulos aptissime censeo numerari. Dum in prouidentia unius querelae molestiam perimis, uelut Ydrae d praeciso capite plurium succrescunt capita quaestionum. Si in materiae siluam progredimur, ilico patimur quod

1 filosophie CB 2 omero C[1] 6 exalauit AM 8 phylosophorum C : filosophorum B 22 in *om.* AM 29 presciso S subcrescunt SM

2 *de Homero*: Hanc fabulam narrat auctor *Vitae Homeri* Herodoti nomine inscriptae, de Platone narratam in libro Flaviani amisso de Vestigiis et Dogmatibus Philosophorum invenisse videtur Noster; cf. Ioannem Wallensem qui flor. a. 1283 in *Compendiloquio* iii. 4 (ed. Ven. 1496, p. 196). De Flaviani libro vid. quod optime disseruit Schaarschmidt. *Iohan. Saresb.* pp. 103–6. 21. *in iure civili*: v. *Dig.* l. 17 § 125.

sompniantes, inter aliquam et nullam substantiam constituti. Animae quaesita origine traducem nobis intellectus opponit. Postremo in diuina substantia trinitatem recipe personarum; nisi in fidei uirtute, quomodo Arrii laqueos declinabis? Diuinitatis unam simplicem et indiuiduam admitte substantiam; quomodo Sabellii, nisi fidei ratione, manus effugies? Haec tamen non minus uera sunt quia multis possunt quaestionibus impugnari. Et licet Sapientia Dei se incarnationis misterio nobis uisibilem fecerit, non
461 a tamen eousque se intellectui nostro fecit palpabilem, ut cum ea possimus usquequaque discurrere, scientes rerum omnium quanta sit longitudo latitudo sullimitas et profundum. Si uero mathematicorum uia esset usquequaque laudabilis, non tantopere penituisset magnum Augustinum se eorum consultationibus inclinasse. Ad haec doctor sanctissimus ille Gregorius, qui melleo praedicationis ymbre totam rigauit et debriauit ecclesiam, non modo mathesin iussit ab aula, sed ut traditur a maioribus, incendio dedit reprobatae lectionis

scripta Palatinus quaecumque tenebat Apollo,

in quibus erant praecipua, quae celestium mentem et superorum oracula uidebantur hominibus reuelare. Quid multa? Nonne satis est quod hanc uanitatem catholica
b et uniuersalis ecclesia detestatur, et eos, qui eam ulterius exercere praesumpserint, legitimis penis percellit? Sed ne planetariorum non tam persequi quam sequi uideamur errorem, iam ad reliqua progrediatur oratio. Qui enim huic curiositati inseruiunt, non magis ueraces esse possunt

---

1 somniantes AS 12 sublimitas S 13 matematicorum A 17 imbre S 25 legittimis S

---

3 *Postremo* etc.: v. quae Noster in *Hist. Pontificali* c. 13 ex Gilberto Porretano de Scylla Sabelliana et Charybdi Ariana citat (Pertz *Mon. Germ. Hist.* xx. p. 527). 12 *longitudo* etc.: Eph. iii. 18. 14 *Augustinum*: v. *Conf.* vii. 6. 18 *mathesin*: v. Greg. *Mor.* xxxiii. 10; *Hom. in Evv.* i. 10. *ut traditur* etc.: Hanc rem de S. Gregorio primus inter auctores exstantes narrat Noster; v. *Dict. Christ. Biog.* ii. p. 788, s. v. *Gregorius* (51). 20 *scripta* etc.: Hor. *Ep.* i. 3. 17.

quam humiles et sobrii, qui primos recubitus in cenis appetunt et epulantur cotidie splendide. Postremo plurimos eorum audiui, noui multos, sed neminem in hoc errore diutius fuisse recolo, in quo manus Domini condignam non exercuerit ultionem.

Cap. 27. *De aruspicibus, et chironomanticis, et phitonicis, et Saulis deiectione.*

Quid de nigromanticis dicam, quorum impietas Deo auctore per se ipsam ubique iam uiluit, nisi quod morte c
digni sunt qui a morte conantur scientiam mutuare? Nam de auspicibus auguribus salissatoribus ariolis phitonicis aruspicibus et aliis, quorum prae multitudine tediosa est enumeratio, productiorem sermonem texere, cum nemo istorum iam progrediatur in lucem, sed in latibulis, si quis est, exerceat opera tenebrarum, superuacaneum est. Quaedam tamen eorum certis de causis aliquatenus tangenda sunt. Et, si lateant, supersunt adhuc malo suo aruspices. Hos pro parte in extis animalium diuinare praedictum est. Extorum quidem censentur nomine omnia quae cutis extremitate teguntur. Vnde et illos, qui in humerulis arietum uel quorumcumque ossibus animalium uatici- d
nantur, eis connumerandos esse manifestum est. Chironomantici quoque uera, quae in rugis manuum latent, se nosse gloriantur. Quorum errorem, quia ratione non nititur, non necesse est rationibus impugnare, licet eo ipso illos expugnet ratio, quod deficiunt ratione. Vnum tamen est quod a te, si me patienter audias, attentissime quaero. Quid nugatores isti, quoniam eos tibi notos esse non ambigo, quando de dubiis interrogati sunt, proferunt?

---

6 cyromanticis S *in rubr. cap. praef.* 22 Chiromantici CBASM[1]
25 est necesse A 29 profuerunt M

---

1 *primos* etc.: Matt. xxiii. 6. 2 *epulantur* etc.: Luc. xvi. 19. 3 *neminem* etc.: v. infra c. 28 (474 c). 15 *opera tenebrarum*: Rom. xiii. 12. 17 *aruspices*: v. supra lib. i. cap. 12 cum notis in loc. 22 *Chironomantici*: v. supra lib. i. cap. 12 cum notis in loc.

Cum aduersus Niuicollinos Britones regia esset expeditio producenda, in quo te consultus aruspex praemonuit? quamuis ab eo ueritatis archanum non fuerit inquirendum qui excubitali obsequio concinnator potius mendacii cre-
462 a dendus erat quam occultae ueritatis interpres; uulgo siquidem cum quis mentiendi nota inuritur, dici solet quia quouis excubo uigiliue mendacior est. Item chironomanticus adhibitus et consultus quid contulit? Nam sub eo articulo uterque, quisquis hoc egerit, consultus est. Tu quidem paucis diebus elapsis quasi stellam matutinam generis tui non praemonitus perdidisti. Cetera, quae melius nosti, scienter taceo; cum isti uanitate sua meruerint ne ulterius consulantur. Phitonicorum uero eo perniciosior est consultatio, quo fallacia malignorum spirituum in his manifestior est qui, siue mentiantur siue non, in proposito semper habent ut noceant. Fallunt autem interdum studio fallendi, interdum cecitatis suae errore decepti; id tamen agunt assidue ut futurorum conscii per
b omnia uideantur. Inde est quod ambiguitate uerborum obnubilare student oracula ut, cum mendaces aut fallaces inuenti fuerint, aliquo rationis uelamento suam queant tueri fallaciam. Sic utique fallere non desistunt, donec auditores suos praecipitent in ruinam. Cui enim a seculo uatum profuere responsa? Cresone an Pirro aut praecedentium aut subsequentium cuiquam? Dux Thebanus dum de oraculo sperat uictoriam, fratris mucrone perfoditur. Ei tamen auus Laius successus belli uisus est

---

4 excubiali MS potius *om.* M 7 chiromanticus S[1] 14 consultatio est A 21 quaeant SM: querant A 22 fallatiae M

---

1 *Cum aduersus* etc.: De Henrici II. expeditione in a. 1157 v. Girald. Camb. *Itin. Camb.* ii. 7 (*Roll Series* 21 f.) *Ann. Camb.* (*R. S.* 20) *Brut-y-Tywysogion* ed. Williams, p. 189 (*R. S.* 17). Thomam cancellarium cum rege in Angliam post bellum redeunte in civitate Cestrensi adfuisse constat (Eyton, *Court of Henry II*, p. 29); etiam in Walliam profectum esse ex hoc loco certi facti sumus. 10 *stellam matutinam*: forsan intelligendum est de Henrico Henrici I ex Nesti Rhesi principis Britonum (Rhys ap Tewdwr) filia et Giraldi Cambrensis avia filio, qui in expeditione a. 1157 interfectus est. 13 *Phitonicorum*: v. supra i. 12 cum notis in loc. 24 *Cresone an Pirro* etc.: v. Cic. *de Div.* ii. 56; Hieron. *Comm. in Is.* xli. 21 (Migne *P. L.* xxiv. 419).

polliceri. Quid enim aliud significaret quod post multas ambages intulit:

Certa est uictoria Thebis?

Ceterum ne interempto duce mendacii arguatur, ut fallaciam ambigua ueritatis nota obduceret, quo malitiam c tueatur, subiecit:

Hei michi per gladios uicit pater.

Sic ergo, dum quasi fatorum consilio securus ad parricidium inuitatur, laqueo impietatis trahitur ad occasum. Patris quoque parricidae desiderium adimpletur, dum fratres impii, quibus imprecatus optauerat ut ferro generis consortia dissilirent, mutuis uulneribus pereunt et alternis gladiis prosternuntur. Cresus maxima regna, si Alin transgrediatur, de oraculorum fide sibi subiectum iri confidit. Sed cum res in contrarium cesserit, fallax Apollo se unius uerbuli aequiuocatione absoluit ab inuidia mentiendi. Quid Pirrus? Romanis uictis, quos saepe in acie uirtute fuderat, beneficio Phebi sibi promittit imperium, d sed irreparabiliter stratus in seipsum retorsit culpam, qui amphibologiam oraculi minus utiliter intellexit. Ad notiores transeatur historias. Apius, cum unica et singularis ciuilis belli tempestas orbem concuteret, docente Phebo in sinu Euboico quietem quaerit et mortem inuenit. Oraculum quidem auctore Lucano celebre est:

Effugis ingentes tanti discriminis expers
bellorum, Romane, minas, solusque quietem
Euboici lateris media conualle tenebis.

Sed ne falsitatis nota in historias non oracula refundatur, canonica, et cui fides incolumis adquiescit, discutiatur historia. Saul in tirannum uersus ex principe, cum exigentibus culpis esset a Domino derelictus, et aduersus 463 a populum Domini eo duce inualesceret manus hostilis, sollicitus fractis rebus exitum inquirebat. Consuluit ergo

---

3 *Certa* etc.: Stat. *Theb.* iv. 641. 7 *Hei michi* etc.: Stat. *Theb.* iv. 644. 9 *Patris*: sc. Oedipi. 25 *Effugis* etc.: Luc. *Phars.* v. 194–6. 33 *Consuluit* etc.: 1 Reg. xxviii. 6.

Dominum, et non respondit ei neque per somnia neque per sacerdotes neque per prophetas. Hoc tamen ei ante denuntiauerat Samuel, quia Dominum penitebat quod eum constituerat regem, eo quod non impleuerat uerbum Domini, suadente auaritia parcens Agag regi pinguissimo et opimis gregibus ouium et armentorum et uestibus et arietibus et uniuersis quae pulchra erant in oculis populi. Quicquid uero uile fuit et reprobum, hoc mandante Domino demoliti sunt, et cum nulli ducum nisi de manu Domini exercituum contingat uictoria, auctori bonorum non referens gloriam uiribus suis in facie populi de collato munere applaudebat. Sic enim scriptum est:
b Factum est uerbum Domini ad Samuelem: Penitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me et uerba mea opere non impleuit. Contristatus est Samuel, et clamauit ad Dominum tota nocte. Cumque de nocte surrexisset ut iret ad Saulem, mane nuntiatum est Samueli quod uenisset Saul in Carmelum et erexisset sibi fornicem triumphalem et reuersus transisset descendissetque in Galgala. Deinde ad increpationes Samuelis crimen inobedientiae sub praetextu religionis maluit excusare quam delere per penitentiam, quae secunda tabula post naufragium relicta est peccatori. Ait enim: Immo audiui uocem Domini, et ambulaui in uia per quam misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalech, et Amalech
c interfeci. Tulit autem populus de praeda oues et boues primitias eorum quae caesa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis. Ecce quomodo se ipsum excusat, et quicquid culpae est, aut extenuat aut refundit in populum. Ait ergo Samuel: Numquid uult Dominus holocausta et uictimas, et non potius ut obediatur uoci Domini? Melior est enim obedientia quam uictimae, et ascultare magis

32 auscultare A

2 *Hoc* etc.: v. I Reg. xv. 13 *Factum est* etc.: I Reg. xv. 10 seqq. 22 *secunda tabula* etc.: Hieron. *Ep.* cxxx (*ad Demetriadem de servanda virginitate*) § 9 (Migne *P. L.* xxii. 1115). 23 *Immo* etc.: I Reg. xv. 20, 21. 30 *Numquid* etc.: I Reg. xv. 22, 23.

quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus idolatriae nolle adquiescere. Pro eo quod abiecisti sermonem Domini abiecit te Dominus ne sis rex. Ego quidem similiter arbitror euenire omnibus, qui in sullimitate constituti abeunt post concupiscentias suas et principatum dominium ⟨que⟩ simulantes tumorem suum exercent in subditos, d coaequantes libito licitum, ac si colla eorum iugo diuinae legis subiecta non sint, et nulla necessitate urgeantur ad implendam iustitiam Dei. Sed numquid uel sic ad tantum tonitruum comminationis diuinae sclirosis pectoris indurati aut tumor, qui tirannidis iniquitate in corde Saulis uiuacius coaluerat, potuit emolliri? Nequaquam. Dixit enim Saul ad Samuelem: Peccaui, quia praeuaricatus sum sermonem Domini et uerba tua, timens populum et obediens uoci eorum. Sed nunc porta quaeso peccatum meum, et reuertere mecum, ut adorem Dominum. Et ait Samuel: Non reuertar, quia proiecisti sermonem Domini, et proiecit te Dominus ne sis rex super Israel. Videsne quam difficile 464 a sit malitiam, cum superbiae fomento coaluerit, uerbis et exhortatione curari? Peccaui, inquit, timens populum et obediens uoci eorum. Nonne sic fatetur culpam ut potius inuoluat alios, qui, si princeps esset, fuerant relaxandi, quam seipsum expediat? Numquid sic audierat fecisse Moysen, cum ira Dei seuiret in populum, dixissetque ei Dominus: Dimitte me, ut irascatur furor meus in populo, et deleam eum et faciam te crescere in gentem magnam. Quid ergo fecit dux idemque fidelis princeps in beneplacito suo constitutus a Domino? Aut dimitte eis, inquit, hanc noxam aut dele me de libro tuo. Sed numquid in tantae caritatis affectu propriam quaerebat gloriam? Inquit enim

---

6 *post* dominium *add* et A 20 coaluerant S 21 exortatione S 31 karitatis S

---

11 *sclirosis*: quasi σκλήρωσις; v. Moschion *de passionibus mulierum* c. 133 (*Gynaeciorum* Basil. 1586 i. 32) pseudo-Aemilius Macer *de Herbes* (*Medici antiqui* Ven. 1547 p. 235 a.) 13 *Dixit* etc.: 1 Reg. xv. 24–6. 26 *Dimitte* etc.: Exod. xxxii. 10. 29 *Aut dimitte* etc.: Exod. xxxii. 31, 32.

b mansuetus princeps, pius pater, disertus orator, potens in opere et sermone, dux praeambulus in iustitia mandatorum Dei: Dicent Egyptii, Callide duxit eos Dominus de Egypto, ut prosterneret in deserto. Sic ergo etiam sui ipsius dispendio Domini gloriam praeoptabat et populi cuius ducatum ministrabat liberationem. Dauid quoque cum culpa eius Dominum ad iracundiam prouocasset, et principalis culpae subiectus populus portaret penam, uidit angelum Dei caedentem populum. Fudit itaque preces de intimis uisceribus, et adiecit: Ego sum qui peccaui, ego inique egi; isti qui oues sunt, quid fecerunt? Verus utique rex et iustus princeps et dignus qui Altissimi frangeret iram; qui, dum se pro populo flagellanti Deo opposuit,
c indignationis eius flagellum amouit. Eum siquidem nulla excusatio flectit, nisi cum quis proprio iudicio accusatur; nichil mouet ad ueniam, nisi cum nocens nudam detegit culpam; misericordiam nichil admonet, nisi cum animus caritate succensus in se ipso conteritur; nichil persuadet propitiandum esse, nisi cum mens manum operis extendit ad satisfaciendum. Si quis enim fatetur culpam, inutilis est confessio, nisi satisfactionis animo currat ad ueniam. Peccaui, inquit Iudas, tradens sanguinem iustum. Fuit itaque uera usquequaque confessio; sed inutilis, quia ante cucurrit ad laqueum quem meruerat quam ad fontem mise-
d ricordiae quam demeruerat, et obstinationis suae duritia praecluserat sibi. Eum tamen penituit fecisse quod fecerat, sed non eo deuotionis affectu qui lapidem adiutorii sufficeret emollire. Penitentia siquidem ductus laqueo se suspendit. Vitam ergo digno finiuit supplicio; sed quia malitiam non correxit, ueniam sibi nullo salutis procurauit remedio. Sic enim et apud inferos scribitur esse stimulus penitudinis,

3 egiptii CASM: egipto CASM 10 uisceribus] precordiis MS 10, 11 ego qui inique egi A 18 karitate S 29 suplicio A

1, 2 *potens in opere et sermone*: Luc. xxiv. 19. 2 *praeambulus*: vocabulum est a Martiano Capella usitatum. 3 *Dicent* etc.: Exod. xxxii. 10. 6 *Dauid* etc.: v. 2 Reg. xxiv. 10 *Ego* etc.: 2 Reg. xxiv. 17. 22 *Peccaui* etc.: Matt. xxvii. 4. 27 *lapidem adiutorii*: 1 Reg. vii. 12. 31 *scribitur*: v. Marc. ix. 43.

licet nulla sit correctio prauae uoluntatis. Sic Saul procul dubio peccatum suum imponere nititur humeris alienis, et dum simulat quod a pena uelit per preces Samuelis eximi, seipsum grauius oneratum fortioribus laqueis inuoluit et irreparabili sententia dampnationis astringit. Sequitur enim: Et conuersus est Samuel ut abiret. Ille autem apprehendit summitatem pallii eius, quae scissa est. Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israel a te 465 a hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te. Porro triumphator in Israel non parcet, et penitudine non flectetur; neque enim homo est, ut agat penitentiam. At ille ait: Peccaui; sed nunc honora me coram senioribus populi mei et coram Israel, et reuertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum. Ecce quanta elationis insania se deiectum audit a Domino, et tamen quasi eo inuito regnare contendit. Regnum meliori traditum esse non ambigit, et priuatus per sententiam irretractabilem regni gloriam fraudulenter usurpat. Corruit itaque dum in uetitum molitur ascendere, et fit seipso deterior, dum meliori reclamante Domino uult praeferri. Fatetur equidem culpam, sed penam portare dedignatur; hoc est enim quod ait: Peccaui; sed nunc honora me. Ac si dicat: Cum criminis b culpa elationis fastu tiranni nequitia iuste deiectus contempni meruerim, me patientia tua in conspectu eorum qui non nouerunt consilium Domini faciat gloriosum. Reuertere ergo mecum, ut tuo incedam fastigatus obsequio, et tanto stipatus comitatu, tanta uenerabilis auctoritate, adorem Dominum Deum tuum, quem meum dicere ultra non audeo, qui ab eo per inobedientiam discessi et adhuc per contumaciam recedo. Adeo siquidem intumuerat spiritus eius, ut se non modo homini sed et ipsi Deo seipsum quodammodo propriae impietatis ausu praeferret. Quem enim Dominus praetulerat, quanto maiori gratia

1 nulla licet C 4 honeratum S 5 damnationis CS 23 contemni S 26 fastigiatus M² 28 ultra dicere A

6 *Et conuersus* etc.: 1 Reg. xv. 27–30. 33 *Quem*: sc. David; v. 1 Reg. xviii.

c uidebat praeditum, tanto acriori inuidia ei occultas tendebat insidias, tam manifestas quam iniquas exercens inimicitias; et quo manifestius eum Dominus extollebat, eo auidius non tam deprimere quam extinguere properabat; ipsique Deo se e regione ponit oppositum, dum ei surripere aut eripere nititur iura regnorum. Dignum ergo fuit ut non maneret in eo Spiritus Domini, qui cor suum non modo habitaculum sed et tantae nequitiae fecerat fundamentum. Exagitauit eum itaque spiritus nequam a Domino, et ex illo retro fluere et indies labi, minui regni uires coeperunt, salus populi fluctuare, hostium crebrior maior clariorque uictoria tam regis quam populi ualidius d animos fregit. Ipse tamen eum cui Dominus regnum firmauerat, exterminatum habebat a finibus suis. Quid ergo tandem cepit consilii? Non utique ut regnum traderet meliori, ut dispositioni diuinae, quae ei innotuerat, adquiesceret, ut penitentiam anteactae uitae ageret fructuosam. Sed qui aduersus Dominum calcaneum tumoris extulerat, populum in montes Gelboe, ubi puniendus erat et occidendus, eduxit in praelium. Occidi siquidem in monte debuit, qui non nisi alta in seipso respexit. Quia ergo eum ueritas ipsa deseruit, ad fontem mendacii falsus et iniquus princeps confugit. Dixit itaque seruis suis: Quaerite michi mulierem habentem phitonem, et uadam ad eam et sciscitabor per eam. Quid aliud dixisset gentilis idemque perfidus? Nonne idem est ac si dicat:

466 a Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo?

aut fidelioribus uerbis et insaniori perfidia: Si michi Deus notitiam subtrahit ueritatis, eam tamen per patrem mendacii eo inuito cognoscam, et uelit nolit archanum consilii eius per potestates aduersarias explorabo? Et dixerunt serui eius ad eum: Est mulier habens phitonem

6 subripere CBS 20 et occidendus erat MS 25 scicitabor S eam] illam M

23 *Dixit* etc.: 1 Reg. xxviii. 7. 27 *Flectere* etc.: Verg. *Aen.* vii. 312. 29, 30 *patrem mendacii*: v. Ioann. viii. 4. 31, 32 *Et dixerunt* etc.: 1 Reg. xxviii. 7.

in Endor. Indignus enim erat consultatione uirili, quem in tantum desperatio fregerat ut etiam ab infimis et infirmissimis creaturis ad tuendum sibi regnum, quod Dominus auferebat, aduersus omnipotentiam eius auxilium imploraret. Mutauit ergo habitum suum uestitusque est aliis uestimentis, et abiit ipse et duo uiri cum eo, ueneruntque ad mulierem nocte. Recte quidem omnia, quia rectus b est etiam apud peruersos Spiritus sanctus. Regio namque habitu debuit spoliari, qui ad seruiendum demonibus et non Deo infaustum arripuerat iter. Qui uestem abiecerat innocentiae, qui iustitiae mutauerat indumentum, uestibus honoris et gloriae non debuit insigniri. Et abiit; utique post eum, qui non stetit in ueritate; et duo uiri cum eo, equidem ignominiati et ignominiabiles, qui uel regem ad tantam perfidiam non reluctante fide prosequi potuerunt; duorumque rex decenter stipatur comitatu, dum a summa et uera unitate recederet. Veneruntque ad mulierem nocte, apto utique tempore de morte regum de strage populi de luctu publico cum tenebrarum principe tractaturi. Sic et c Salomon nocte dicitur sapientiam accepisse, qui amore mulierum allectus et corruptus a Domino erat recessurus. Petrus quoque dum calore fidei destitutus calefaceret se ad prunas de nocte, lapsus est in perfidiam et eam crimine periurii fecit insignem. Alii etiam discipuli timore prostrati tempore nocturno fugerunt. Et ait Saul ad mulierem (mulieres enim frequentius spiritus phitonicus implet): Diuina mihi in phitone, et suscita mihi quem dixero tibi. Lege libros, reuolue historias, scrutare omnes angulos scripturarum, nusquam fere in bona significatione diuinationem inuenies. Vnde prophetas reprobos diuinatores non prophetas esse scriptura commemorat, quales fuerunt

2 in] ui C 14 ignominabiles A²M 19 tractatur M: tractaturis S

5 *Mutauit* etc.: 1 Reg. xxviii. 8. 13 *non stetit* etc.: Ioann. viii. 44. 16 *duorumque* etc.: cf. Bernard. *de Consid.* ii. 8 § 15 (Migne *P. L.* clxxxii. 752). 20 *Salomon* etc.: v. 3 Reg. iii. 5 seqq. ix. init. 22 *Petrus* etc.: v. Matt. xxvi.; Marc. xiv.; Luc. xxii.; Ioann. xviii. 24 *Alii* etc.: v. Matt. xxvi. 56; Marc. xiv. 50. 27 *Diuina* etc.: 1 Reg. xxviii. 8.

d prophetae Acab, qui eum Domino permittente exigentibus meritis uariis ludificationibus seducebant. Denique iuxta uerbum Domini egressus est spiritus mendax et factus est in ore omnium prophetarum Acab ascensuro in Ramoth Galaad ad prospera promittendum, solo Michea Morastite reclamante, qui conscius diuini consilii Israel, quem dispersum in montibus uiderat, praemuniuit, caesus ob amarae ueritatis indicium ab eo qui assumptis cornibus ferreis dixerat: His rex cornibus Siriam uentilabis. Praeterea diuinatio fere sine munere non fiebat, utpote quae in auaritiae et nequitiae spiritu exercetur. Hinc est quod Ierusalem ruiturae Spiritus sanctus improperat: Duces tui in muneribus iudicabant, sacerdotes in mercede re-
467 a spondebant, et prophetae in pecunia diuinabant, et super Dominum requiescebant dicentes: Nonne Dominus est in nobis? non uenient super nos mala. Propterea dicit Dominus: Syon quasi ager arabitur, et Ierusalem ut custodia pomerii erit. Qui ergo in pecunia diuinabant, etsi prophetarum insultant nomine, saepe mendaces semper mendosi, alieni sunt a uirtute et ueritate prophetiae. In phitone, inquit; quasi: Quia recessit Spiritus Domini, uel phitonicus patrocinetur michi. Et suscita michi quem dixero tibi; utique fallacia fallaciam trudit. Datus rex in sensum reprobum, qui sibi persuaserat phitonem scientiae praesulem, praescium futurorum, archani consilii conscium,
b ueritatis interpretem, sibi quoque persuasit eundem tanta praeditum potestate ut posset etiam mortuos suscitare, et tantae benignitatis ut etiam in eo quod rarissimum est et difficillimum familiaribus suis morem gereret. Proculdubio elapsum erat a memoria eius aut inutiliter tenebatur canticum fidelis Annae, quia Dominus est qui mortificat et uiuificat, deducit ad inferos et reducit,

29 dificillimum A   31 annae B: animae CASM

1 *prophetae Acab*: v. 3 Reg. xxii.   5 *Michea Morastite*: Mich. i. 1. pro Michea filio Iemla (3 Reg. xxii. 8).   12 *Duces* etc.: Mich. iii. 11; Ps. lxxviii. 1; vide Sabatier *Bibl. Sacr. Vers. Lat. Antiqu.* ii. pp. 162, 947.   23 *fallacia* etc.: v. Ter. *Andr.* iv. 4. 40.   31 *Dominus* etc.: 1 Reg. ii. 6–8.

pauperem facit et ditat, humiliat et sulleuat, et (quod in se ipso impletum uiderat Saul) suscitat de puluere egenum, ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat. Et qui haec facit, proculdubio scientiarum Dominus est. Et ait mulier ad eum: Ecce tu nosti quanta fecit Saul, et quomodo eraserit magos et ariolos de terra; quare ergo insidiaris animae meae ut occidar? Et iurauit ei Saul in Domino, dicens: Viuit Dominus quia non eueniet c
tibi quicquam mali propter hanc rem. Verum quidem est, quia qui uersatur in sordibus, sordescit amplius; et quem gratia deserit, fiunt semper nouissima illius deteriora prioribus. Sacrilegii sibi phitonissa conscia expauescit, et potestas a Domino constituta ad sacrilegia euellenda alias quidem timida, cum negotia populi, cum Domini bella geruntur, idolatris praestat audaciam, et sacrilegiis regiam accommodat auctoritatem. Ariolos, inquit Dominus, et magos ne patieris uiuere. At ille ad quem sermo Dei dirigitur, et qui gladium portat ad uindictam malefactorum, bonorum gloriam, non modo talibus securitatem dat, sed promissam pacem iuramenti religione confirmat. Et sic d
euenit ut in proprio periculo discat quam perplexi sint nerui testiculorum Leuiathan, cum sibi tetenderit laqueum proprii operis, a quo sine salutis dispendio non euadit. Ei iam arta complexio et cornutus quidam imminet sillogismus: Si phitonissae parcitur, Domini uiolatur imperium praecipientis ut maleficia huiusmodi de terra eradantur; si non parcitur, iuramenti religio uitiatur. Quocumque se uertat impius, comprehenditur in operibus suis.

5 fecerit SM 6 quomodo] quoniam S 12 sibi] igitur M 15 ydolatris CBAS 17 patiaris M 24 silogismus B: sillogysmus A 26 eradantur de terra A

4 *scientiarum Dominus*: 1 Reg. ii. 3. 5 *Et ait mulier* etc.: 1 Reg. xxviii. 9, 10. 10 *qui uersatur* etc.: v. Apoc. xxii. 11. 11 *fiunt* etc.: v. Matt. xli. 45; Luc. xi. 26. 16 *Ariolos* etc.: v. Exod. xxii. 18 *Maleficos non patieris vivere*. *ariolos et magos*: 2 Reg. xxviii. 3, 9. 21 *perplexi* etc.: v. Iob xl. 12, et Gregor. Magn. in loc. *Mor.* xxxii. 20 (Migne *P. L.* lxxvi. 657). 22 *Leuiathan*: potius Behemoth. 24 *complexio*: sic *dilemma* vocat Cic. *de Invent.* i. 29 § 45. *cornutus sillogismus*: sic *dilemma* vocat Hieron. *Ep.* lxix. § 2 (Migne *P. L.* xxii. 655). 28 *comprehenditur in operibus suis*: v. Ps. ix. 17.

Dixit ergo mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem. Omnium temporum una est fides, Deum esse eundemque iustum et bonum et remuneratorem sperantium in se, omnium plene meritis respondentem. Ante legem, sub lege, sub gratia, nemini rectum sapienti uenit
468 a istud in dubium. Sine ista nemo umquam ingressus est ad salutem. Verum qui errat in minimis, paulatim ad maiora prolabitur. Sic iste primo negligens deinde inobediens postmodum contumax exinde obstinatus postremo ad eam prolapsus est cecitatem, ut nec praedictum articulum fidei sibi seruet incolumem. Deum etenim iustum usquequaque non credidit, opinans etiam in sanctos post exitum uitae huius malignis spiritibus concessam potestatem. Nouerat enim sanctum Samuelem phitonicis non obtemperasse dum uiueret nec aliquod cum eis initae familiaritatis habuisse commercium. Nunc uero eum ad phitonis imperium sibi sperat et petit excitari.
b Vult etiam ad hoc cogi defunctum, ad quod uiuus impelli non potuit. Regi siquidem noluit indicare dum uiueret, nisi quod indicandum Dominus inspirabat. Cum autem uidisset mulier Samuelem, exclamauit uoce magna, et dixit ad Saulem: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul. Se utique deceptam credidit et etiam post praestitum iuramentum notitia et praesentia principis oneratam. Dixitque ei rex; Noli timere, quid uidisti? Et ait mulier ad Saulem: Deos uidi ascendentes de terra. Phitonissae potuerat ab incepto uel tenuis fidei uirum deteruisse responsio. Deorum siquidem pluralitatem inducit, et eorum habitationem sub terra et in tenebris esse significat. Dixit ergo Saul: Qualis est forma eius? Quae ait: Vir
c senex ascendit, et ipse amictus est pallio. Intellexit itaque Saul quod Samuel esset, et inclinauit se super

---

15 optemperasse A 21 uidisset] audisset M

---

1 *Dixit ergo mulier* etc.: 1 Reg. xxviii. 11. 2, 3 *Deum esse* etc.: v. Hebr. xi. 6. 6 *ista*: sc. fide. 20 *Cum autem* etc.: 1 Reg. xxviii. 12. 25 *Dixitque ei rex* etc.: 1 Reg. xxviii. 13. 30 *Dixit ergo Saul* etc.: 1 Reg. xxviii. 14.

faciem suam in terram, et adorauit. Formam illius qui apparebat diligenter inquirit, forte gentilium errore deceptus, eandem habitus et negotiorum formam singulis apud inferos credens, qua superstites fuerant insigniti. Vnde illud :

Quae gratia curruum
armorumque fuit uiuis, quae cura nitentes
pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

Sed nonne potuerat sancti uiri clarior esse gloria, aut post mortem uiuentis habitus immutari? Et quidem prouide et fideliter non dicit Scriptura Samuelem phitonis imperio suscitatum, sed cecitatem impii sensus prudenter expressit. Ait enim : Audita forma uiri et habitu, intellexit Saul quod Samuel esset. Deceptus utique intellexit ; quod et ex d
eo probatur, quod subiungit : Et inclinauit se et adorauit. Si enim fuisset Samuel, nequaquam se permisisset ab homine adorari, qui secundum legem crediderat et docuerat unum Deum et Dominum adorandum. Praeterea sanctae animae a potestate malignorum spirituum exemptae sunt. Postremo decepti hominis non fouisset errorem, quod eum ex subsequentibus fecisse colligitur. Dixit autem Samuel ad Saulem : Quare inquietasti me ut suscitarer? Haec est enim fraudulentia malignorum spirituum, ut quod ultro faciunt et dictant hominibus faciendum operose dissimulent, ut hoc facere uideantur inuiti. Simulant se coactos et 469 a
quasi exorcismorum uirtute extractos fingunt ; et quo minus caueantur, exorcismos quasi in nomine Domini aut in fide Trinitatis aut incarnationis et passionis uirtute conceptos componunt eosdemque hominibus tradunt, exer-

---

2 errore gentilium M   7 in *post* fuit *add.* M

---

6 *Quae gratia* etc. : Verg. *Aen.* vi. 653–655.   14 *Deceptus* etc. : De quaestione an fuerit revera Samuel ipse quem suscitavit Pythonissa an non, locos classicos habuerunt medii aevi scriptores Augustini tractatum *de Div. Quaest. ad Simplicianum* ii. 3 (Migne *P. L.* xl. 142) Raban. Maur. *de Magicis Artibus* (Migne *P. L.* cx. 1100) quem citant Ivon Carnot. *Decret.* xi. 69 (Migne *P. L.* clxi. 763, 764), Gratianus *Decr.* II. xxvi. 5 (ed. Friedberg. i. 1035) ; cf. pseudo-Aug. *Quaest. ex Vet. Test.* 27 (Migne *P. L.* xxxv. 2230, 2231).   21 *Dixit autem Samuel* etc. : 1 Reg. xxviii. 15.

centibus eos obtemperant, donec eos secum crimine sacrilegii et pena dampnationis inuoluant. Transfigurant etiam se interdum in angelos lucis, honesta sola praecipiunt, illicita prohibent, munditiam consectantur, utilitatibus prouident, ut quasi boni et propitii familiarius admittantur, audiantur benignius, amentur artius, facilius exaudiantur. Habitum quoque induunt uenerabilium personarum, ut eis maior et promptior reuerentia impendatur. Et ait Saul: Coartor b nimis, siquidem Philistiim pugnant aduersum me, et Deus recessit a me et exaudire me noluit neque in manu prophetarum neque per somnia. Vocaui ergo te, ut ostenderes michi quid faciam. Ac si aperte dicat: In desperationis abyssum praecipitatus sum; impugnant homines, deserit Deus, et ego ad te, qui in ueritate utrisque inimicaris confugio, ut quasi doctor discipulum doceas, quid me in tanta angustia oporteat facere. Licet enim eum qui loquebatur crederet Samuelem, tamen in ueritate erat angelus Sathanae. Nec potuit ei ignorantia suffragari, cum nemini liceat ignorare creaturam, quae se appetit adorari, infidelem et peruersae uoluntatis esse. Sciebat etiam illicitum esse ariolos et magos inquirere et de futuris sollicitare phitonem. c Quod si eum ignorantia personae excusat, melioris conditionis erunt stulti quam periti et peruersi quam recti. Et ait Samuel (non equidem uerus sed umbratilis et fictitius, et quo dignus est impius et reprobus consultator): Quid me interrogas, cum Dominus recesserit a te et transierit ad emulum tuum? Responsionis initium fidei consentaneum est et accommodum rationi. Quid enim conferet creatura illi, quem deserit Deus et cui diripit spolia? Sed sensim ad id quod suum est, hostis et fidei inimicus diuertit immiscens falsa ueris et mendacia fide ueritatis obnubilans. Sequitur enim: Faciet tibi Dominus

---

2 damnationis S 9 dominus A 10 me *om.* SM 11 sompnia AM 13 abissum A

---

2 *Transfigurant* etc.: v. 2 Cor. xi. 14. 8 *Et ait Saul* etc.: 2 Reg. xxviii. 15. 20 *illicitum*: v. Lev. xix. 6; Deut. xviii. 11. 24 *Et ait Samuel* etc.: 2 Reg. xxviii. 16. 32 *Faciet* etc.: 2 Reg. xxviii. 17–9.

sicut locutus est in manu mea, et scindet regnum tuum de manu tua et dabit illud proximo tuo Dauid, quia non d
obedisti uoci Domini neque fecisti iram furoris eius in Amalech. Iccirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie, et dabit Dominus etiam tecum Israel in manu Philistinorum. Cras autem tu et filii tui mecum eritis. Sed et castra Israel tradet Dominus in manu Philistiim. Exitum quidem belli fideliter infidelis exposuit, sed tamen uerborum tendiculis infidelem et infelicem animam fraudulenter decepit. Deuiantis siquidem confirmat errorem, et impenitenti post exitum quietem repromittit. Cum enim dicit Dominum impleturum quae locutus est in manu mea, se proculdubio simulat Samuelem, per quem Sauli, quae denuntiat, locutus est Dominus. Cum autem subiungit: Cras tu et filii tui mecum eritis; uerum quidem sed fraudulenter enuntiat. Erat enim die sequenti sibi manum 470 a
ex desperatione iniciens ad inferos transiturus, habiturus partem cum eo, quem auaritia fastu obstinatione mentis fuerat insecutus. Sed falso blanditur, ingerens spem quietis, dum se gestu et uerbis mentitur Samuelem, cui certum est collatam esse in quiete sedem a Domino inter eos qui inuocant nomen eius. Quid ergo Sauli Samuelis sui uel potius phitonis profuere responsa? Potuerat forte non praemonitus sperare meliora, et saltem dum alieno confoderetur gladio expectare. Oraculi uero uanitate certioratus gladio suo incubuit, et in extremis agens, dum propriae gloriae consulebat, qui fortius mori potuisset in praelio, auram uerborum pertimuit, et infirmi et prostrati animi consilio corporis et animae mortem asciuit. Glori- b
entur gentes in fortitudine sua, auctores earum dicant, unusquisque quod sentit, dum heroum suorum titulos praedicant, dum magnorum uirorum fortitudinem praeconantur; bibat illis auctoribus Cato uenenum, Vulteius dextras et mentes sociorum armet ad uoluntariam mortem, per mamillas ad cor uenenum aspidum insanabile Cleopatra

21, 22 *inter eos* etc.: Ps. xcviii. 6. 24 *dum alieno* etc.: v. 1 Reg. xxxi; 2 Reg. i. 33 *Vulteius*: v. Luc. *Phars.* iv. 540 seqq.

traiciat, Lucretia alienam impudicitiam sanguinis sui effusione condempnet. Ego euenire posse non arbitror, ut cuiuscumque difficultatis articulo liceat propria auctoritate homini sibi mortem inferre, nec etiam ubi castitas periclitatur. Licet hunc casum uideatur excipere doctor c ille doctorum, cui in sacrario litterarum uix aliquem audeo comparare. Haec mors omnino desperatorum est, et eorum qui licet corpore uiuant, iam mentis morte praemortui animo uiuere desierunt. Vtique non uiuorum, sed iam mortuorum mors est. Infidelium regum percurre seriem, Ieroboam Acab Iezabel Nabugodonosor Sennacherib et alii quorum errores non sufficio enarrare, quid lucrati sunt in uatibus suis, qui uidebant eis falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem eorum, ut eos ad penitentiam prouocarent? Omnes utique euanuerunt post principem uanitatis, et dum scire quod non licet, uel aliter quam licet, appetunt, ad inane et nichilum redacti sunt. Reges uero Israel infidelibus sociaui, quia cum regum Iuda alii boni alii mali fuerint, reges Israel omnes reprobi ex- d titerunt.

Linque archana Dei celumque inquirere quid sit,

ait Cato, quia quod destinauit de te et statuit Deus, citra tuam sollicitudinem potens est expedire. Egregie quidem ethicus:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum;
grata superueniet quae non sperabitur hora.

---

1 trahiciat S   2 condemnat S

---

1 *Lucretia*: vide de morte voluntaria ob metum stupri consciscenda et de Lucretiae exemplo Aug. *de Civ. Dei* i. 16–19.   5, 6 *doctor ille doctorum*: sc. Hieronymus *in Ionam* i. 12 (Migne *P. L.* xxv. 1129); cf. Abaelardi *Theol. Christiana* (ed. Cousin ii. pp. 426, 427) *Sic et Non.* clv. (*Ouvr. Inéd.* pp. 155 seqq.).   11 *Ieroboam*: vide 3 Reg. xiii, xiv de propheta a Iuda misso et de Abia, qui tamen mala de Ieroboam praedixerunt.   *Acab Iezabel*: v. 3 Reg. xviii, xxii.   *Nabugodonosor*: v. Dan. ii.   *Sennacherib*: v. 3 Reg. xviii. 25.   21 *Linque* etc.: Cato *Distich.* ii. 2 (ed. Hauthal p. 26): sed v. Bährens ad loc. *Poetae Lat. Min.* i. 222.   22 *quod destinauit* etc.: v. Cato *Distich.* ii. 12.   25 *Omnem* etc.: Hor. *Ep.* i. 4. 13, 14.

Veritas autem sibi ubique consona est, nec a se, licet a mendacii habitaculo proferatur, quandoque discordat, sicut nec munditia, dum sui integritate uiget, quarumcumque sordium uicinitate polluitur. Ipsa mortem indicit non timeri, et ad eam excipiendam nos horis omnibus praecipit praeparari, ut quo minus de diuturnitate uitae praesumitur, in cultum honestatis uirtutum gradibus auidius. Mors siquidem necessarium munus est naturae iam 471 a corruptae. Corruptio namque mortis origo est. Tolle corruptionem, sectare integritatem munditiae et uirtutis, iam immortalitatis uiam ingressus es et quandam diuinitatis tuae arram apprehendisti. Apprehendisti, inquam, an accepisti? Sed, ut fidelius loquamur, et accepisti et apprehendisti; non est enim uolentis neque currentis sed miserentis Dei. Quis scit quando ueniet, sero an media nocte an galli cantu an mane? Vt enim ait ille: Nichil morte certius est, nichil hora incertius; quae utique non timenda est quasi malum, sed quasi malorum finis, cum uenerit, gratanter amplectenda. Vnum est quod totis mentis et corporis uiribus fugiendum est. Quid illud sit b quaeris? Turpitudo et totius species inhonesti. Haec enim faciunt mortem terminum non esse malorum sed antecedentium et succedentium copulam. Ad hanc fugiendam non oracula uatum non phitonis consultatio necessaria est; fidelius et utilius ad hoc ratio data consulitur. Cato in Libia extremae difficultatis angustia coartatus Hamonem Iouem dedignatus est consultare, ratus sibi rationem sufficere ut persuaderet seruandam libertatem, et non modo dominationis Cesareae iugum sed omnem notam turpitudinis fugiendam; licet in eo errauerit quod auctoritate propria uitae munus abiecit; quod non modo fidelium institutis sed constitutionibus gentium et sapientissimorum edictis constat esse prohibitum. Veteris c

12 archam M

14 *non uolentis* etc.: Rom. ix. 16. 15 *quando ueniet* etc.: Marc. xiii. 35. 16, 17 *Nichil morte* etc.: Anselm. *Medit.* vii. init. (Migne *P. L.* clviii. 741). 26 *Cato* etc.: v. Luc. *Phars.* ix. 566 seqq. 32 *constitutionibus gentium*: v. Cod. Iustinian. ix. 50 § 1.

quidem philosophiae princeps Pitagoras et Plotinus prohibitionis huius non tam auctores sunt quam praecones, omnino illicitum esse dicentes quempiam militiae seruientem a praesidio et commissa sibi statione discedere citra ducis uel principis iussionem. Plane eleganti exemplo usi sunt, eo quod militia est uita hominis super terram. Quid si contra iubeant oracula uatum uel responsa phitonis? Procul dubio minime audiendi sunt, quia cum periculo innocentiae nemo cuiquam debet fidem. Si michi non credis, Numam Romanorum imperatorum fere innocentissimum praeter Titum, si placet, attende. Dum inuitaretur ad homicidium, petito capite ad sacrificia, censuit cepam
d esse caedendam, reflectens ad innocentiam etiam peruersi numinis uoluntatem. At cum 'hominis' adiceretur a numine, capillos se pollicitus est oblaturum. Cum uero spiritus immundus sitiret et sanguinem, piscem immolandum esse respondit. Sic itaque cum ratio eius circumueniri non posset ut traheretur ad culpam, immundorum spirituum testimonio colloquio deorum pronuntiatus est esse dignissimus. Nec est quod sub exorcismorum praetextu suum quis tueatur errorem, qui ad minuendam demonum potestatem et ad distrahendum quod habent cum homine familiaritatis commercium instituti sunt, carentque propriae uirtutis effectu nisi in Dei digito conualescant. Porro Spiritus sanctus disciplinae effugit
472 a fictum, et corpus peccatis subditum sui esse habitaculum dedignatur. Quicquid uero huiusmodi agatur, fictitium est et phantasticum et ueritatis substantiam nescit. Videtur quidem adesse, dum precibus et oblationibus inuocatur, et effectu petitionum persequente sacrilegum errantis animae desiderium adimpletur. Abest autem tam longe,

---

1 phylosophie C principes SM 24 digito dei M 28 fantasticum A

---

1 *Pitagoras*: v. Cic. *de Sen.* 20 § 73. *Plotinus*: v. Macrob. *in Somn. Scip.* i. 13 § 9. 6 *militia* etc.: Iob vii. 1. 10 *Numam* etc.: v. Ovid. *Fast.* iii. 339 seqq. 25 *Spiritus sanctus* etc.: Sap. i. 5.

ut subtracta tutela sui eos, quos perfidia tanta exagitat, uariis ludificationibus demonum trahi sustineat ad gehennam. Se siquidem ad huiusmodi flagitia prohibuit inuitari publica uoce Ecclesiae, aduersus quam nec portae inferi praeualebunt. Cum ergo sancti Spiritus gratia auctoritas Ecclesiae improbatis subtrahitur exorcismis, qui eis non tam utuntur quam abutuntur, offendunt in Spiritum, quo recedente eius sibi nituntur uirtutem et efficaciam retinere. b

Cap. 28. *De specularīis, et quod maligni spiritus interdum futura praenoscunt et subtilitate naturae et longa experientia temporis et reuelatione superiorum potestatum, et quod saepe decipiunt aut decipientes aut decepti, et quod specularios mala indubitata sequuntur.*

Frustra sibi specularii blandiuntur, quod nichil immolant, nulli nocent, saepius prosunt dum furta detegunt, maleficiis purgant orbem, et solam utilem aut necessariam appetunt ueritatem. Non sic impii, non sic. Qui non colligit, inquit, mecum, dispergit; et qui non est mecum, contra me est. Dum haec Domino prohibente exercent impii, quid aliud faciunt quam calcaneum erigere aduersus c prohibentem? Certe nimis est quod immolat, qui eiecto Spiritu sancto idolatriae mentem prostituit. Nimium est quod immolat, qui pollutas aures demoniorum sollicitat uoce Domino consecrata. Nimium est quod immolat, qui motum corporis accommodat ad detestabile sacrilegium peragendum. Quid retinuit creatori, qui mentem linguam corpus demonibus obtulit? An non ueritati fecit iniuriam, qui integritatem eius in tanta corruptione quaesiuit? Plane nemo in talibus per ignorantiam excusatur. Omnes

5 Spiritus sancti M 12 uirtutum et potestatum S *in r. c. p.* decipientes sunt S *in r. c. p.* 13 indubitanter S *in r. c. p.* 28 optulit A

4 *aduersus quam* etc.: v. Matt. xvi. 18. 18 *Non sic* etc.: Ps. i. 4. *Qui non* etc.: Matt. xii. 30. 21 *calcaneum erigere*: cf. Ioan. xiii. 18.

enim in commune sciunt aut scire debent hanc ignominiam fidei anathematis obprobrio condempnatam. Non utique
d hic sacramento miles excipitur, pupillus etate, mulier infirmitate sexus, rusticus munere agriculturae qua publicae utilitati inuigilat. Licet enim in dispendiis rerum subueniatur eis per ignorantiam iuris, in subuersione tamen fidei nullum ab ignorantia remedium est; obtinente eo ut qui ignorat ignoretur et insipiens in culpa erudiatur in pena et sapienter puniatur qui noluit intelligere ut bene ageret. Quis enim potuit discere ut sine labore a tanto labore cessaret, dum illud laboriose addisceret ut laboriose et pestilenter erraret? Non potest in fide sine labore quiescere qui potens est sollicitudine mentis et exercitio corporis a fide deuiare? Qui enim his nugis obsequitur, fidem negauit et infideli deterior est; et licet uerbis Deum
473 a confiteatur, ei peruersis operibus contradicit. Nec facilius est hominem huiusmodi esse fidelem, quam iudicem incorruptum qui diligit munera et sequitur retributiones. Ceterum quod simpliciorum animos mouet, scilicet per huiusmodi consultationem abscondita futurorum manifestari non posse, nisi per manum eius in cuius potestate sunt tempora et momenta, nodum non ingerit quaestionis. Licet enim futurorum sit unus arbiter, qui et Deus et Dominus omnium est, tamen ex signis interdum hominibus innotescunt. Quid ergo mirum, si ea quandoque praenoscant, quae et subtilitate naturae uigent et experientia temporis longiore et reuelatione superiorum potestatum de plurimis admonentur? Si ergo spiritus corporis mole grauati, quos luteum carnis retardat indumentum, quorum
b acumen turbati sensus corruptio hebetat, ex praecedentibus aut quarumcumque rerum indiciis quae sunt uentura

2 opprobrio A condemnatam S 9 punietur C¹SM 18 et *om.* A 31 sint M

15 *fidem negauit* etc.: I Tim. v. 8. *uerbis* etc.: cf. Tit. i. 16. 21 *in cuius potestate* etc.: v. Act. App. i. 7. 25 *Quid ergo mirum* etc.: De daemonum praescientia vide Aug. *de Divinatione Daemonum* (Migne *P. L.* xl. 581 seqq.); cf. *de Civ. Dei*, ix. 22.

coniciunt, quid prohibet spiritus ab omni nexu corporis absolutos, quos noxia moles non tardat, rerum imminentium aut in plurima tempora succedentium praemetiri euentum? Sed qui fere pridie natus est post dies pauculos decessurus medio tempore ex similibus similia colligit et de causis sibi interim notis ratiocinatur in posterum; nonne hoc facilius potest non modo antiquus sed inueteratus dierum, qui ab initio conditus est plenus sapientia et perfectione decorus? Quis adeo hebes est et tarditatis egregiae, qui tanto temporis tractu pro parte ad ea conicienda quae futura sunt, non assurgat? Praeterea propitiae potestates, quae caritatis cultu deuotione obe- c diendi Domino assidue famulantur, eis quidem possunt et interdum creduntur occulta reuelare. Nec tamen statim uerum est quod reprobi sentiunt aut praedicunt, sed quandoque quae suspicantur aut timent, ut uideantur conscii secretorum, properant nuntiare. Quale est quod Domino nascituro in templis Egypti desolationem eorum et discessum suum demones templorum praesides praedicebant. Vnde illud apud Trimegistum de exterminio religionis idolatriae: Egypte, inquit, Egypte, erit cum religionis tuae solae supererunt fabulae. Et saepe quod ex necessitate faciunt et coacti, se sponte facere simulant, quasi hominibus indignantes, quibus se fingunt infensos. Saepe etiam d mentiuntur aut decipientes aut decepti. Sed licet uera dumtaxat enuntient, nichilominus aut compescendi sunt aut fugiendi. Vnde in Deuteronomio: Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui dicit se somnium uidisse, et praedixerit signum atque portentum, et uenerit quod locutus est, et dixerit tibi, Eamus et sequamur deos

---

12 *post* cultu *add.* et A   21 ydolatrie CBAS   22 Egipte (*bis*) ASM   24 et *om.* M   28 sompnium A: sompnia M

7, 8 *antiquus dierum*: Dan. vii. 9 (de Deo).   8 *qui ab initio* etc.: v. Ezech. xxviii. 15, 17.   20 *Trimegistum*: v. Apul. *Asclepius* c. 24; cf. Aug. *de Civ. Dei*, viii. 23–7.   27 *Si surrexerit* etc.: Deut. xiii. 1–3.

alienos, quos ignoras, et seruiamus eis, non audias uerba prophetae aut somniatoris, quia temptat uos Dominus Deus uester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non. Vnde plane intelligitur quia, etsi contingant quae a diuinantibus non secundum Deum dicuntur, non sic accipienda sunt, ut fiant quae praecipiuntur ab eis aut colantur quae
474 a coluntur ab eis. Sed nec apostolus in Actis Apostolorum immundo spiritui pepercit, quia in muliere uentriloqua apostolis et praedicationi eorum testimonium perhibuit ueritatis. Nichil uero aduersus pestem istam salubrius est quam si quis huiusmodi uanitati omnino aurem subtrahat. Gratias ago Deo, qui michi etiam in teneriori etate aduersus has maligni hostis insidias beneplaciti sui scutum opposuit. Dum enim puer, ut psalmos addiscerem, sacerdoti traditus essem, qui forte speculariam magicam exercebat, contigit ut me et paulo grandiusculum puerum, praemissis quibusdam maleficiis, pro pedibus suis sedentes ad speculariae sacrilegium applicaret, ut in unguibus sacro nescio oleo aut crismate delibutis uel in exterso et leuigato
b corpore peluis quod quaerebat nostro manifestaretur indicio. Cum itaque praedictis nominibus, quae ipso horrore licet puerulus essem demonum uidebantur, et praemissis adiurationibus, quas Deo auctore nescio, socius meus se nescio quas imagines tenuiter tamen et nubilosas uidere indicasset, ego quidem ad illud ita cecus extiti, ut nichil michi appareret nisi ungues aut peluis et cetera quae antea noueram. Exinde ergo ad huiusmodi inutilis iudicatus sum, et quasi qui sacrilegia haec impedirem, ne ad talia accederem condempnatus, et quotiens rem hanc exercere decreuerant, ego quasi totius diuinationis impedimentum arcebar. Sic michi in ea etate propitiatus est Dominus. Cum uero paululum processissem, flagitium

2 sompniatoris AM 7 in actis apostolorum apostolus A 16 contingit M 24 ymagines A 25 quidem] quod S[1] 29 condemnatus S

7 *Sed nec apostolus* etc.: v. Act. App. xvi. 16 seqq.

hoc magis et magis exhorrui, et eo fortius confirmatus c est horror meus, quod, cum multos tunc nouerim, omnes antequam deficerent aut defectu naturae aut manu hostili beneficio luminis orbatos uidi, ut cetera incommoda taceam, quibus in conspectu meo a Domino aut prostrati aut perturbati sunt, exceptis duobus, sacerdote uidelicet quem praemisi et diacono quodam, qui speculariorum uidentes plagam effugerunt alter ad sinum canonicae alter ad portum cellulae Cluniacensis sacris uestibus insigniti. Eosdem tamen prae ceteris in congregationibus suis aduersa plurima postmodum perpessos esse misertus sum. Sane si ad impugnandum hunc errorem concursus rationum et catholicae matris Ecclesiae auctoritas non suppeteret, d uel exempla malorum eum sufficiunt extirpare. Sicut autem nemo potest bibere calicem Dei et calicem demoniorum aut duobus dominis seruire Deo et Mammonae; sic gratiam Dei et huius malitiae exercitium nullus assequitur. Sed ecce quare punctim et quasi subbula sententiam prosequor fidei et morum inimicam, cum eam caesim Spiritus mucrone capulo tenus transuerberare sufficiam? Feriatur ergo semel in manu forti et brachio illius, qui ad summersionem Egyptiorum diuisit mare rubrum in diuisiones, et secundo opus non erit. Non est enim qui de manu illius possit eruere. Educat ergo gladium Moyses et prosternat Egyptias abominationes et abscondat eas, ne appareant in conspectu fidelium, in sabulo sterilitatis 475 a suae. Loquatur uerbum, sententiam proferat in condempnationem errorum, quos diutius a domo tua abigere procurauimus. Verbum siquidem gladius est bis acutus,

16 mamone S 18 subula B^{2}A 20 mucrone spiritus A 22 submersionem SM 25 egiptias C abhominationes S

8 *canonicae*: sc. ecclesiae collegiatae canonicorum; v. Du Cange s. v. 15 *nemo potest* etc.: v. 1 Cor. x. 20. 16 *duobus* etc.: v. Matt. vi. 24. 18, 19 *punctim, caesim*: v. Veget. *Mil.* i. 12. *subbula*: v. Sen. *Ep.* 85 § 1 (cf. 82 § 24). 20 *Spiritus mucrone*: v. Ephes. vi. 17. 21 *in manu* etc.: v. Ps. cxxxv. 12, 13. 23 *secundo opus non erit*: 1 Reg. xxvi. 8. *Non est* etc.: Deut. xxxii. 39. 25 *abscondat . . . in sabulo*: v. Exod. ii. 12. 29 *gladius bis acutus*: v. Apoc. i. 16.

uiuus et efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad diuisionem animae et spiritus, compagum quoque et medullarum, discretor etiam cogitationum. Insensatus est qui hoc gladio imminente non timet. Et ecce in facie Ecclesiae in conspectu omnium imminet. Denique et in omnes dirigitur. Inquit enim: Quando ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari uelis abominationes illarum gentium; ne inueniatur in te qui lustret filium suum aut filiam
b suam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur aut obseruet somnia aut auguria, ne sit maleficus nec incantator, neque phitones consulat et diuinos et quaerat a mortuis ueritatem; omnia enim haec abominatur Dominus, et propter huiuscemodi scelera delebit eos in introitu tuo. Perfectus eris et absque macula cum Domino Deo tuo. Gentes istae, quarum possidebis terram, augures et diuinos audiunt; tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es. Quis ergo dubitet haec criminalia, et non modo languorem sed fidei exterminium esse, quod tanta diligentia propheticus immo Spiritus sancti sermo eradit? Abominationes sunt, dicente Domino; et homo se supra hominem fieri
c opinatur, cum istorum assecutus est disciplinam. Propter huiusmodi scelera deletae sunt gentes et humana temeritas se in his multiplicari confidit.

Cap. 29. *De phisicis theoricis et practicis.*

Licet tamen de futuris ut aliquis consulatur, ita quidem, si aut spiritu polleat prophetiae, aut ex naturalibus signis quid in corporibus animalium eueniat phisica docente

8 abhominationes SM 11 sompnia AM 13 abhominatur SM Dominus] deus A 20 Abhominationes SM 23 huiuscemodi B 25 praticis S *in r. c. p.* 26 ut de futuris aliquis SM

1 *uiuus* etc.: Hebr. iv. 12. 6 *Quando* etc.: Deut. xviii. 9–14. 21 *homo*: Alludit ad *abominationes* quasi *abhominationes*. 25 *theoricis*: cf. *Enth.* l. 449; v. Boeth. *In Porph. Dial.* i; Bern. Silvest. *Breviarium* ed. Barach & Wrobel p. 6.

cognouit, aut si qualitatem temporis imminentis experimentorum indiciis colligit. Dum tamen his posterioribus nequaquam quis ita aurem accommodet, ut fidei aut religioni praeiudicet; sed nec primi audiendi sunt, nisi in eo quod loquuntur a Domino, quod numquam religionem impugnat, quia uerum uero nequit esse contrarium nec bonum bono. At phisici, dum naturae nimium auctoritatis d attribuunt, in auctorem naturae aduersando fidei plerumque impingunt. Non enim omnes erroris arguo, licet plurimos audierim de anima, de uirtutibus et operibus eius, de augmento corporis et diminutione, de resurrectione eiusdem, de creatione rerum aliter quam fides habeat disputantes. De ipso quoque Deo interdum ita loquuntur, ut

si terrigenae temptarent astra gigantes,

et inani conatu cum Enchelado ut eis Ethnae onus ignifluum imponatur cupiant promereri. Sed in his facile labi possunt, quia quanticumque ingenii uires citra profunditatem difficultatis quae in his uertitur subsistunt. 476 a Vbi uero deficit intellectus, fidei ratione deducta, quae media est, restat sola opinio. Cum uero de inferioribus quaeritur, puta de complexione animalis de causa et cura egritudinis eis omnino nichil deest praeter effectum operis, si is desideratur. Et quidem theorici quicquid suum est faciunt, et forte pro amore tuo amplius erogabunt ab eis singularum rerum causas et naturas accipies. Sanitatis egritudinis et neutralitatis censores sunt. Dant sanitatem uerbo tenus et conseruant; neutralitatem iubent istuc diuertere; egritudinis praeuident et docent causas, indicunt ei initium augmentum statum et declinationem. Quid multa? Cum eos audio, uidentur mihi posse mortuos suscitare, nec Esculapio Mercurioue creduntur inferiores. b Verumtamen in eo magna mentis ammiratione distrahor

---

14 *Si terrigenae* etc.: Luc. *Phars.* iii. 316. 15, 16 *Enchelado*: Enceladi mentionem saepe faciunt auctores quos legit Noster, e.g. Lucan. *Phars.* vi. 294; Claudian. *in III. cons. Honor.* 161; *ignifluum* ap. Claudian. *ibid.* 196 in contextu haud dissimili reperitur.

et perturbor, quod a seipsis tanto uerborum conflictu et collisione rationum dissiliunt et discordant. Unum profecto scio, contraria simul uera esse non posse. Quid de medicis practicis dicam? Absit ut de eis quicquam peruersum loquar; in manus enim eorum exigentibus peccatis meis nimis frequenter incido. Non sunt exasperandi uerbis sed potius demulcendi obsequio. Nolo me tractent durius, nec etiam sentire audeo quod omnes clamant. Dicam ergo cum sancto Salomone quia medicina a Domino Deo est, et uir sapiens non contempnet eam. Nemo siquidem magis necessarius est aut utilior medico, dummodo sit
c fidelis et prudens. Quis enim praeconia illius declamare sufficiat, qui salutis artifex procurator uitae in eo Dominum imitatur et uices eius agit, quod salutem, quam ille operatur et quasi dominus et princeps donat, iste yconomus et minister procurat et dispensat? Nec ad rem attinet, si qui pseudo gratiam uendunt, et qui iustiores uideri uolunt, dum nihil accipiant antequam eger conualescat, in eo iniquiores sunt, quod beneficium temporis immo munus Dei manibus suis adscribunt, cum ille quem Deus erigit et uigor naturae conualescentis citra operam eius fuerat erigendus. Quamuis istud iam paucorum sit, sibi inuicem suadentibus et replicantibus medicis: Dum dolet accipe. Nec moueor si opera eorum in se compugnent, cum sciam
d contrariorum plerumque esse eundem effectum. Sed cum inter manus eorum quis in fata collapsus est, tunc necessarias producent rationes, quibus apparebit quod uita eius non fuerat ulterius protendenda. Et (ut dicitur) quos longa afflixerunt inedia, iam mortuis sorbitiunculas faciunt et utiles et delicatos praeparant cibos. Expectas fortasse

4 eis] his SM 10 contemnet S 13 *post* artifex *add.* et A^2 30 forte CB

9 *Salomone*: potius Siracida; v. Eccli. xxxviii. 4 *Altissimus creavit de terra medicamenta et vir prudens non abhorrebit illa.* 23 *Dum dolet, accipe*: cf. *Regimen Sanitatis Salernitanum* ed. Daremberg, Paris, 1861, p. 252; ed. Croke, Oxon. 1830, p. 46; quos locos mihi indicavit vir doctus I. F. Payne, M.D.

ut dicam quod dicit populus, quia hi sunt qui homines officiosissime occidunt. Sed frustra. Absit enim ut hanc contumeliam proferam, quam si forte audire uolueris, Senecam Plinium adeas et Sydonium, qui hoc in auribus tuis clamore ualido replicabunt.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

1 hii S

2 *officiosissime occidunt*: Sidon. Apoll. ii. 12. 3. 4 *Senecam*: v. Sen. *de Benef.* vi. 36 § 2. *Plinium*: v. Plin. *Hist. Nat.* xxix. 1 § 18; cf. pseudo-Plin. *de Medicina* in praefatione. *Sydonium*: v. locum Sidonii supra laudatum.

477 a INCIPIT LIBER TERTIUS POLICRATICI.

PROLOGUS.

Hostis multorum fio dum ineptias nugatorum excutio. Qua de causa otiari decreveram et silere, sed alterum mihi negotiorum tumultus excutit, alterum motus animi interrumpit. Qui enim sub potestate constitutus est, si sapit obtemperat imperio praesidentis. Quem stimuli affectuum pungunt, dissimulare non potest quin moueatur ad formam passionis. Exultat ergo quem gaudii aura demulcet, spes inducit hilaritatem, metus trepidat, dolentis animus merore confunditur. Haec apud singulos alternat facies boni aut mali. Verum sensus malorum altior est et saepius in omnes incurrit; quis est enim qui malorum asperitate saepius non uratur quam demulceatur fomento bonorum? Rarus est qui totius fortunae impetum a se toto possit
b arcere. Qui suis uiribus praeualet aut in amici aut familiaris corpore uel sorte temptatur. Licet parum humanus sit quem extraneorum iactura non concutit, non satis homo est quem aliena non mouent. Sed sapientioribus iam uenit in dubium, an quicquam hominis recte sit homini alienum. Virtutis uero processus ambiguitatis huius nodum soluit, cum et comicus nichil humani alienum a se reputet et Magister celestis hominem homini diligendum docuerit ut se ipsum. Vnde patet indignum esse tanto magistro discipulum qui ueritati non congaudet et

---

1 Incipiunt capitula libri III *et post capitula* Expliciunt capitula CB : Incipit liber III. Prologus CA : Incipit prologus libri tercii BM: Incipiunt capitula III libri *et post capitula* Incipit prologus III libri S   10 hylaritatem C   16 *post* praeualet *om.* aut S

---

22 *comicus*: v. Ter. *Hauton Tim.* i. 1. 77.   23 *Magister celestis*: v. Matt. xix. 19; Marc. xii. 31.   25 *ueritati congaudet*: 1 Cor. xiii. 6.

aduersus publicae salutis hostes non excandescit. Eos uero pro parte praesentis opusculi aliquatenus tangit intentio et nugas eorum quo potest et consueuit telo decutiet.

Cap. I. *Quid salus uniuersalis et publica.* c

Est igitur salus publica, quae uniuersos fouet et singulos, incolumitas uitae. Nichil enim homini praestantius uita eius, incolumitate uitae nichil salubrius. Hominem uero constare ex anima rationali et carne corruptibili antiqui sapientes diffinierunt. Caro siquidem uiuit ab anima, cum aliunde corpori uita esse non possit, quod semper inertiae suae torpore quiescit, nisi spiritualis naturae beneficio moueatur. Haec autem habet et ipsa uitam suam. Deus etenim uita animae est; quam sententiam modernorum quidam grauiter quidem et uere, licet metrica leuitate complexus est:

Vita animae Deus est, haec corporis; hac fugiente d
soluitur hoc, perit haec destituente Deo.

Sicut ergo corpori uiuere est uegetari, moueri ab anima, et dispositione sui motibus animae adquiescere, et ei quadam obediendi necessitate concordare; sic et anima ex eo uiuit, quod suo modo uegetatur, et uere mouetur a Deo, et ei subiecta deuotione obtemperat et in omnibus adquiescit. Si quo minus, et eo minus uiuit. Nam et corpus, qua parte sui non mouetur ab anima, iam in ea torporem mortis incurrit. Dum ergo totum uiuit, ad eam totum disponitur, 478 a quae se non per partes infundit partibus, sed tota est et operatur in uniuersis et singulis. Sic et Deus animam perfecte uiuentem totam occupat, totam possidet, regnat et uiget in tota. Nullus ei angulus exceptus est. Sed quid

25 torporrem C

9, 10 *antiqui sapientes*: cf. Aug. *Serm.* cl. 4 § 5 (Migne *P. L.* xxxviii. 810) *homo constans ex anima rationali et carne mortali.* 13, 14 *Deus uita animae*: v. Aug. *de Lib. Arbitr.* ii. 16 § 41; *Serm.* clvi. 6 § 6; *de Civitate Dei* xiii. 24 § 6 (Migne *P. L.* xxxii. 1263; xxxviii. 853; xli. 402).

in anima angulum uel partem dico? Partium expers est, simplicisque naturae, et totius duplicitatis ignara. Partes tamen quas potuit, sibi a distributore bonorum uendicauit. Quas? inquis. Virtutes utique, quibus uiget et operatur et sui experimentum facit. Si non ergo multiplicitate partium et quantitatis quadam distensione crescit, ratione tamen et intellectu appetitu boni auersione mali, manente simplicitatis natura, dilatatur. Cum uero partes istas
b spiritus implet (Deus enim spiritus est), solida et perfecta est uita animae. Cum enim intellectus Deum, qui summe bonus est, uisus sui acumine quantum ualet et licet apprehendit, et bonum quod ille uidet, incorrupta uoluntas appetit, et ratio ne declinet ad dexteram uel ad sinistram qui sano affectu ad bonum trahitur, uiam aperit, iam quandam immortalitatis assecuta est gloriam. Quod forte iam sentiebat, qui in suauitate conscientiae suae dicebat: Cor meum et caro mea exultauerunt in Deum uiuum. Vtique qui hac uia incedit non sperat aut extimescit, non contristatur aut condolet alicui eorum, quae a summo et uero bono recedendo deficiunt. Eo forte fideles animas inuitat
c sermo propheticus dicens: Conuertimini ad me in toto corde uestro; ut scilicet angulus gaudii aut meroris, timoris aut spei, non auertatur a facie mea, meae non displiceat uoluntati. Implet autem haec uita omnem creaturam, quia sine ea nulla est substantia creaturae. Omne enim quod est, eius participatione est id quod est. Sed cum sit in omnibus per naturam, sola inhabitat rationabilia per gratiam. Sunt ergo, quia in eis ueritas est; illustrantur, quia in eis sapientia est; bonum diligunt, quia in eis fons bonitatis et caritatis est. Omnis etenim uirtus angelica uel et humana quoddam diuinitatis uestigium est rationali creaturae quodammodo impressum. Spiritus sanctus inhabitans imprimit animae sanctitatem, eiusdemque riuulos multifariam

---

2 dupplicitatis A 13 *post* uel *om.* ad M 27 rationalia SM

---

9 *Deus spiritus est*: Ioan. iv. 24. 16, 17 *Cor meum* etc.: Ps. lxxxiii. 3. 21 *Conuertimini* etc.: Ioel ii. 12.

spargit, diuersarum exerens carismata gratiarum. Et haec d michi uidetur uera et unica incolumitas uitae, cum mens uiuificante Spiritu ad rerum notitiam illustratur et accenditur ad amorem honestatis et cultum uirtutis. Praecedit ergo scientia uirtutis cultum, quia nemo potest fideliter appetere quod ignorat; et malum, nisi cognitum sit, utiliter non cauetur. Porro scientiae thesaurus nobis duobus modis exponitur; cum aut rationis exercitio quod sciri potest intellectus inuenit; aut quod absconditum est reuelans 479 a gratia oculis ingerens patefacit. Sic utique aut per naturam aut per gratiam ad ueritatis agnitionem et scientiam eorum quae necessaria sunt unusquisque potest accedere. Quodque magis mirere, quilibet quasi quendam librum sciendorum officio rationis apertum gerit in corde. In quo non modo uisibilium species rerumque omnium natura depingitur, sed ipsius opificis omnium inuisibilia Dei digito conscribuntur. Adeo quidem ut nequaquam ualeant per ignorantiam excusari, quibus beneficio naturae uel gratiae gerendorum series innotescit. Sicut scriptum est: Quod enim notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim reuelauit illis. Non tamen corruptae naturae aduersus gratiam magnifico fimbrias aut faleras erigo, quasi b ipsa aliquid boni habeat quod non acceperit; cum certum sit quia sine ea nichil possumus facere. Agnitio igitur ueritatis cultusque uirtutis publica singulorum et omnium et rationalis naturae uniuersalis incolumitas est. Contrarium uero eius ignorantia et odibilis et inimica propago eius uitium est. Et recte quidem ignorantia mater uitii est, quia numquam adeo sterilis est, ut non odibilium fructum pariat infelicem. Inquit ethicus: Tu

nullo thure litabis,
hereat in stultis breuis ut semuncia recti.

---

1 exercens M

16, 17 *inuisibilia Dei*: v. Rom. i. 20. 20 *Quod enim* etc.: Rom. i. 17. 21 *reuelauit*: Vulg. *manifestauit.* 22 *magnifico* etc.: v. Matt. xxiii. 5. *quasi* etc.: 1 Cor. iv. 7. 24 *sine ea* etc.: v. Ioann. xv. 5. 31 *nullo* etc.: Pers. *Sat.* v. 120, 121.

Agnitio quidem certitudinem habet et uel in scientia uel in fide consistit. Sed fidei regula paulisper differatur, quoniam c eam tempus et locus suus expectat. Ceterum scientia sui notitiam habet; quod euenire non potest, si non metiatur uires suas, si ignorat alienas.

Cap. 2. *Quae sit prima contemplatio hominis sapientiam affectantis, et quis sit fructus speculationis huius.*

Est ergo primum hominis sapientiam affectantis, quid ipse sit, quid intra se, quid extra, quid infra, quid supra, quid contra, quid ante uel postea sit, contemplari. Inde est forte quod illi, qui prima totius philosophiae elementa posteris tradere curauerunt, substantiam singulorum arbitrati sunt intuendam, quantitatem, ad aliquid, qualitatem, d situm esse, ubi, quando, habere, facere, et pati, et suas in omnibus his proprietates, an intensionem admittant, et susceptibilia sint contrariorum, et an eis ipsis aliquid inueniatur aduersum. Prouide quidem haec et diligenter, etsi in eo negligentiores extiterint, quod sui ipsius notitiam in tanta rerum luce non assecuti sunt, et lucis inaccessibilis notitiam perdiderunt, dum euanuerunt in cogitationibus suis, et dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, et obscuratum est insipiens cor eorum. Quod ex eo conuincitur, quod traditi in passiones ignominiae faciebant quae nec sexui nec etati nec fortunae conueniant nec naturae, et personas omnium operis testimonio deuenustent. Dati siquidem sunt in sensum reprobum, quod planum est his 480 a qui Apostolum plenius nouerunt. Argumentum tamen ad omnia ualidissimum est, ut de fide et sinceritate singulorum credatur operibus suis. Opera enim quae facit aliquis, testimonium perhibent de eo. Verum qui seipsum ignorat,

11 phylosophiae C : phylosophie B 16 contrariorum sint S

12 *substantiam* etc.: enumerat Aristotelis decem praedicamenta. 19 *lucis inaccessibilis*: v. 1 Tim. vi. 16. 20 *euanuerunt* etc.: Rom. i. 21 seqq. 27 *Argumentum* etc.: v. Matt. vii. 16, 20; Ioann. x. 37; Iacob. ii. 18. 29 *Opera* etc.: v. Ioann. v. 36.

quid utiliter nouit? Si ignoras, inquit, te pulcherrima inter mulieres, abi post uestigia sodalium et post greges. Oraculum Apollinis est et descendisse de celo creditur: Noti seliton, id est, Scito teipsum. Non nesciuit hoc ethicus dicens:

Discite et o miseri causas cognoscite rerum,
quid sumus, aut quidnam uicturi gignimur, ordo
quis datur, aut metae quam mollis flexus et unde,
quis modus argento, quid fas optare, quid asper
utile nummus habet, pueris carisque propinquis
quantum elargiri deceat, quem te Deus esse
iussit, et humana qua parte locatus es in re.

Haec etenim contemplatio quadripertitum parit fructum, b uilitatem sui, caritatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei. Annon est arbor bona, quae tantam fructuum dulcedinem affert, tantam affert utilitatem? Certe non superbit qui paruulus est in oculis suis. Dum quisque quae adsunt uel absunt expetibilium numerum cogitat, quis de sua paupertate non erubescit? Si quis non appetenda sui recenseat, ei iugis materia modesti doloris et humilitatis occurrit. Quocumque se uertat, in seipso deicitur, qui petit a Domino confortari dicens: Humiliatus sum usquequaque, uiuifica me secundum eloquium tuum. Itemque: Ego, inquit, in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper. c

Cap. 3. *Quod superbia radix malorum est, et concupiscentia lepra generalis, quae omnes inficit.*

Superbia uero radix omnium malorum est mortisque fomentum. Arescunt riuuli, si fontis uena praeciditur;

---

1 te inquit A 3, 4 notiseliton BA: notis eliton CSM: notis elyton M *marg. Cyr.* 4 Nonne sciuit M 14 utilitatem M 29 presciditur SM

---

1 *Si ignoras* etc.: Cant. i. 7. 3 *de celo* etc.: v. Iuv. *Sat.* xi 27. 3, 4 *Noti seliton*: i. e. γνῶθι σεαυτόν; ΣΕΛΥΤΟΝ pro ΣΕΑΥΤΟV facillime legi potuit. 6 *Discite* etc.: Pers. *Sat.* iii. 66–72. 15 *arbor bona* etc.: v. Matt. vii. 17; Luc. vi. 43. 17 *paruulus* etc.: v. 1 Reg. xv. 17. 22 *Humiliatus* etc.: Ps. cxviii. 107. 23 *eloquium*: Vulg. *uerbum.* 24 *Ego* etc.: Ps. xxxvii. 18. 28 *Superbia* etc.: v. Greg. Magn. *Moralia* xxxiv. 23 in Iob xli. 47 (Migne *P. L.* lxxvi. 744); cf. infra *Policr.* viii. 1 (711, 712).

nec rami conualescunt radice succisa. Deficiunt uitia, si elatio iugulatur; at si stercora radici congerantur, pinguescunt rami et arentium sterilitas resiluescit. Si fonti liquentia superfundas, accessio transit in riuulos; si camino ignem adicias, in ligna incendium recrudescit. Sic si uitiatae naturae elationis innatae toxicum foueas, quin uitalia ipsa mortiferum uirus inficiat, nec si uolueris, poteris impedire. Est enim omnibus non tam cognatus quam
d innatus amor sui. Qui si modum excesserit, uergit ad culpam. Omnis enim uirtus suis finibus limitatur et in modo consistit; si excesseris, in inuio es et non in uia. Si amor hic inualuerit, nemo speret de cura. Lepra siquidem est incurabilior omni lepra. An nescis concupiscentiam lepram esse? Giezi consule. Si erubuerit confiteri quod sentit, conuince eum macula corporis. Sed quid dico Giezi consulendum, ac si solus sit? Orbem conueni, quia totus infectus est; meipsum interroga, qui miserorum unus sum. Certe concupiscentia misera et miserabilis lepra est. Nescis forte quid dicam; concupiscentiae pestem nescius infirmitatis ignoras, homo non concupiscens et in eo supra hominem
481 a constitutus; sed testis meus in celo fidelis mecum asserit quia omnes corrupti sunt, et abhominabiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. An tu sis ille, tu uideris. Scio enim non esse hunc Paulum, qui huius pestis incursu clamat et ingemiscit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Scio hunc non esse illum, qui de pectore ueritatis sapientiae fluenta potauit; cum orbem infectum hac labe intonet dicens: Quaecumque in hoc mundo sunt, concupiscentiam oculorum esse aut carnis aut superbiam uitae. Qui ergo hunc amorem non temperat, timeat lepram, et cecitatem oculorum, quae ex ea imminet, pertimescat. Si itaque

---

2 radici stercora A 14 Gyezi A 15 gyezi A 22 abominabiles B

---

4 *si camino* etc.: cf. supra *Policr.* i. 6 (403 D). 10 *Omnis enim* etc.: cf. infra *Policr.* iv. 9 (531 C). 14 *Giezi*: v. 4 Reg. v. 24 seqq. 22 *corrupti* etc.: Ps. xiii. 1. 25 *Infelix* etc.: Rom. vii. 24. 29 *Quaecumque* etc.: 1 Ioann. ii. 16.

illi qui non reprimunt concupiscentiam, malorum utique fontem et fomitem, dispendium salutis incurrunt, quid erit b illis qui eam assentatorum inflammant stimulis et quasi fomenta uitiorum accendunt? Quid facient aut potius quid patientur, qui a ueritate auertunt auditum, in ammiratione rerum corruptibilium et corrumpentium non claudunt oculos, manus expandunt, et omnium sensuum uiuacitatem exercent? Deinde quasi diei non sufficiat malitia sua, fallacia unius alterius fallaciam trudit. Terentiano siquidem uerbo libentius utor, dum ad concupiscentiae fornacem succendendum conueniunt adulatores et relatores delatores et detractores inuidi ambitiosi elati factiosi superstitiosi flagitiosi officiorumque omnium praeuaricatores; quos, quia fere ubique terrarum sunt, facilius est inuenire quam dinumerare. Aduersus huiusmodi est omnis lex, in c hos omnia iura coniurant, et in eosdem quasi in publicae salutis hostes quandoque omnis armabitur creatura.

Cap. 4. *Quid adulator, assentator, et palpo; et quod eis nichil perniciosius.*

Adulator enim omnis uirtutis inimicus est, et quasi clauum figit in oculo illius cum quo sermonem conserit, eoque magis cauendus est, quo sub amantis specie nocere non desinit, donec rationis obtundat acumen et modicum id luminis, quod adesse uidebatur, extinguat. Ad haec auditorum aures obturat ne audiant uerum; quo quid possit esse perniciosius, non facile dixerim. Scitum est illud Lelii aut potius Ciceronis: Cuius aures clausae sunt ueritati ut uerum audire non possit, eius salus desperanda d est. Quid uero infidelius est quam eum cui fidem debeas circumuenire uerborum blanditiis ludibrio habitus gestus

5 admiratione SM 12 *post* factiosi *add.* et M 13 omniumque officiorum M

8 *diei* etc.: v. Matt. vi. 34. 9 *fallacia* etc.: v. Ter. *And.* iv. 4. 40. *Terentiano* etc.: v. Cic. *de Amicit.* xxiv. § 89. 21 *clauum*: v. Cels. *Med.* vii. 7 § 12 *claui uocantur callosa in albo oculi tubercula.* 27 *Cuius* etc.: Cic. *de Amicit.* xxiv. § 90.

transfiguratione, et totius uanitatis lenocinio excecatum in sordes uitiorum impellere et praecipitationis abyssum? Quid odibilius fraude et dolo, quo sub imagine amoris et fidei in simplicem et credulum et (quod detestabilius est) amicum perfidiae et inimicitiarum nequitia exercetur? Hoc siquidem genus hominum omnia loquentium ad uoluptatem, ad ueritatem nichil. Verba oris eius iniquitas et dolus, qui etiam errantibus amicis ad eorum subuersionem ingeminat: Euge, euge. Quos ut plenius noueris, Gnatonem apud comicum uide, et quid de se fateatur ausculta:

482 a Negat quis, nego; ait, aio. Denique imperaui egomet michi
omnia assentari.

Tota enim Gnatonicorum factio

comeda est. Rides, maiore cachinno
concutitur; flet, si lacrimas conspexit amici,
nec dolet: igniculum si brumae tempore poscas,
accipit andromedam; si dixeris Estuo, sudat.

Vnde Vmbricius ait:

Non sumus ergo pares; melior qui semper et omni
nocte dieque potest alienum sumere uultum,
a facie iactare manus, laudare paratus
si bene ructauit, aut si quid fecit amicus
quod proferre palam non possit lingua modeste.

b Quod quidem non modo amico sed ne libero homine dignum est, cum uera et unica libertas in uirtutis speciem cadat, et turpitudo quos inficit postremae subiciat seruituti. Histrionem esse uel mimum infamiam ingerit his, quos a tantae abiectionis obprobrio naturae uel personae dignitas uidetur excepisse. Porro qui uultum induit alienum et

---

3 ymagine AM 15 comedia A 19 ait] inquit SM 29 opprobrio A

---

11 *Negat* etc.: Ter. *Eun.* ii. 2. 21, 22. 15 *comeda* etc.: Iuv. *Sat.* iii. 100–103. 19 *Vmbricius*: Iuv. *Sat.* iii. 21. 20 *Non sumus* . . . *ructauit*: Iuv. *Sat.* iii. 104–107; quod sequitur pro uerbis Iuvenalis minus modestis supposuit ipse Ioannes.

uarias affectuum alternat facies, incolumitati sensuum insidias parat et sordidus

auriculis alienis colligit escas;

et, si histrionem uerbo diffiteatur, eum moribus et turpitudine confitetur; quod assentatoris proprium est, qui ad alterius uiuit nutum et, antequam suum proferat iudicium, de singulis expectat alienum. Ceterum palpo, qui tamen c assentatoris uel adulatoris censetur nomine, quoniam eadem res multis notatur indiciis, hominum mentes explorat, praetentat uoluntatem, ut cui rei uolueris sensus accommodet, ut gratiam illius quicum agitur fraudulenter surripiat. Nouit enim de concursu sensuum et uoluntatum unione quasi riuulos amicitiae scaturire. Idem siquidem uelle et nolle (ut ait historicus) ea demum firma amicitia est. Quidni?

Consentire suis studiis qui crediderit te,
fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Cum uero praesenserit uoluntatem, sic palpat, sic demulcet, tanta suauitatis perungit gratia, ut uirtuti sompnum inducat, et totam moderationis, sine qua numquam recte uiuitur, formam Lethei fluminis infusione subuertat.

Magnas grates agere Thais michi? d

Iocundus est enim comicus et aptus qui se nugis nostris frequenter immisceat. Ingentes, inquit. Fuerat quidem satis si *magnas* respondisset. Sed, quia adulatoris fraus omnia extollit in maius et de suo aliquid adicit unde sibi gratiam cumulet, *ingentes* inquit. Sed nec mendacium erubescit. Qui enim sibi persuadere potuit ut honestatem hominis tantae turpitudinis macula decoloraret quacumque

---

2 sordibus A 4 diffiteatur uerbo A 10 pretemptat A 11 cum quo ASM 19 somnum S: sompnium M 28 potuit persuadere M

---

3 *auriculis* etc.: Pers. *Sat.* i. 22. 7 *palpo*: Pers. *Sat.* v. 176. 13 *Idem uelle* etc.: Sallust. *Catil.* 20 § 4. 16 *Consentire* etc.: Hor. *Ep.* i. 18. 65, 66. 21 *Lethei fluminis*: Verg. *Aen.* vi. 714. 22 *Magnas* etc.: Ter. *Eun.* iii. 1. 1. 24 *Ingentes*: Ter. *Eun.* iii. 1. 2.

de causa, utique persuadebit ut quod appetit, faciat, si possit, recte; si non, quocumque modo rem. Verum qui 483 a suo nomine, ut proprie loquamur, dicitur adulator, uitia cuiusque dealbat, et ne se ipsum uideat, oculos colloquentis quadam nube uanitatis implet, et aures falsis praeconiorum titulis reficit. Ait ethicus:

> Quid quod adulandi gens prudentissima laudat
> sermonem indocti, faciem deformis amici,
> et longum inualidi collum ceruicibus aequat
> Herculis, Anteium procul a tellure tenentis,
> miratur uocem angustam, qua deterius nec
> ille sonat, quo mordetur gallina marito?

Hoc autem minime uidetur mirum, si perditissimi homines, et quibus hic grauis moribus et feculentus mundus sordidatur, ad tantam turpitudinem possunt impelli. Sed hoc potius duco mirabile, quod populum qui sibi credat habent, qui de se magis alienae linguae adquiescat quam propriae b iudicio conscientiae, dum seipsum quilibet extra se quaerit et nosse dedignatur quam sit sibi curta supellex. Nichil est enim quod credere de se non possit cum laudatur, non modo diis aequa potestas, sed quaecumque anima de fermento superbiae intumescit.

Cap. 5. *De cautela adulatorum, et fraude multiplici, et comitibus adulationis, et sequela.*

Sunt tamen qui uulgares et adulationes plebeias non admittant, ut qui nolunt uili unguento oleoue corrupto quod omnibus fetet inungi, cum amicorum aut conuiuarum expetunt gratiam. Quid enim turpius est quam ad lenocinia histrionis transfigurare uultum, mutare habitum, motum ducere, et non tam uidere alium quam se ipsum gerere histrionem? Quid ineptius quam, cum alius magno hiatu

3 eloquamur M   10 anteum C[1]S   11 augustam M   13 mirum uidetur A   14 grauis hic A   19 suppellex AS   26 ungento BS

1, 2 *si possit* etc.: v. Hor. *Ep.* i. 1. 66.   7 *Quid quod* etc.: Iuv. *Sat.* iii. 86–91.   18 *extra se* etc.: v. Pers. *Sat.* i. 7.   19 *quam sit* etc.: Pers. *Sat.* iv. 52.   *Nichil* etc.: Iuv. *Sat.* iv. 70, 71.

oris ad te impellendum uanitatis spiritum proferat, si tu c aurium uela et latitudinem cordis ad tumorem concipiendum oppandas. Et quia uidentur ab omnibus, facilius haec a plerisque uanitatis obsequia contempnuntur. Verumtamen illa magis timenda, quia magis perniciosa sunt, quae quodam cautelae uelamento studiosius occultantur et quasi sub imagine increpationis aut correctionis alteriusue officii aut uirtutis irrepunt. Quod nonnullos, dum beniuolentiam immoderatius captant, fecisse reperies. Ait enim Lelius, non ille lator legis amicitiae sed suasor belli ciuilis et furoris incentor, qui et ab aliis Lentulus appellatur:

> Quod tam lenta tuas tenuit patientia uires,
> conquerimur. Deeratne tibi fiducia nostri?
> Dum mouet haec calidus spirantia corpora sanguis, d
> et dum pila ualent fortes torquere lacerti,
> degenerem patiere togam regnumque senatus?
> usque adeo miserum est ciuili uincere bello?

Sic et in comediis seruorum calliditate domini deluduntur, praemissis increpationibus rationes suas infirmari permittunt, et tandem se uictos simulant, ut et credulorum senum confirment errorem et de proditionis perfidia gratiam aucupentur, magna satagentes industria ut sic semper decipiant ut numquam possint argui falsitatis; eorum namque ueritas mendacio seruit. Quid quod aucupes nouitatum rumusculos congerunt eisdemque curiosorum auribus satisfaciunt, ut hac uia compendiosius ad id quod desideratur accedant? Temporis quoque diligentissimi obseruatores 484 a sunt, ne quid intempestiue ingerant, sed inter prandendum aut cum uino quis exhilaratus fuerit aut cuiuscumque compos uoluptatis. Huius cautelae meminit Maro, cum ad Eneam reuocandum sororem a Didone missam asserit, quae sola uiri molles aditus et tempora

---

9 repperies A 11 apellatur S 29 exilaratus S

---

12 *Quod tam* etc.: Luc. *Phars*. i. 361–366. 18 *comediis*: sc. Terentianis. 24, 25 *aucupes rumusculos*: v. Cic. *de Leg*. iii. 16 § 29 (cf. Cic. *pro Cluentio*, 38 § 105). 32 *sola* etc.: Verg. *Aen*. iv. 423.

norat. Quis autem non rideat, cum agaso non tressis titulorum fascibus purpuratur, et non sine sanna et cachinno audientium Damma transit in Marcum.

Papae! Marco spondente recusas
credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit. Ita est, assigna, Marce, tabellas.

Est equidem omnium captanda beniuolentia quae fons amicitiae et primus caritatis progressus est; sed honestate
b incolumi, officiorum studiis, uirtutis uia, obsequiorum fructu, integritate sermonis. Assit et fides dictorum scilicet factorumque constantia, et ueritas quae officiorum et bonorum omnium est fundamentum. Gratiam bonorum sed et omnium, si fieri posset, uirtus appetit, sed ad eam dedignatur per sordes accedere. Nobilis utique res est et delicata et quae omne quod dedecet aspernatur. Omnis etiam species quae ex seipsa non lucet ei suspecta est. Numquid igitur mentitur ut placeat? Numquid bonum dicit malum et malum bonum? Numquid amicum, qui parum sanus est, instigat ut amplius faciat insanire? Porro cum omnis
c assentatio turpis sit, perniciosior est cum ad subornandum uitium personae uel naturae uel dignitatis accedit auctoritas. Nempe philosophi probabile dicunt quod uideatur uel omnibus uel pluribus aut sapientioribus aut quod in propria facultate artifici. Si ergo sapientiam cuiusque Plato commendet aut Socrates, Aristotiles acumen ingenii, Cicero dicendi copiam, mathematicae studium Pitagoras, metrorum uarietates Flaccus, Naso leuitatem uersificandi, quidni credat? Subeunt enim citius et fortius singulos fomenta uitiorum,

magnis
cum subeunt animos auctoribus.

2 chachinno S 3 damna B: dampna M 10 fides et C^1BA 20 subhornandum S 26 matemathicae C: matemathice BS pigtagoras S 27 $\overset{\text{uel facilitatem}}{\text{leuitatem}}$ CAS: leuitatem uel facilitatem B

1 *agaso non tressis*: Pers. *Sat.* v. 76. 4 *Papae* etc.: Pers. *Sat.* v. 79–81. 22 *probabile* etc.: v. Ar. *Top.* i. 1 (100. *b* 21 seqq.) (non tamen totidem verbis ex Boethii versione). 27 *leuitatem*: v. Ovid. *Trist.* iv. 10. 25, 26. 30 *magnis* etc.: Iuv. *Sat.* xiv. 32, 33.

His tamen sui compos animus non seducitur, certe quia nemo nouit quid sit in homine praeter spiritum hominis qui in ipso est. Vnde apud Virgilium compos sui pastor d et sapientibus et magnis uiris nostri temporis doctior ait:

Me quoque dicunt
uatem pastores, sed non ego credulus illis.

Tu quoque

praeuiso si palles, improbe, nummo,
si facis in penem quicquid tibi uenit amorum,

licet te tota uicinia modestum dicat ac pudicum, minime uel iurantibus credas. Memoriter tene quod paruulus didicisti:

Plus aliis de te quam tu tibi credere noli.

Non facile dixerim uter sit prior in uitio, qui linguam adulationibus polluit aut cuius cor ex eis se in letitiam resoluit. In hoc enim elationis cecitas, in illo fraus excecandi dampnatur. Vbique uero dampnatur dolus sed et 485 a cecitas quae a superbia est nusquam absoluitur. Esto quod adulator sit nequior, iste non minus contemptibilis est, nec caperetur linguae tendiculis alienae, si non blandiretur ipse sibi. Quid itaque alium arguit adulationis qui sibimet adulatur? In quo enim alium accusat, seipsum condempnat; eadem enim facit quae iudicat. Vae, inquit Dominus, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus et ponunt ceruicalia sub capite uniuersae etatis. Vtique puluillos consuunt, qui auribus parant insidias, qui uana et mollia congerunt quibus sensus demulceant, qui opera commendant hominum ut eos famae praeconiis et quadam suaui iocunditate fauoris inducant ad quietem. Vsus enim puluinaris et ceruicalis est mollities quietis. Puluinar ergo b

17 damnatur CS 19 contemtibilis S 21 adulationis] elationis M 23 condemnat C

2 *nemo* etc.: v. 1 Cor. ii. 11. 5 *Me quoque* etc.: Verg. *Ecl.* ix. 33, 34. 8 *uiso si palles* etc.: Pers. *Sat.* iv. 47, 48. 13 *Plus aliis* etc.: Cato *Dist.* i. 14 (Baehrens *Poet. Lat. Min.* iii. 218). 22 *In quo alium* etc.: v. Rom. ii. 1. 23 *Vae . . . qui* etc.: Ezech. xiii. 18; cf. Greg. Magn. *Moralia* xviii. 4 in Iob xxvii. 5 (Migne *P. L.* lxxvi. 42) ap. Gratian. *Decr.* I. xlvi. 2 citatum.

sub omni cubito manus ponitur, quando non modo operatio sed quicquid ei adiacet commendatur. Caput uniuersae etatis ceruicali superponitur, dum quis adulantium uerbis in totius uitae operibus delectatur. Et alibi: Ipse edificabat parietem, illi autem liniebant eum. Parietem edificat non domum quisquis induratae mentis uitio prauitatem congerit operum. Qui in pariete solo ostium facit, quocumque ingrediatur foris est. Quicumque in prauitate operis indurata mente conuersatur a sanctorum societate seiungitur; edificatum ergo parietem linit, quisquis prauis operibus alicuius adulanter applaudit. Cum uero sit turpe
c omnibus adulari, longe turpius est si in praeceptae auctoritatis aut ordinis uiros adulatio cadat. Adeo quidem ut sacrorum canonum institutis cautum sit clericos irrefragabiliter deponendos qui noscuntur adulationibus inseruire. Recte quidem, quia omnis adulatio comites habet dolum et fraudem proditionemque et notam mendacii, sequelam quoque ignominiam seruitutis excecationem proximi et exterminium totius honestatis. An non est talis non modo eiciendus a clero sed a toto fidelium cetu?

Cap. 6. *Quod adulatores multiplicati sunt super numerum, et a praeclaris domibus honestos et dissimiles sui expellunt.*

Haec tamen pestis iam in tantum Domino indignante inualuit ut, si uentum forte fuerit ad conflictum, uereor ne
d modestos et bonos uiros possint facilius expellere quam expelli. Serpit enim illuuio feda et morbus cancerosus in omnes, ut nullus aut rarus sit quem labes ista non maculet. Omnes enim affectant beniuolentiam eorum cum quibus uiuitur; quod quidem non modo licitum est sed honestum,

11 aplaudit S 12 autoritatis C

4 *Ipse* etc.: Ezech. xiii. 10. 14 *sacrorum canonum*: Ivo Carnot. *Decr.* vi. 267; Grat. *Decr.* I. xlvi. c. 3 (ed. Friedberg, I. 168) (e canonibus concilii Carthaginiensis sub Cypriano A. D. 254 habiti). 27 *illuuio*: Vocabulum hoc (= *illuuies*), quod neque apud Forcell. ed. De Vit. neque ap. Du Cange invenies, exstat in versione Chalcidiana Plat. *Tim.* 25 c pro *κατακλυσμός*.

utpote omnia, quae natura uirtutum parens et recte uiuendi dux optima gignit. Sed dum hanc affectionem moderationis regula deserit, fertur in praeceps discurrensque per omnia agenda et non agenda, per infamiam et bonam famam, fauoris auceps, gratiae sollicitator incestus, ut cum amicum blanditiis praecorruperit, more meretricantis fortunam subripiat, extenuet facultates, aliena in se congerat spolia, et suum omnia conuertat ad lucrum. Efficitur ergo ut nulla 486 a
sit ei molesta seruilis obsecundatio, nullum indecens uideatur obsequium, omnium officiorum personas induit, dum praemia omnium fraudulenter praeripiat. Qui sunt enim qui uestibus nitent, qui fastigiati incedunt, qui sequipedarum stipantur comitatu, commilitonum et contubernalium dealbantur obsequio, qui primis salutationibus in foro gloriantur, qui primos recubitus habent in cenis, quorum aures mulcentur fomento praenominum et quibus nobilium molles reserantur auriculae, quos fortunae gratia alarum suarum remigio ad sullimia subuehit et extollit et a quibus quaelibet magna domus dispositionis suae formulam trahit et habitum mutuatur? Nempe adulatores, qui alienum uiuunt ad nutum dum eos fraudulenter emungant. Veritas b
aspera est et plerumque molestiam parit, dum aliquem palpare dedignatur. Verum amaritudo eius utilior est et integris sensibus gratior quam meretricantis linguae distillans fauus. Meliora siquidem sunt (sancto Salomone testante) amici uerbera quam fraudulenta oscula blandientis. Quidni? Fides enim semper perfidiae antefertur. Non manet fides incolumis ubi aliud agitur et aliud simulatur praesertim animo et uoluntate nocendi. Dicitur enim fides,

---

18 sullima B: sublimia AS 27 perfidiae semper M

---

1 *natura recte* etc.: v. Cic. *de Amicit.* 5 § 19. 9 *seruilis obsecundatio*: Cod. Iustin. x. 34. 14 *salutationibus* etc.: v. Matt. xxiii. 6, 7. 17, 18 *alarum remigio*: Verg. *Aen.* i. 301; vi. 19. 24 *meretricantis* etc.: v. Prov. v. 3. 25 *Meliora* etc.: Prov. xxvii. 6; de lectione *amici* pro vers. Vulgatae *diligentis* v. Sabatier *Bibl. Lat. Vers. Antiqu.* ii. 338; *blandientis* tamen pro *odientis* (Vulg.) vel *inimici* nusquam scriptum invenies. 29 *Dicitur enim fides* etc.: v. Cic. *Off.* i. 7 § 23.

si sequimur Stoicos, eo quod fiat quod dictum est. Lux mea, salus mea, refugium meum, cor meum et uita mea, dux inuicte, uiuentium sapientissime, omnium largissime et benignissime, uiuendi forma, uirtutis speculum, et cetera huiusmodi importune ingesta, nonne plena sunt non tam
c adulationis uitio quam ueneno? Sunt enim qui nec scurrantis speciem uitant, cum amicitiam profitentur. Venena, inquit sapiens, non dantur nisi melle circumlita. Nullaeque occultiores sunt insidiae quam hae quae latent in simulatione officii aut aliquo necessitudinis nomine. Tu obsequium putas, amicitiam suspicaris, metiris affectum; insidiae sunt. Nec, ut est in fabulis (quoniam et mendacia poetarum seruiunt ueritati), Iuno Semelen deceptam in incendium impulisset, si non esset nutricis induta faciem et mentita affectum. Tibi credis impendi famulatum; extremae et miserrimae subiceris seruituti. Nam

cum facilem distillat in aurem
d exiguum de naturae uitiique ueneno,

dispeream ni summoueat omnes qui uera loquuntur dedignati assentationis subire notam. Limine summouetur, et bene si non iudicatur inimicus, qui potentis amici uoluptatibus etiam turpioribus non modo contradicit, sed etiam non consentit. Et quidem nec consensus ad gratiam sufficit, approbare commendare applaudere insanienti necesse est; cum omnia malefecerit, laudandus est quasi re bene gesta. Sicut enim identitas uoluntatum amoris indicium est, sic ex dissensu inimicitiarum quisque reus arguitur. Proinde satiricus inquit:

Quid faciam Romae? Mentiri nescio; librum,
si malus est, nequeo laudare et poscere; motus

---

1 stoycos A 19 submoueat SM locuntur ASM 20 submouetur SM 23 Et quidem] Equidem A²SM 24 aplaudere S

---

7 *Venena* etc.: Hieron. *Ep.* cvii. 6 (Migne *P. L.* xxii. 873). 12 *in fabulis*: v. Ovid. *Metam.* iii. 253 seqq.; Hygin. *Fab.* 167, 179. 17 *cum facilem* etc.: Iuv. *Sat.* iii. 122, 123. *distillat*: *stillauit* Iuv. 18 *uitii*: *patriae* Iuv. 19 *dispeream ni summoueat omnes*: v. Hor. *Sat.* i. 9. 47, 48. 29 *Quid faciam* etc.: Iuv. *Sat.* iii. 41–48.

astrorum ignoro; funus promittere patris
nec uolo nec possum; ranarum uiscera numquam 487 a
inspexi; ferre ad nuptam quae mittit adulter,
quae mandat, norunt alii; me nemo ministro
fur erit, atque ideo nulli comes exeo, tamquam
mancus et extinctae corpus non utile dextrae.

Fugio ergo urbem tantis obscenitatibus plenam; adulatorum ueneficio toxicatam suis adulatoribus derelinquo.

Viuant Arturius istic
et Catulus; maneant qui nigrum in candida uertunt.

Nec tamen unius urbis tantum uitia depingi credas; iam totius orbis sunt. Quod ad istud orbem Romanum crede; memini me audisse Romanum pontificem solitum deridere Lumbardos, dicentem eos pilleum omnibus colloquentibus facere, eo quod in exordio dictionis beniuolentiam captent, b
et eorum cum quibus agitur, capita quodam commendationis demulceant oleo. Fili mi, inquit Salomon, si te lactauerint peccatores, ne adquiescas eis. Ipsi enim contra sanguinem suum insidiantur, et moliuntur fraudes contra animas suas. Prohibe pedem tuum a semitis eorum. Pedes enim eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.

Cap. 7. *Fraudem adulatorum in initio uitandam, et quod muneribus aut obsequiorum difficultate ualidissime procedit.*

Ecce uir sapientissimus in filio erudiens uniuersos assentatorum gratiam omnibus suspectam reddit omnesque deterret, et hoc quidem in initio, eo forte quod recte gradientem primus adulatorum congressus impugnat. Haec fortasse mere- c

---

14 dicens CBSM

---

9 *Viuant* etc.: Iuv. *Sat.* iii. 29, 30. 13 *memini . . . oleo*: citat Pauli *Mon. Germ. Hist.* xxvii. p. 45. *pontificem*: sc. Hadrianum IV. 14 *pilleum facere*: =*faire le chapeau*, Anglice *take your hat off to*, v. Du Cange s. v. *pileus*. 16 *capita* etc.: v. Ps. cxl. 5. 17 *Fili* etc.: Prov. i. 10. 18 *Ipsi* etc.: Prov. i. 18. 20 *Prohibe* etc.: Prov. i. 15, 16.

trix est cuius indicit fugam. Fauus, inquit, distillans labia meretricis et nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem eius quasi absintium amara et acuta quasi gladius biceps. Pedes illius descendunt in mortem et ad inferos gressus eius penetrant, per semitam uitae non ambulant; uagi sunt gressus eius et inuestigabiles. Nunc ergo, fili mi, audi me et ne recedas a uerbis oris mei. Longe fac ab ea uiam tuam et ne appropinques foribus domus eius. Haec, etsi ad sectam hereticorum censeantur praecipue referenda, ab adulationis fraude non aliena sunt. Si ergo ad fores domus eius non licet accedere, numquid admittenda est in praecordia pectoris? Ceterum cum multiplex sit uitium adulandi, aliis
d uultu aliis uerbo aliis opere uel munere assentantibus, efficacissima est adulationis fraus cum simulationem confirmant munera aut ei difficilius obsequium contestatur. Si aliter credis,

quam te tua tempora fallunt
qui stipe mel sumpta dulcius esse putas.

Probatio siquidem uerae dilectionis est sub huius tempestatis corruptione frequentatio muneris. Ars artium est: Si placere uis, frequenter dato. Si

calidum scis ponere sumen,
scis comitem horridulum trita donare lacerna,

alter Mercurius eris ei et, si uis amplius, es Apollo,

Pheboque pulchrior et sorore Phebi.

488 a Nec est quod de suffragio ipsius desperes quem muneribus pascis. Alimenta siquidem umbratilis gratiae et nominis prostituti munuscula sunt, et nisi fuerint frequentata amicitiae nomen interimunt. Frustra de muneris quantitate

---

2 nitidus A   3 absinthium B: quasi amara abscincium S[1]: amare quasi absinthium M   acutus M   14 confirment A   23 lucerna BA[1]   25 pulcrior AS

---

1 *Fauus* etc.: Prov. v. 3–8.   17 *quam te* etc.: Ovid. *Fast.* i. 191, 192 '*o quam te fallunt tua saecula*' *dixit* '*qui . . .*' etc.   22 *calidum* etc.: Pers. *Sat.* i. 53, 54.   23 *donare lacerna*: glossam habet C, *id est ornare uestimento.*   25 *Phebo* etc.: Petron. *Sat.* § 109.

praesumitur, nisi animam cupiditatis igne succensam crebrae uisitationis refrigerio temperes, et auaritiae iugem esuriem frequenti beneficiorum interpolatione demulceas. Aquilarum dicitur esse natura ut, cum stomachum pleniori refectione ingurgitauerint, in quintum decimum diem uel (ut aliis placet) in quadragesimum suspendant esuriem oblatorumque ciborum copiam aspernentur una saturitate contentae. Sane longe alia conditio diuitum, immo eorum qui uenalem prostituunt gratiam. Magis enim aliquatenus accedunt ad homines qui necesse habent, quia crebro b esuriunt, crebro refici. Vix possunt collectam esuriem in diem quadragesimum protelare, quin indignentur amicis, si non auaritiae hiatum oppleuerint. Solebant antiquitus Gratiarum simulachra effigiari nuda, eo quod soliditas amicitiae et ueritas fidei, sine qua nec gratiae quidem nomen subsistit, nullo simulationis fuco ualeat obumbrari. Sed iam, cum ad homines uentum sit, qui non amicos sed seipsos in singulis amant, multiplicitatis fucus ut placeat necessarius est. Apud istos enim gratia, quia gratis non est, iam non gratia sed lucri inescatorium est. Facies siquidem meretricis facta est ei, nec quodcumque uitium erubescit, dum lucri tendit ad quaestum. Vetus querela est sapientis c indignum amicitiae lugentis occasum:

Illud amicitiae quondam uenerabile nomen
prostat et in quaestu pro meretrice sedet.

Quod ex eo constat, quod, si cesset utilitas, rarus aut nullus est qui propter se uirtutem amicitiae colat. In tot circulis seculorum, in tanto etatum lapsu, in tanta multitudine et differentia personarum uix, ut ait Lelius, tria inueniuntur

---

2 iugere M 4 stomacum AS 8 diuitum conditio A 13 obpleuerint SM[2]: impleuerint M[1] 14 simulacra AS 24 quoddam CA[1] 27 amiticie uirtutem A

---

2 *refrigerio*: cf. *refresher*, vocabulum apud nos de pecunia causas orantibus in causa producta iterum data usitatum. 14 *Gratiarum*: v. Serv. in Verg. *Aen.* i. 724; cf. Fulgent. *Mythol.* ii. 4 § 8. 20 *Facies* etc.: v. Ierem. iii. 3. 24 *Illud* etc.: Ovid. *Pont.* ii. 3. 19, 20. 29 *uix tria* etc.: Cic. *de Amicit.* 4 § 15.

aut quattuor paria in amore. Hoc ipsum Arbiter noster ingemiscit, etsi alterius uideatur induisse personam; ait enim:

Nomen amicitiae si quatenus expedit heret,
  calculus in tabula mobile ducit opus.
d cum fortuna manet, uultum seruatis amici;
  cum cecidit, turpi uertitis ora fuga.
Grex agit in scena mimum, pater ille uocatur,
  filius hic, nomen diuitis ille tenet;
mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
  uera redit facies, dissimulata perit.

Cap. 8. *De mundana comedia, uel tragedia.*

Et quidem eleganti utitur similitudine, quia fere quicquid in turba prophanae multitudinis agitur comediae quam rei gestae similius est. Militia, inquit, est uita hominis super terram. At, si nostra tempora propheticus spiritus concepisset, diceretur egregie quia comedia est uita hominis super terram, ubi quisque sui oblitus personam exprimit alienam. Sed forte eo prophetae tendit oraculum, ut eos
489 a quos nondum terra absorbuit, doceat iugiter militare. Nam qui captiui uitiorum impulsu trahuntur ad penam sicut bos immolandus ad uictimam, abeuntes post concupiscentias suas, etsi corpore uideantur inhabitare superficiem terrae, uiui tamen absorti sunt et descendunt in infernum uiuentes. Et, si alium orationis sequimur tropum, terram usquequaque inhabitant quorum conuersatio minime in celis est nec sibi sciunt aliquid in celo esse, et id dumtaxat affectant animo quod cernitur super terram. His quoque militia iugis indicitur, quibus (ut ad fabulas redeamus) nec unda Tantali, Ticii uultur, rota Yxionis, Belidum urna, saxum Sisiphi

---

2 induisse uideatur A 16, 17 At si nostra . . . hominis super terram *ob homoeoteleuton om.* CB, *forsan* A[1] 18 ubi] nisi A 23 super faciem CBA 26 in celis est minime M 30 ixionis A

---

4 *Nomen* etc.: Petron. *Sat.* § 80. 15 *Militia* etc.: Iob vii. 1. 23 *etsi* etc.: cf. Dantis *Inferno* xxxiii. 121 seqq. 24 *uiui* etc.: v. Num. xvi. 30. 26 *conuersatio in celis*: Philipp. iii. 20.

deest, dum uoluntas mundo implicita nequit implere propositum, quamdiu peregrinatur a Domino. Istorum uita b militia et certe malitia est. Quod si abhorres, alia interpretatione doceberis quia uita hominis super terram temptatio est; quae, si proprietatem nominis sequimur, mali frequentius habet notam. In hac utique temptatione uel militia, licet sibi septem milia uirorum Dominus reseruauerit, fere totus mundus ex Arbitri nostri sententia mimum uidetur implere, ad comediam suam quodammodo respiciens et (quod deterius est) eo usque comediae suae insistunt ut in se cum opus fuerit redire non possint. Vidi pueros tam diu balbutientium uitia imitari ut postmodum nec cum uellent recte loqui potuerint. Vsus enim, ut ait quidam, egre dediscitur, et consuetudo alteri naturae assistit, quam licet c

expellas furca, tamen usque recurret,

Vnde et ethicus prouide quidem et utiliter: Optimam, inquit, uiuendi consuetudinem ab ineunte etate elige, eam tibi iocundam usus efficiet. Magnorum proinde uirorum sensus secularis haec expugnat comedia. Varia figura temporum actuum quaedam uarietas est. Porro actibus personae deseruiunt, dum in eis fortunae iocantis ludus impletur. Quid enim aliud est quod nouum quemlibet et ignotum nunc amplissimo induit potentatu et in regni fastigium erigit, nunc alium purpuratum antequam natum

---

2 Iustorum M 16 expellat M

---

2 *peregrinatur a Domino*: v. 2 Cor. v. 6. 4 *uita* etc.: sic locum Iob vii. 1 ex antiqua versione Latina citant Hieronymus, Augustinus, etc.; vide Greg. Mag. *Moralia* viii. 6 (Migne *P. L.* lxxv. 805); cf. Sabatier *Bibl. Sacr. Vers. Lat. Antiqu.* i. 844. 7 *septem* etc.: v. 3 Reg. xix. 18. 8 *fere totus mundus*: cf. infra 490 B; Buechelero videtur versus Petronii *Sat.* § 80 (ed. Bücheler 1862. p. 95), supra ad finem cap. 7 citatos respexisse Ioannes 13 *Vsus* etc.: cf. Quintil. *Inst. Orator.* i. 1 § 5 *Non assuescat ergo nedum infans quidem est sermoni qui dediscendus est*; Hieron. *Ep.* cvii. § 8 (Migne *P. L.* xxii. 874) *Legi quondam in scholis puer: 'Aegre reprehendas quod sinis consuescere.'* 14 *consuetudo* etc.: v. Cic. *de Fin.* 5. 25 § 74; *de Invent.* 1. 2 § 3. 16 *expellas* etc.: Hor. *Ep.* i. 10. 24. 17 *Optimam* etc.: v. pseudo-Cic. *ad Herennium* iv. 17 § 24.

de regni culmine in cathenas hostiles proicit et seruituti
d addictum in miserias extremas praecipitat, aut (quod fre-
quens est) non modo tyrannorum sed et principum sanguine
infimorum hominum aut etiam uilium seruorum infames
cruentat gladios?

Si fortuna uolet (inquit), fiet de rethore consul;
si uolet haec eadem, fiet de consule rethor.

In eoque uita hominum tragediae quam comediae uidetur
esse similior, quod omnium fere tristis est exitus, dum
omnia mundi dulcia quantacumque fuerint amarescunt, et
extrema gaudii luctus occupat. Quantumlibet in uiis suis
iniqui floreant et prosperorum concursu inaurentur, eis ad
nutum fortuna seruiat, subuertet in fine gressus eorum, et
tandem amara erit quasi absintium. Quare, inquit beatus
Iob, impii uiuunt, subleuati sunt confortatique diuitiis?
490 a Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et
nepotum in conspectu eorum, domus eorum securae sunt et
pacatae, et non est uirga Dei super illos. Bos eorum con-
cepit et non abortiuit; uacca peperit et non est priuata
fetu suo. Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, et
infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum et
citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis
dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Quis
letitiae praecedentis exitus potest esse amarior aut felicis
uiae infelicior finis? Haec est enim uia illorum qui in
labore hominum non sunt neque cum hominibus flagel-
lantur. Vtique deiecit eos consilium Domini dum alleua-
rentur. Ei siquidem haec potius ascribenda sunt omnia
b quam fortunae, quae aut ab ipso est, aut (quod magis reor)
omnino non est. Ait namque ethicus:

Noli fortunam, quae non est, dicere cecam.

---

3 tirannorum ASM 14 absinthium BAM 15 sulleuati M 18 est *om.* M 21 timpanum CAS 22 cytharam A 30 est *om.* M

---

6 *Si fortuna* etc.: Iuv. *Sat.* vii. 197, 198; cf. infra *Policr.* v. 4 (546 A). 11 *extrema* etc.: Prov. xiv. 13. 14 *amara quasi absintium*: Prov. v. 4. *Quare* etc.: Iob xxi. 7–13. 25, 26 *in labore* etc.: Ps. lxxii. 5. 27 *deiecit* etc.: Ps. lxxii. 18. 31 *Noli* etc.: Cato *Dist.* iv. 3 (Baehrens *Poet. Lat. Min.* iii. 230).

Homerus quoque in illo celeberrimae perfectionis opere dedignatus est nosse fortunam, adeo quidem ut in nulla parte tanti carminis nominetur. Maluit enim soli Deo, quem ΜΟΙΡΑΝ nominauit, uniuersa regenda committere, quam ut aliquid ascriberet temeritati fortunae, quam utique sic constat minime esse deam, sicut certum est dici et pingi cecam. Frustra ergo cecitas eius arguitur, quae in natura rerum inueniri non potest. Vnde et casus non esse conuincitur, si eum quis improuisum euentum esse diffiniat, cum nichil fiat cuius ortum legitima causa et ratio non praecedat, et fidelis concionator nichil in terra doceat c fieri sine causa. Verumtamen quia praeter intentionem gerentium aliqua, nonnulla contingunt praeter opinionem, casus appellatione clauduntur, licet aeque disponentis ratione praeuisa sint, sicut ea quae lege naturae necessitatis nexibus uidentur artata. Proinde et haec ipsa contingentia primeuae omnium causae sic esse constat adnexa ut ad eam omnia referantur; et pro mea opinione haec ipsa ad positionem omnium quae sunt necessario consequatur. Ridebunt forte prudentiores insipientiam meam, qui Deum esse ad existentiam omnium sequi consentio; sed ab effectu causam inferri uel probabiliter me Peripatetici docuerunt. Porro doctores fidei eam ex omnibus causam necessario inferunt, d ex qua omnia, per quam omnia, et in qua sunt omnia, et sine qua factum est aut subsistere potest nichil. Quod ergo aliquid fortunae uidemur ascribere, ei nequaquam praeiudicat. Sed quia nobis ad homines sermo est, hominum uerbis utimur, pingui (ut praediximus) Minerua agentes de singulis, de nullo subtilem reddentes rationem. Quod si hoc ipsum patienter admittitur, ea quae a philosophis gentium publicae utilitatis gratia scripta sunt audire quid

17 constat esse annexa M 22 peripathetici AM 31 audiri A^{2}SM

1 *Homerus* etc.: v. Macrob. *Sat.* v. 16 § 8. 10 *nichil fiat* etc.: Plat. *Tim.* 28 A. vers. Chalcidii; cf. supra ii. 1 (415 D). 11 *nichil in terra* etc.: Iob v. 6. 24 *ex qua* etc.: v. Rom. xi. 36; Ioann. i. 3. 28 *pingui Minerua*: Cic. *de Amicit.* 5 § 19. *ut praediximus*: v. supra ii. 22 (449 B).

prohibet? Quaecumque enim, inquit, scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Dum enim pax abest filiis Adam, qui ad laborem nati sunt, parati ad flagella, concepti in peccatis, editi in labore, non tam euntes quam
491 a currentes ad mortem qua nichil tristius est, necessaria est patientia, utilis consolatio quae de oleo letitiae in conscientia et de immensitate clementiae Dei praedestinatos ad uitam spe futurorum fouet et roborat. O custos hominum, inquit beatus Iob, humani generis calamitates in se exprimens, quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum michimet ipsi grauis? Nemo siquidem est qui exigentibus culpis in seipso non inueniat causas materiamque doloris, cum ipsius philosophiae testimonio unicuique contingat adesse quod nollet uel abesse quod uellet. Vnde et fidelis anima, cui uerae beatitudinis gaudia differuntur, cum inferiori irriguo irriguum superius petit. Vt ergo gentilium figmentis pium accommodemus auditum, rerum omnium tragicus finis est;
b aut, si nomen comediae gratiosius est, non duco contentionis funem, dum constet inter nos quod fere totus mundus iuxta Petronium exerceat histrionem; quod et quidam temporis nostri scriptor egregius infidelium tamen uerbis eleganter expressit:

Ridiculos hominum uersat sors ceca labores;
secula nostra iocus ludibriumque deis.

Huius itaque tam immensae tam mirabilis et inenarrabilis tragediae uel comediae theatrum quo peragi possit, ei mirabiliter coaequatur. Tanta est area eius quantus et orbis. Difficillimum est ut quisquam admittatur exclusus uel

---

1 *post* prohibet *add.* paulus dicens P inquit *om.* A 21, 22 nostri temporis A 27 teatrum S

---

1 *Quaecumque* etc.: Rom. xv. 4. 9 *O custos* etc.: Iob vii. 20. 14 *adesse* etc.: v. Boeth. *Consol. Philos.* iii. Prosa 3. 16 *cum inferiori* etc.: v. Iosue xv. 19; quem locum intelligit Noster ad mentem Greg. Magn. *Dialog.* iii. 34 (Migne *P. L.* lxxvii. 301). 20, 21 *iuxta Petronium*: v. supra 489 B. 22 *scriptor*: i. e. secundum marg. P. Bernardus Silvester; tamen neque in ed. Barach & Wrobel neque in *Experimentarii* seu *libri fortunae* codice in Bibliotheca Bodleiana servato exstant versus isti.

emittatur inclusus, dum carnis gerit luteum indumentum. Eam quippe tanta subtilitate necesse est exui ut per foramen acus possit sine omni attritione transiri. Alioquin c
integer nemo egreditur; forte ideo, quia capacem hanc aream Stix nouies interfusa cohercet. Vidi, inquit Ecclesiastes, cuncta sub sole, et ecce statim omnia uanitas; eo quod omnia, quae a solido ueritatis statu recedunt, uanitati, quae nostram comediam deceat, subiecta sunt. Vanitati enim subiecta est creatura non uolens. Licet enim nouem orbibus siue globis potius sedium nostrarum habitatio tota claudatur, omnibus tamen quandoque egrediendum est, omnesque Caron ille inexorabilis uetusta sui temporis naue traiciet. Omnibus quoque succedent alii, et sic transiens homo manet in specie, quemadmodum aqua praetereunte notus amnis manet in flumine. Vbi sunt, inquit, uiri potentes, ab initio scientes bellum, aut qui in d
auibus celi ludunt, et thesaurizant sibi aurum, in quo confidunt homines, iungentes agrum agro domum domui usque ad terminum loci, et non est finis possessionis eorum. Statimque subiecit quod usu et assiduitate iam omnibus persuasum est: Hi ad inferos descenderunt, et alii in locum illorum successerunt. Verumtamen bene cum egredientibus agitur, qui non ab hoc fortunae ludo transferuntur eiciendi in tenebras exteriores ubi erit fletus et stridor dentium, et qui ab aquis niuium quas sanctus Iob commemorat ad calorem nimium minime transeunt; bene cum illis agitur, qui suos expectant Elisios, quos praesentia 492 a
sua iustitiae sol uerus illustrat. Sed quid est quod Elisios

5 choercet A 19 terminos SM *et ut uar. lect.* A 26 comemorat S

1 *carnis luteum indumentum*: v. Prudent. *Cath.* ix. 99 (Migne *P. L.* lix. 874) *carnis indumenta*; cf. Shakespeare *Merch. of Venice* v. 1. 64 *this muddy vesture of decay.* 2, 3 *per foramen* etc.: v. Matt. xix. 24; Marc. x. 25; Luc. xviii. 25. 5 *Stix* etc.: Verg. *Georg.* iv. 480; *Aen.* vi. 439. *Vidi* etc.: Eccles. i. 14. 8 *Vanitati* etc.: Rom. viii. 20. 9 *nouem* etc.: Cic. *de Somn. Scip.* 4 (*de Rep.* vi. 17 § 17). 15 *Vbi sunt* etc.: v. Baruch iii. 16–18, 26; Isa. v. 8. 21 *Hi ad inferos* etc.: Baruch iii. 19. 24 *in tenebras* etc.: Matt. viii. 12. 25 *ab aquis niuium* etc.: Iob xxiv. 19. 28 *iustitiae sol*: Malac. iv. 2.

campos a mutabilium rerum septis uerbis excludo? Certe pro parte inclusi sunt, patentes in latitudine bonarum mentium quibus a Patre luminum datum est ut in notitia et amore boni toto sui agitatu uersentur. Vnde ethicus inquieto extra se ineptam beatitudinem inquirenti:

Quod quaeris ubique est,
est Vlubris, animus si te non deficit aequus.

Cap. 9. *Quod mundus suos habet Elisios; et eadem fides est nostri temporis et praecedentium patrum, et uirtutis cultores inspectores sunt theatri huius.*

Mundus igitur suos habet Elisios,
b solemque suum et sua sidera nouit.

Virtus siquidem solaris quidam radius est a fonte claritatis omnibus datus in usum et qui omnia quae attingit claritate sui facit eximia. Inde est quod etiam illi quos huius radii uenustas quasi repercussa specie sui uidetur afflasse, statim in subiectorum conspectu clarescunt fiuntque quodammodo uirtutis titulo gloriosi. Absit enim ut quisquam uere sit gloriosus, nisi qui in Domino gloriatur. Non enim qui se ipsum aut quem homo commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat; quod utique uera et sola uirtus meretur, non quantacumque uirtutis imago. Hoc autem
c esse arbitror, quicquid in moribus egregium de naturae beneficio et exercitio mentis citra gratiam philosophi sibi repromittunt eoque ipso euanuerunt in cogitationibus suis de libero confisi arbitrio, et dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt stultique apparuerunt. Vnde ethicus:

Satis est orare Iouem qui donat et aufert;
det uitam, det opes, animum michi ego ipse parabo.

---

8 helisios CBA 8, 9 est fides A 12 sydera CB 29 ego *om.* A

---

3 *a Patre luminum*: Iacob. i. 17. 6 *Quod quaeris* etc.: Hor. *Ep.* i. 11. 29, 30. 12 *solemque* etc.: v. Verg. *Aen.* vi. 641. 19 *in Domino* etc.: 2 Cor. x. 17, 18. 22 *Hoc*: sc. quod meretur quantacumque virtutis imago. 25 *euanuerunt* etc.: Rom. i. 21, 22. 28 *Satis* etc.: Hor. *Ep.* i. 18. 111, 112.

Alius quoque:

> Nullum numen habes si sit prudentia; sed nos
> te facimus, fortuna, deam celoque locamus.

Cato quoque, licet uerum non agnouisset Deum gentiumque
superstitionibus aberraret, in Libia tamen Iouis, quem
colebat, contempsit oracula, se ad ea, quae sibi gerenda
erant, sufficere arbitratus. Et quidem etiam ipsa imago
uirtutis suam quandam habet uenustatis decorisque clari- d
tatem, ut quicquid in ea cernitur eius merito uenustum
credatur et decorum. Non tamen usquequaque decorum
est quod in tenebris ignorantiae obscuratur; nec potest
quisquam clarescere nisi in fide illius qui lux uera est et
illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum.
Ex quo patet quod nisi in ueri Dei notitia et cultu uera
uirtus esse non possit. Quod et uisio Ezechielis non tacuit,
qui eorum qui praecedebant et qui sequebantur Christum
eandem confessionem esse asseruit. Sanctorum quippe
ueteris et noui testamenti in eo distinguitur fides, quod isti
iam sibi gaudent impleta quae illi expectabant et desidera-
bant implenda. Sit ergo uenerabilis imago uirtutis, dum 493 a
sine fide et dilectione substantia uirtutis esse non possit.
Et utinam inueniatur in nobis qui uel uirtutis imaginem
teneat.

> Quis enim uirtutem amplectitur ipsam?

Quis etiam umbras uirtutum induit, quibus uidemus
floruisse gentiles, licet eis subtracto Christo uerae beatitu-
dinis non apprehenderint fructum? Quis Temistoclis dili-
gentiam, Frontonis grauitatem, continentiam Socratis,

---

6 contemsit S 7 ymago AM 16 *post* et *om.* qui SM 22 ymaginem B: ymaginem uirtutis M 25 umbram uirtutis A 27 themistoclis A

---

2 *Nullum* etc.: Iuv. *Sat.* x. 365, 366. 4 *Cato* etc.: Luc. *Phars.* ix. 543 seqq. 12 *lux uera* etc.: Ioann. i. 9. 15 *uisio Ezechielis* etc.: v. Greg. Magn. *Hom. in Ezech.* ii. 4 § 7 (Migne *P. L.* lxxvi. 977, 978). 24 *Quis enim* etc.: Iuv. *Sat.* x. 141. 27 *Temistoclis diligentiam*: v. Val. Max. viii. 7. ext. 15. 28 *Frontonis grauitatem*: Hieron. *Ep.* cxxv. § 12 (Migne *P. L.* xxii. 1079).

Fabricii fidem, innocentiam Numae, pudicitiam Scipionis, longanimitatem Vlixis, Catonis parcitatem, Titi pietatem imitatur? Quis non cum admiratione ueneratur? probitas b siquidem laudatur et alget. Porro praedicti et consimiles magni quidem et laudabiles uiri quasi quaedam seculorum suorum sidera splenduerunt, illustrantes tempora sua, praeambuli coetaneorum suorum in id iustitiae et ueritatis quod dispositione diuina illuxerat eis. Sic quoque in successionibus fidelis populi numquam humano generi ad noctis suae tenebras cecitatisque molestias depellendas sua sidera defuerunt, uiri quidem uirtutis titulo nobiles magnorumque operum fulgentes insignibus, quorum exemplis ad cultum iustitiae semper alii prouehantur. Nonne Abel innocentiam docuit, Enoch munditiam actionis? Quid de longanimitate spei et operis non habuit Noe? Quid de obedientia fideliter implenda defuit Abrahae? Isaac coniugii castimoniam c instruit, et Iacob laboris tolerantiam ostendit. Ioseph parricidas fratres boni retributione remunerat, eoque docet a bonis bona pro malis tribuenda. In multis milibus increduli indurati et Deum semper exacerbantis populi Moysi mansuetudo ostenditur, et imminentibus aduersis confidentis Iosuae magnanimitas declaratur. Iob patientiae indicit exemplum. Et praeambulus gratiae Baptista Saluatoris, dum penitentiam praedicat et uitiis indicit fugam, confessionem eruit ueritatis et ad increpationem iniuriae et condempnationem iniquitatis omnium fidelium linguas exacuit. Quid noui testamenti referam patres, quorum exempla sunt disciplina morum et rectissima instituta d uiuendi? Hi quidem sunt in septem milibus uirorum, quos sibi Dominus reseruauit ut non curuarent genua sua

6 sydera CB 9 populi fidelis M 10 sydera CBM 27 noui *om.* M

1 *Fabricii fidem*: v. Boeth. *Consol.* Philos. ii. Metr. 7. *pudicitiam Scipionis*: v. infra c. 10 (495 C). 2 *Titi pietatem*: cf. supra ii. 5 (420 C). 3, 4 *probitas laudatur et alget*: Iuv. *Sat.* i. 74. 13 *Nonne Abel* etc. . . . *indicit exemplum*: v. Greg. Magn. *Moral.* Praef. 6 § 13 (Migne *P. L.* lxxv. 524). 29 *in septem milibus* etc.: v. 3 Reg. xix. 18.

ante Baal aut cuicumque uanitati prostituant animas pretiosas. Hi sunt qui inter insensatos habentur insani, quia alienae insaniae nolunt esse participes. Et finem sine honore creduntur habituri, quia dignitatem naturae mundani histrionis habitu polluere dedignantur. Hi sunt forte qui de alto uirtutum culmine theatrum mundi despiciunt ludumque fortunae contempnentes nullis illecebris impelluntur ad uanitates et insanias falsas. Hi iam in suis gaudent Elisiis, ad utilitatem suam uident plurima et ad eam omnia uisa retorquent. Cum enim fidelis anima exaltatur a terra, tunc demum omnia trahit ad seipsam. Speculantur isti comediam mundanam cum eo qui desuper astat ut homines actusque eorum et uoluntates indesinenter 494 a prospiciat. Cum enim omnes exerceant histrionem, aliquem esse necesse est spectatorem. Nec queratur aliquis motus suos ab aliquo non uideri, cum in conspectu Dei agat angelorumque eius paucorumque sapientum, qui et ipsi ludorum istorum circensium spectatores sunt. Erubescat potius, si quis in tanta luce indecenter moueatur et se totum exercitatione mimica deuenustet.

Cap. 10. *Quod sibi personae coaptantur, et depretiantur dissociatae: et de Cleopatra, Augusto, et Scipione: et quod Romani uanitati dediti sunt; et quis sit adulatoriae finis.*

Ceterum in hoc fortunae ludibrio personae sibi inuicem coaptantur; et, si altrinsecus diuertant, totius actus facies b immutatur, ut si Gliscerium tollas aut Pamphilum. Sublato enim alterutro nomen alterius perit, et si cum amantibus suspiciosum senem tollas, nullus est aut inutilis omnino Dauus. Hinc est illud:

---

3 uolunt M 11 a terra exaltatur M 14 hystrionem CBM: ystrionem S 15 necesse est esse M 17 sapientium M 20 mimica] inimica B²AM 27 glicerium SM 29 tollas senem M

---

2 *qui inter insensatos* etc.: v. Sap. v. 4. 11 *a terra* etc.: v. Ioann. xii. 32. 14 *exerceant histrionem*: v. supra 489 B. 27, 30 *Gliscerium* (i. e. *Glycerium*), *Pamphilum*, *Dauus*: in Terentii *Andria*.

Fortis in armis
Cesareis Labienus erat, nunc transfuga uilis
cum duce priuato terras atque aequora lustrat.

Si enim personas, quae sibi assueuerunt sibique faciunt, decretum fortunae dissociet, fit plerumque ut utraque ad omnia agenda sua uideatur inepta, et quasi exclusa ratione officii depreciatur. Fracta sunt lenocinia Cleopatrae ex
c quo nec Iulium inuenit nec Antonium. Equidem orbis uictorem Cesarem donis flexit, et inuicti uiri insuperabilem animum meretricius decor et prostituta facies superauit. Vnde lenocinii eius sollicitudinem poeta exprimens adiecit:

Vultus adest precibus, faciesque incesta perorat.

Cum uero Iulius rebus humanis exemptus esset, quae Romani imperatoris coniugio fuerat gloriata, principis Romanorum ausa est affectare seruitutem. Nec frustra, cum ad omnia paratum inuenisset Antonium. Putabat enim ad Cesarem gloriam sibi nichil defore, si lectum eius ascenderet, qui successor rerum Pompeii et (ut simulabat) iuris Cesarei magis de temeritate fortunae quam
d de uirtutis conscientia confidebat. Porro, cum ad sollicitandum Augustum muliebris impudicitiae audacia accessisset, spe sua frustrata amorem honestatis reputauit iniuriam, castitati nomen dedit superbiae, bellumque credidit indicendum ei quem Iulio Cesare experta fuerat fortiorem. Omnes nocendi artes aggressa est, tandemque capta et prouoluta ad pedes Augusti etiam tunc sollicitauit oculos ducis. Sed frustra quidem; nam pulchritudo eius infra pudicitiam principis fuit. Quod ubi desperata se ad triumphum uictoris praenouit reseruari, incautiorem nacta custodiam, egressa se in Mausoleum regum recepit, ibique nobilissimis ex more induta cultibus odoribus conquisitis solioque diuitiis usquequaque referto se iuxta suum collocauit Antonium, et mamillis uenisque suis apponens aspides

---

25 *post* omnes *add.* enim S   27 pulcritudo AS

---

1 *Fortis* etc.: Luc. *Phars.* v. 345–7.   3 *priuato*: *praelato* habet Lucanus.   12 *Vultus* etc.: Luc. *Phars.* x. 105.   26 *prouoluta* etc.: v. Flor. ii. 21 (iv. 11 §§ 9–11).

sic morte quasi sompno resoluta est. Psilli siquidem a
Augusti mandato adhibiti, qui malitiam ueneni solent linguis educere, eo quod sero uocati essent, opem ferre non ualuerunt. Digna quidem sic perire meretrix uenenosa, nata mores corrumpere nobiliumque uirorum pudicitiam expugnare. Profecto antea regibus imperauerat, postmodum misera nec miserabilis sibi forte tragicum, sed Romano imperio, quod subuertere moliebatur, finem comicum fecit. Inter cetera clarioribus Augusti titulis connumeratur quod in tantae pestis congressu mansit inuictus. Verumtamen in Scipione Affricano aliquid non inferius inuenitur, qui post singularem de Hannibale uictoriam singularis continentiae insigne praeconium meruit. Hannibal namque Romanorum cecidit exercitum usque ad b
hostium satietatem, et donec praeciperet militi suo ut uel ferro parceret. De caesorum cadaueribus in torrente Vegello pons solidus factus est uictoris iussu. Duo modii anulorum Cartaginem missi sunt, unde Martem suum Libiae praesidem aureo clipeo ob insignem uictoriam honoraret, essetque proculdubio tunc Roma diem ultimum habitura, si Hannibal quemadmodum uincere sic et uictoria uti sciret. In uindictam istorum a senatu missus est Scipio Affricanus, qui a Pireneis montibus ad columpnas Herculis et Occeanum usque tanta felicitate prouinciam recuperauit amissam, ut uix sciatur citius an facilius uicerit. Qui etiam captiuos pueros et puellas egregiae pulchritudinis restituit barbaris, nec in conspectum suum eorum quem- c
piam uenire passus est, ne quid de uirginitatis integritate saltem oculis praelibasse uideretur. Qualiter ei Hannibal cesserit, et manifestam uictoriam nota in puppi praetoria

3 essent uocati A 17 uergello A^2SM 26 pulcritudinis AS 29 praelibasse] delibasse A^2SM

1 *Psilli* etc.: v. Suet. *Aug.* 17. 13 *Hannibal* etc.: v. Flor. i. 22 (ii. 6 §§ 17–19). 22 *In uindictam* etc.: v. Flor. i. 22 (ii. 6 §§ 37–40). 29, 30 *Hannibal cesserit*: v. Flor. i. 22 (ii. 6 § 61). 30 *manifestam* etc.: Flor. i. 23 (ii. 7 § 7), qui tamen hoc in bello Macedonico primo, classe Romana Graeciae litora peragrante, accidisse narrat. *nota*: *nata* habet Florus.

laurus polliceretur, scriptor belli Punici Titus Liuius refert. Ceterum in tanti triumphi gloria quid illo ciue modestius, qui se in tanto successu nec dominum neque uictorem ab aliquo, nisi ab Hannibale paucisque complicibus, qui aequas conditiones pacis rupto federe fraudulenter abiecerant, passus est salutari? Eos quoque, qui castigati non obtemperabant prohibentis imperio, quasi adulationis reos
d et publicae salutis hostes, ab exercitu iussit; cum tamen genus Eneadum hanc mollitiem aurium nondum exuerit, quin adulationibus delectentur. Cum uero ab initio grauissimi fuerint, in quo Troianae leuitatis originem praecipue diffitentur, eos hoc uitio continue laborasse historiarum celebre testimonium est. Inde est illud: Romanus omnis adulatione corrumpitur aut corrumpit. Certe, si non uerbis, possunt omnes fraudulentis muneribus expugnari; et quos munuscula non deiciunt, honoribus capiuntur. Vrbis auspicia sacrilegio parricidii et fraterni sanguinis cruore numinibus suis Romulus consecrauit, deinde lemuribus infestatus honore uano simulata communicatione imperii fratrem
496 a placauit occisum. Suos quoque imperatores, quos de more Romanus populus fideliter iugulabat, deificauit fidelius, inani solatio perfidiam praetexens manifestam, perinde ac si sorbitiunculas ei, quem peremerat, ministraret, eosque mentiebantur in sortem transisse numinum, ac si celo suo mundoque regendo nisi tirannis ascitis Omnipotentis non sufficiat manus. Facti sunt ergo diui indigetes aut (ut aliis placet) heroes, quos nec etiam humana sorte dignos Romanorum perfidia reputauit. Tractum est hinc nomen,

---

3 neque] nec AM 8 *post* exercitu *add.* remoueri M 12 hystoriarum SM 25 tyrannis M asscitis ASM 26 suffitiet A

---

1 *Liuius*: de cuius historia epitomen confecit Florus; v. Liv. xxxii. 1 § 12. 2 *Ceterum* etc.: haec de Scipione Africano narrata nusquam alibi invenire potui; quem tamen regem appellari noluisse novimus ex Livio xxvii. 19 §§ 3, 4. 13 *testimonium*: e.g. Oros. *adv. Paganos* iv. 13 § 17; cf. Aug. *de Civ. Dei* ii. 13. 16 *Vrbis auspicia* etc.: cf. Hieron. *Ep.* cxxv. § 15 (Migne *P. L.* xxii. 1080). 18 *Deinde lemuribus* etc.: v. Ov. *Fast.* v. 451 seqq. 27 *heroes*: v. Macrob. *de Somn. Scip.* i. 9 §§ 7, 8.

quo principes uirtutum titulis et uerae fidei luce praesignes
se diuos audeant nedum gaudeant appellari, ueteri quidem
consuetudine etiam in uitio et aduersus fidem catholicam
obtinente. Si uero ueniatur ad uerba, in eo iam Romanus
Grecorum perfidiam antecedit, qui eo usque adulandi leno- b
cinium docuit, ut a docili populo facillime transeatur.
Voces, quibus mentimur dominis, dum singularitatem honore
multitudinis decoramus, natio haec inuenit et ad finitimos
posterosque sui nominis auctoritate transmisit. Si quando
quaeris, illud tibi tempus occurrat, quo Gaius Cesar, exuens
nescio an perficiens dictatorem, omnia factus omnia occu-
pauit. Illius certe temporis michi saepe occurrit imago,
cum ad potentioris nutum subiectorum omnia disponantur,
et licet animo reluctante in seipsos parati sunt exilii aut
mortis dictare sententiam. Hinc quippe potestas terribilis;
hinc angentis et urentis conscientiae stimuli meticulosa
corda concutiunt et praecipuam in omnibus sibi uendicant c
auctoritatem. Adeo quidem ut sacerdotes legis diuinae
praecepta dissimulent, sapientiam nesciant seniores, iuris
sit iudex ignarus, praelatus auctoritatis nescius, disciplinae
subiectus, libertatem contempnat ingęnuus, totus denique
populus quietem et pacem. Dum enim omnes unius prae-
sidentis uoluntate feruntur, uniuersi et singuli suo priuantur
arbitrio. Nonne haec erat facies temporis quando

sedere patres censere parati,
si regnum, si templa petat, iugulumque senatus,
passurasque infanda nurus;

eoque solo bene cum ciuibus actum est, quod Cesar plura d
iubere erubuit quam Roma pati? Nonne tiranni opinio
ad tirannidis transiit successores, dum suspicantur, quod
leges a se maluit tolli quam ab humilibus obseruari? in
eoque libertatis seruatur umbra, si se quisque quod prae-

---

4 optinente A 28, 29 iubere plura A 30 tyrannidis M

---

10 *Cesar* etc.: cf. Mommsen *Staatsrecht* ii. 1, p. 716, n. 2 (ed. 3ª, 1887). 25 *sedere* etc.: Luc. *Phars.* iii. 109, 110, v. 307. 28 *quod* etc.: Luc. *Phars.* iii. 111, 112.

cipitur simulat uoluisse, facitque, immo uidetur facere de necessitate uirtutem, dum necessitati iungit consensum, et quod incumbit gratanter amplectitur. Hic porro nullae sunt partes uerae aut ingenuae libertatis, ubi totum sibi adulatio uendicat, uanitas totum, nichilque ueritati relinquitur aut uirtuti. Adulationem uero sine dolo esse non dubites, cum in adulatorum persona de se confiteatur
497 a Gnato quia: Cum maxime decipio, tunc triumpho. Sicut enim finis oratoris est persuasisse dictione, medici curasse medicina, sic adulatoris finis est suauiloquio decepisse. Nam et

fistula dulce canit, uolucrem dum decipit auceps;

et uenena propinantur melle circumlita, quo citius noceant. Verum

non est in medico semper releuetur ut eger,

et finem suum, qui in altero est, orator non semper assequitur. Sic adulator quidem non semper decipit, aut de amico triumphat. Fine tamen suo non destituitur, si ex contingentibus nichil omiserit. Nec enim Vlixes Sirenum uoces euasit, quod ei aliquid suauitatis deesset ad gratiam,
b sed quia stimulis uoluptatis et meretricantibus illecebris uanitatis solidae uirtutis opposuerat robur. Temptator quoque Pharisaeus et Herodianus insidiator quas fraudis suae non adhibuit artes, ut eum caperet in sermone lingua dolosa, in cuius ore non est inuentus dolus? Magister, inquit, scimus quia uerax es, et uiam Dei in ueritate doces, et non est tibi cura de aliquo, neque enim accipis personas hominum. Quid quaeso blandius? Sed dolus quo tendat,

---

18 si] sed M 20 suauitatis aliquid A

1, 2 *facere de necessitate uirtutem*: Hieron. *Apol. adv. Ruf.* iii. 2 (Migne *P. L.* xxiii. 458). 8 *Cum maxime* etc.: haec nusquam a Gnathone in Terentii *Eunucho* dicta reperies; cf. tamen *Hauton Tim.* iv. 2. 5 *triumpho si licet me latere tecto abscedere.* 12 *fistula* etc.: Cato *Dist.* i. 27 (Baehrens *Poet. Lat. Min.* iii. 220). 13 *uenena melle circumlita*: Hieron. *Ep.* cvii. 6 (Migne *P. L.* xxii. 873); cf. supra c. 6 (486 c). 15 *non est* etc.: Ov. *Pont.* i. 3. 17. 19 *Nec enim Vlixes* etc.: cf. Ambros. *Expos. Evang. sec. Luc.* iv. 2, 3 (Migne *P. L.* xv. 1612, 1613). 22 *Temptator* etc.: v. Matt. xxii. 16 seqq. 25 *in cuius ore* etc.: v. 1 Pet. ii. 22.

inuidia quo feratur, subiecta interrogatio patefacit. Sequitur enim: Licet censum dare Cesari an non? Ecce laqueus paratur pedibus innocentis, et ad subuersionem eius decipulas suas frustra tetendit iniquitas. Si enim censum dandum esse censuerit, peculiarem populum Domini, semen liberum, c praeclaram hereditatem Domini decimis et primitiis et legalibus cerimoniis tantum obnoxiam subiciet seruituti. Si uero tributa neganda responderit his qui pro salute et quiete omnium militabant, quasi seditionis auctor et reus imperatoriae maiestatis a publicanis iuste poterit comprehendi. Verum quia frustra iacitur rete ante oculos pennatorum, totius calumpniae laquei dissoluuntur, dum prolato nummismate census suam cuique censuit restituendam esse imaginem; et ita quae Cesaris sunt, Cesari restituenda, ut suo iure Deus non defraudetur. Equidem non omnibus datum est, ut blanditiarum laqueos sic euadant, cum eos alius non praeuideat, alius etiam praeuisos nequeat declinare. Vnum tamen certum est, illis qui huic uitio dediti sunt non magis placere uirtutem, quam illos d bene olere qui in culina habitant.

Cap. 11. *De munusculariis et promissariis, et quod promittere non expediat ad virtutem.*

In eo autem adulatoriae uis magna consistit, si omissis propriis aliena commoda curare uidearis, de tuo numquam aut raro, semper aut saepe loquens de illius quem aucuparis emolumento. Praeterea manum contine, ne, si quid etiam inuito ingeratur, accipias, dum influat Iordanis in os eius qui, dum omnia cupit, sibi quoque omnia de iure putat competere. Esuriens gula insatiabilium quorumdam animalium, donec satietur, communem aliis inuidet cibum; et in quo aliorum subuenitur inopiae, se fraudem perpeti suspicatur. Sic fortunatus sibi interdum subtrahi putat, 498 a

---

1 patefecit A 30 comunem S

---

11 *frustra* etc.: Prov. i. 17. 27 *influat* etc.: Iob xl. 18.

quicquid quocumque titulo confertur in alium, teste Crasso,
qui, ut dicitur, milite dissimulante, eo quod solus aut prae
ceteris apud Parthos aurum sitierat, aurum bibit. Iugurtha
quoque saepe Romanum exarmauit et fregit exercitum,
ipsius quoque urbis concussit maiestatem, nunc dans plura,
promittens interdum pluriora. Sed hoc liberum est his
et saepe conducit, qui aliqua donare consueuerunt. Alio-
quin promissio gratiae conciliandae non proficit, sed quasi
deceptio fraudulenta illam quae esse uidetur plerumque
extinguit. Tanto quidem ualidius, quo cum prudentiori
et grauiori uiro negotium geritur. Simplicitas namque
circumuenientium insidiis latius patet et facilius supplan-
b tatur. Vnde ille qui non urbem sed orbem lasciuis impleuit
amoribus, sollicitatorem puellarum et impudicum instruens
amatorem ait:

> Promittas facito, quid enim promittere ledit?
> pollicitis diues quislibet esse potest.

At philosophus numquam aut rarissime, et hoc ex iusta
causa, asserit conducibile. Si enim promissionis implendae
facultas non suppetit, temerarium est promittere quod
praestare non potes. Si enim potestas affuerit largiendi,
nisi uoluntas beneficii producat effectum, promissor non
gratiam de promisso sed de mendacio contrahit maculam.
Quod si ex interuallo promissi fidem impleuerit, liberalitatis
c decor et beneficii species ipsa fuscatur, eo quod qui distulit
interim uisus est noluisse. Vnde uersificator egregius:

---

3 Iugurta A 6 plurima M 17 quilibet P 18 phylosophus M 21 enim] uero BSM

---

1 *teste Crasso* etc.: huius loci neque sensum intellego neque auctorem reperire potui: notam historiam de auro in Crassi mortui os infuso refert Florus i. 47. 3 *Iugurtha* etc.: haec unde citaverit Noster nescio; de Romanis auro Iugurthino corruptis v. Sall. *Iugurtha* passim; cf. Flor. i. 36 (iii. 1). 13 *ille*: sc. Ovidius. 16 *Promittas* etc.: Ov. *Ars. Amat.* i. 443, 444. 18 *philosophus* etc.: Huius sententiae auctorem frustra adhuc quaesivi; cf. Cic. *Off.* iii. 25 § 95. 20 *promittere* etc.: cf. Cato *Dist.* i. 25 (Baehrens *Poet. Lat. Min.* iii. 219) *Quod dare non possis, uerbis promittere noli.* 25 *qui distulit* etc.: cf. Sen. *de Benef.* ii. 5 § 4.

Denigrat meritum dantis mora, nam data raptim
munera plus laudis plusque fauoris habent.

Praeterea quis de futuro certus est, ut sciat se quandoque posse implere quod differt? Nonne consiliarius ueritatis, assertor fidei, electionis uas (doctorem gentium loquor) fidelium animos, quos aduentus sui expectatione suspenderat, frustrauit a desiderio suo? Quid aliud agit illa ipsius excusatio, qua apud se *est* et *non* non fuisse sed *est* tantum commemorat, et se leuitate non usum protestatur? Si non potuit ille, Domino impediente, quod uoluit (hoc etenim uoluit quod promisit) quis sapiens secure, quod ex d facilitate naturae pendet, promittit, cum leuiter possit ex causis quam plurimis impediri? Ad haec ex iusta causa potest interdum mutare quilibet uoluntatem. Dignus etenim beneficio pro tempore uidetur aliquis, qui processu rerum eodem reperitur indignus. Et interdum indignus est qui ad frugem melioris uitae conuersus beneficium meritis etiam a manu extranea (ut uulgo dici solet) extorquet. In his mutare propositum saepe non criminis est sed uirtutis. Nam, ut a fabulis doceamur, Theseus unico filio suo non fuisset orbatus, si uoluisset mutare propositum. Et Phebus, urgente doloris stimulo quem de Phetontis ruina conceperat, exul a celi regione Admeti non pauisset armenta, si ei uotum, quo se, Stigis interposito sacramento, filio ambitioso obligauerat, mutare licuisset. Et ne fabu- 499 a larum instrumenta contempnas, rex incredulus, quod ex euangelica habes historia, salubrius incautum et perfidum

8 non fuisse est et non M   11 enim M   16 repperitur AM
20 Teseus SM   22 stimulo dolores M   23 regione] religione M

1 *Denigrat* etc.: sec. ed. Paris. 1513 versus Ovidii; quos tamen apud Ovidium non reperies; potius nescio cuius medii aevi scriptoris, cuius opera non exstant.   4 *Nonne* etc.: v. 2 Cor. i. 15 seqq.; 1 Thess. ii. 17, 18.   20 *Nam* etc.: v. Cic. *Off.* i. 10 § 32; cf. iii. 25 § 94; sed Neptunus erat. qui propositum mutare noluit.   20, 21 *unico filio suo*: sc. Hippolyto.   22 *Et Phebus* etc.: v. Cic. *de Off.* iii. 25 § 94.   23 *Admeti*: v. *Mythograph. Vat.* II. 18 (Mai *Class. Auct.* III. p. 43) qui eandem causam Apollini serviendi assignat quam hoc loco Ioannes noster.   24 *Stigis* etc.: v. Ov. *Met.* ii. 101.   26 *rex incredulus*: sc. Herodes; v. Matt. xiv. 3 seqq.; Marc. vi. 17 seqq.

soluisset iuramentum, quam in extinguenda lucerna uerbi, auferendo praeambulum gratiae, ueritatis occidendo praeconem, mensam pollueret, conuiuium incestaret, regiam pessumdaret maiestatem, dum incestui cuncta seruiunt et obtemperant saltatrici. Ethicae quidem regula est quia non omnia sunt semper promissa soluenda; si forte aut accepturo dampnosa, aut perniciosa sint promittenti. Et lex amicitiae illa praeualuit, qua sola honesta peti licet ab amicis aut fieri. Ipsoque iure cautum est, ut nulla promissio, quae turpem aut tristem habet exitum, impleatur.
b Postremo antecedens promissio consequentis beneficii gratiam aut extinguit aut minuit. Et sicut iacula quae praeuidentur feriunt minus, et quae omnino non praecauentur magis ledunt, ita et in beneficiis quod ex promissione conceptum est minus accipitur, et quod ex insperato prouenit gratius acceptatur. Licet enim nuda promissio apud iuris, ut dicitur, peritos non pariat actionem, promissor omnis apud ueritatem (ut dici solet) pollicem fixit, et iure ciuili cessante fidei naturaliter obligatur. Sed quis actor durius aget quam fides, si ipsa coeperit accusare? Si agit conscientia, quis absoluet? Certe

> exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
> displicet auctori. Prima est haec ultio, quod se
> c iudice nemo nocens absoluitur.

Si uero ipsa iustificat, quis condempnat? Proculdubio qui in illo timetur articulo Dominus est, ubi et dies contempnitur humanus, et conscientia quid obloquatur non inuenit.

---

2 perambulum M 4 cunta A 5 optemperant A Eticae C: Etice B 10, 11 quae turpem aut tristem habet exitum, impleatur. Postremo antecedens promissio *ob homoeoteleuton om.* SP 17 actionem] accusationem CA 26 contemnitur A

---

1 *lucerna* etc.: cf. Petr. Chrysolog. *Serm.* cxxvii (Migne *P.L.* lii. 549). 5 *Ethicae regula* etc.: cf. Cic. *Off.* i. 10 § 32. 8 *lex amicitiae* etc.: v. Cic. *de Amicit.* 13 § 44. 16 *nuda promissio* etc.: v. Paul. *Sent.* v. 12 § 9 (Huschke *Iurisprud. Anteiust.* p. 543) *ex nuda pollicitatione nulla actio nascitur*; cf. Cod. Iustin. viii. 37 § 5. 18 *apud ueritatem pollicem fixit*: cf. Prov. vi. 1 *si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam.* 22 *exemplo* etc.: Iuv. *Sat.* xiii. 1–3. 25 *Si uero* etc.: v. Rom. viii. 33, 34. 26, 27 *dies humanus*: v. Ierem. xvii. 16 *diem hominis non desideraui*; ubi *diem hominis* de *prosperis*

Si uero animam accusant opera, et illi conscientia testis assistit, et causam ueritas examinat aequitatis, quis quaeso praetor in ream obnoxiamque mendacio grauius uendicabit? Sane praetor etsi uiua uox iuris esse dicatur, sententiam eius ueritas plerumque retractat; sed ueritatis sententia manet irretractabilis, quia iustitia eius iustitia in aeternum, et lex eius aequitas; e contra in praetorio saepe summum ius summa iniuria est. Quisquis ergo promittit debitor est, et ueritatis urgente sententia sponsionis fidem d
compellitur adimplere. Porro quod necessitas extorquet gratiam minuit. Vnde illud philosophicum quod praemisi: Promittere ne festines ne cum uolueris non possis, aut nolis ex iusta causa cum possis, aut cum effeceris gratiam perdas aut minuas, eo quod te ante illaqueaueras in uerbo oris tui. Fit tamen ut non modo licitum sit promittere sed et conducibile. Et ut aliorum ad praesens taceantur exempla, Paraclitum Christus ipse discipulis et promisit et misit. Eisdemque quid futurum esset illis, qui omnia pro eo reliquerant, interrogantibus sedes in regeneratione promisit et iudiciariam quam cum eo habituri sunt potestatem. Ex quibus constat quia causa propositum opusque commendat, ut liqueat ex his quia non necesse est philo- 500 a
sophi regulam uitiari.

Cap. 12. *De rationalibus et secretariis diuitum, et quod amicitia non nisi in bonis est, et quod diues familiarem potius exprimat quam amicum; et, licet familiaritas diuitum utilis uideatur, saepe periculosa est, et quod innocenter uiuendum est.*

Sed si non modo promissores sed munuscularios in gratia illius quem captas antecedere pergis, te ratiociniis

---

2 examinet M 3 uindicabit CBASM

---

quibusque huius saeculi interpretatus est Hieron. ad loc. (Migne *P. L.* xxiv. 791). 6 *iustitia* etc.: v. Ps. cxviii. 142. 8 *summum ius summa iniuria*: Cic. *Off.* i. 10 § 33. 11 *praemisi*: viz. 498 B. 14 *illaqueaueras* etc.: v. Prov. vi. 2. 17 *Paraclitum* etc.: v. Ioann. xv. 26, xvi. 7. 18 *Eisdemque* etc.: v. Matt. xix. 27, 28. 22, 23 *philosophi regulam*: v. supra 498 B. 29 *munuscularios*: v. Du Cange s. v.

eius immisceas, parcas sumptibus, eo quod secretorum conscius, qui loculis parcit, diligenti patrifamilias displicere non potest. Grata sunt uitia eius qui deformitatem morum sumptuum parcitate compensat. Optimum, ut ait Cicero, si nescis, uectigal parsimonia est. Tenuis parcus impletur b facile, et facillime exinanitur prodigus diues. Arca sane capacissima fundum habet, et breui exitu congestarum aquarum quantalibet copia defluit, fontisque abundantia tollitur scaturientis uenae fecunditate sublata. Exili plerumque meatu inclusum egerit urna liquorem. Sic minutissimis dum frequentibus et continuis sumptibus amplissimae exhauriuntur opes, et breuium subtractione minutiarum maxima hereditas expilatur; nisi forte prodigus pecuniam inueniat rediuiuam.

Est Luxus populator opum, cui semper adherens
infelix humili gressu comitatur Egestas.

Illis ergo parcendum est, quorum necessarius imminet usus, et aliquid adiciendum est quantitati, quae iugi partium c deductione decrescit. Et licet usu defluant unciolae patrimonii, gratum est diligenti patrifamilias, si uel ratiocinii calculo teneantur, peritque dupliciter quod elabitur nescienti. Ad haec:

lucri bonus est odor ex re
qualibet. Illa tuo sententia semper in ore
uersetur, diis atque ipso Ioue digna, poeta:
Vnde habeat quaerit nemo, sed oportet habere!

In his quidem uersari est artioris gratiae funibus uincire diuitem, licet uersibilitate ingenii lubricum Prothea uincat. Aut si ueritatis deficit gratia, uel ulterioris familiaritatis exhibitio constat. Ceterum licet utrumque non possis assequi, et rerum priuatarum participationem et calculi

8 habundantia A[1]SM 21 duppliciter ASM 25 poete SM

4 *Cicero*: viz. *de Rep.* iv. 7 § 7; *Optimum . . . uectigal duco esse parsimoniam*; quae ap. Nonium Marcellum, p. 24, 21, inventa forsan ex ipso Ciceronis libro citat Ioannes noster. 9, 10 *Exili plerumque meatu inclusum egerit urna liquorem*: Nescio cuius poetae versus hexametros citare videtur. 15 *Est luxus* etc.: Claudian. *in Ruf.* i. 35, 36. 19 *unciolae*: uocabulo utitur Iuvenalis *Sat.* i. 40. 23 *lucri* etc.: Iuv. *Sat.* xiv. 204–7. 28 *Prothea*: cf. Hor. *Sat.* 2. 3. 71.

cautiones, te secretis ingere quauis arte. An nescis quod qui pergunt ipsis imperatoribus imperare

> scire uolunt secreta domus atque inde timeri? d

Et quo studiosius occultantur, eo sunt diligentius perscrutanda; nempe

> carus erit Verri, qui Verrem tempore quo uult
> accusare potest.

Si tamen inter malos caritas aut amicitia esse potest, hoc etenim quaesitum est. Sed tandem placuit eam nisi in bonis esse non posse. Magna utique inter molles et malos concordia sed ea tantum a caritate discedit, quantum lux distat a tenebris. Et licet interdum mali, sicut et boni, idem uelle uel idem nolle possint, amicitiae tamen titulum non assequuntur. Vnde et Crispo, historicorum inter Latinos potissimo, sed et ipsi Ciceroni placuit in malis factionem esse quod in uiris bonis uera amicitia est. Sed 501 a quamuis uitiosus praepediente malitia amicus esse non possit, etsi non uenerabilis, uerendus tamen erit qui conscientia secretorum conscio terrorem potest incutere. Scitum est illud ethici, quia

> nil tibi se debere putat, nil conferet umquam,
> qui te participem secreti fecit honesti.

Hoc quoque iam pridem uenit in dubium, an quemquam diuitum et potentum amare contingat. Tandemque receptum est eosdem numquam amare uel raro, et in eis praecipue causis, in quibus se potius quam alios amare uideantur; contraria siquidem in eodem esse non possunt, et quo diuites plurimum cupiditatis, eo habent minimum caritatis;

---

13 amicicia uera C[1]

---

3 *scire* etc.: Iuv. *Sat.* iii. 113. 4 *occultantur*: sc. secreta domus. 6 *carus* etc.: Iuv. *Sat.* iii. 53, 54. 9 *placuit* etc.: v. Cic. *de Amicit.* 18 § 65; cf. 5 § 17. 13 *idem uelle* etc.: v. Sall. *Cat.* 20 § 4; cf. supra *Policr.* iii. 4 (482 c). 14 *Crispo*: sc. Sallustio Crispo; v. *Iug.* 31 §§ 14, 15. 15 *Ciceroni*: forsan *de Rep.* iii. 13 § 23. 21 *nil tibi* etc.: Iuv. *Sat.* iii. 51, 52. 24 *Tandemque* etc.: cf. Cic. *de Amicit.* 17 § 64; sed auctorem nescio quem praeter Ciceronem hoc loco sequi Ioannem suspicor.

haec etenim sibi inuicem maxime aduersantur. Porro ut b ait quidam: Omnis diues iniquus est aut iniqui heres; et rarissimum est ut diuitiae non defluant, nisi amoris et cupiditatis glutino solidentur. Eas desiderantis animi uigilantia et labor adquirit sed egrior sollicitudo retinet et conseruat. Inquit ethicus:

Non minor est uirtus quam quaerere parta tueri;
casus inest illic, hic erit artis opus.

Cum ergo istud ars, illud casus nomine censeatur, quis eas sine applicatione mentis intensa diutius seruat? Certe uetus prouerbium est quia ubi amor, ibi oculus; et ubi uigil mentis intentio, ibi fixa cordis positio est. Vnde licet c inuito et repugnanti animo plerumque affluant, cor tamen apponere fidelis philosophus prohibet, et doctor gentium eos, qui diuites fieri cupiunt, in laqueum diaboli dicit incidere. Et qui utroque maior est, primogenitus mortuorum et princeps regum terrae, asserit Deo et Mammonae simul seruiri non posse. Quoniam

imperat aut seruit collecta pecunia cuique;

sed diuiti numquam seruit aut raro. Vnde liquet diuites frequentius iniquos esse quam heredes iniquorum. Quomodo ergo regnat caritas, ubi iniquitas dominatur? Vtique diues familiaris esse nouit, amicus numquam aut raro. Hic tamen non de eo qui habet diuitias sermo est, sed qui amat. Ex quibus liquet quia quantacumque ex familiaritate potentioris gratia uideatur, diligentem cautelam d exigit subditorum. Aliquin omnis eius illecebra plus aloes quam mellis in exitu habitura est. At expedit plurimum

---

3 affluant M 9 istud] illud CBA 10 aplicatione S 15 *post* diaboli *add.* et temptationes A^2S: et temptationis M

---

2 *Omnis diues* etc.: huius sententiae fontem invenire non potui. 7 *Non minor* etc.: Ov. *Ars Amat.* ii. 13, 14. 11 *ubi amor* etc.: notissimum est proverbium, sed unde provenerit nescio; cf. versiculum ap. Margalits *Florilegium prouerbiorum uniuersae Latinitatis*: *Illic est oculus qua res est quam adamamus.* 14 *fidelis philosophus*: sc. David; v. Ps. lxi. 11. *doctor gentium*: sc. Paulus; v. 1 Tim. vi. 9. 16 *primogenitus* etc.: Apoc. i. 5. 17 *Deo et Mammonae* etc.: v. Matt. vi. 24. 19 *imperat* etc.: Hor. *Ep.* i. 10. 47. 27, 28 *plus aloes quam mellis*: Iuv. *Sat.* vi. 181.

ad successus esse conscium secretorum. Quidni? Reuerentia crescit, inualescit auctoritas, arcentur incommoda, proueniunt utilitates, amicorum augetur numerus, cultoribus accedit deuotio, et fortuna totius gratiae suae et felicitatis auram uidetur beatulis inspirare. Ceterum istorum omnium nouissima quouis absintio amariora sunt, et si interim non amarescunt, iustam amaritudinis habent suspicionem. Res siquidem periculosa est diuitum aut potentum communicare secretis. Si quid enim eis per incuriam forte elabitur, cui nisi conscio imponetur? Quod cubicularii aut ciniflones mimiue aut quicumque nebulonum, quibus delicatus diuitis 502 a sensus aut furor carere non potest, in lupanari uel taberna sparserunt aut, ut se uenditarent a familiaritate potentis, diuulgauerunt in populo, in illius calumpniam retorquetur, qui in consiliis aliquem locum uisus est tenuisse. Si motus rerum praescire desideras, meritoria discute, et lixarum castrensium inquire sententias. Nichil enim adeo occultum est, quod eis ex aliqua parte non reueletur. Si michi non credis, uel Aquinati nostro aures accommoda. Ait enim:

O Coridon, Coridon, secretum diuitis ullum
esse putas? serui ut taceant, iumenta loquentur
et canis et postes et marmora; claude fenestras,
uela tegant rimas, clament: 'Prope nemo recumbat';
quod tamen ad galli cantum facit ille secundi,
proximus ante diem caupo sciet. b

Procedo. Si terrae secretum suum infodiat, uel arundo succrescens hoc producet in publicum et leui flatu in auras proferet quoniam

auriculas asini Midas habet.

Pallas quoque Erictonium suum occultare non potuit, quin

---

6 absinthio AM 9 iniuriam M 27 subcrescens SM 29 Midas] nudas CB

---

6 *nouissima absintio amariora*: v. Prov. v. 4. 17 *Nichil enim* etc.: cf. Luc. viii. 17, xii. 2. 19 *Aquinati nostro*: sc. Iuvenali. 20 *O Coridon* etc.: *Sat.* ix. 102–105, 106–108. 29 *auriculas* etc.: Pers. *Sat.* i. 121 (*auriculas asini quis non habet?*). 30 *Pallas* etc.: v. Ov. *Met.* ii. 553 seqq.

ipsum iam cognitum cornicis garrulitas publicaret; unde, quia alieni admissi delatrix fuit et conscia, coloris perdidit uenustatem et garrulitatis incurrit notam. Praeterea secretarii diuitum quasi quidam tolutarii uel clitellarii sunt et qui eorum delictis onerentur. Quicquid ab eis delinquitur, in istorum infamiam cuditur, nisi forte ea
c sit de potente opinio, ut nullo possit consilio deprauari. Si enim solennis est malitia eius, si fraudis et doli uulgata opinio, totius familiae fama purgatur, ac si capitis languor infirmantium denigret dolorem laterum. Alioquin, si benignior, si ciuilior creditur potentatus, omnia deliramenta eius familiares quasi clitellarii quibusdam nominis sui humeris portant, sed recte gestorum nil nisi benignitati aut ciuilitati potentis adscribitur. Et, si quandoque calculus grauior imminet, quasi pellem pro pelle animam tuam dabit diues pro fama sua et, ut in te retorqueat culpam suam, caput tuum meritis criminum, penis non uerebitur obiectare. Sed, quod magis mirabile, gratulabitur, si astutia sua
d industriae tuae labores et sollicitudines hac mercede donauerit, ut te reddat infamem, et fecerit aut finxerit te criminibus inauditis obnoxium. Non est enim malum in ciuitate quod non in diuitis consiliarios impingatur, cum inanis sit excusatio, eo quod omne officium sibi potentatus conformat, nemoque sapiens diu fluctuat consilio imprudentum; omnia namque discernit et iudicat. An eum putas in conscientia sua securum quiescere, cuius turpitudinem producere potes in lucem et proferre in publicum? Certe omnis qui malus est odit lucem, et opus omne artificis sui habere uidetur imaginem. Meretricantium

8 sollennis A: sollempnis S 9 oppinio S 14 quando SM 20 *post* et *add.* si M 28 omne opus A 29 ymaginem AM

4 *tolutarii*: v. Sen. *Ep.* 87 § 10. *clitellarii*: *clitellas* apud Horatium (*Sat.* i. 5. 47; *Ep.* i. 13. 8), invenies; *clitellarios* tamen non nisi apud Caton. *de Agri Cultura* c. 10 § 1, Columellam ii. 21. 10 *laterum*: cf. infra *Policr.* v. 2 (540 c). 14 *calculus grauior*: Anglice *a heavier reckoning*. 15 *pellem* etc.: v. Iob ii. 4. 28 *omnis* etc.: v. Ioann. iii. 20.

mulierum fucus dum argui ueretur a lumine, petit umbras, et timet ne seipsis deformiores sint, si immediata luce uidentium obtutibus pateant. Hoc ergo illarum tota uigi- 503 a
lantia quaerit, ut quod non est in eis praestricti oculi uideant, et qui uident ceci fiant. At in his quae natiuo colore confidunt, longe aliter est, quia

> haec amat obscurum, uolet haec sub luce uideri,
> iudicis argutum quae non formidat acumen.

Licet itaque secretorum communio aliquid felicitatis uideatur adicere, securitati tamen plurimum demit. Difficile aut potius impossibile est illos percurrere, qui hac uia ad inferos descenderunt aut penis nouissimis se ingemuerunt affectos.

> Heu michi cur uidi, cur noxia lumina feci!

inquit ille, qui an de conscientia alieni an proprii operis noxa deportationem meruerit, incertum est. Certum tamen b
est quod mala aliena nouisse non expedit. Verumtamen siue sciantur siue non, nichil tutius est quam propriam innocentiam conseruare. Philosophus sic inter hostes uiuendum censuit tamquam inter amicos, et inter amicos ac si in mediis hostibus uiueretur; et satiricus:

> Viuendum recte cum propter plurima, tunc his
> praecipue causis, ut linguas mancipiorum
> contempnas, nam lingua mali pars pessima serui.

Sed non modo propter linguas seruorum, uerum propter gladios et uenena potentum et insidias omnium, praecepto satirici parendum est.

---

1 argui ueretur] arguitur M: argueretur *Cyr.*: arguuntur *forsan* M[1]
16 meruit M 19 Phylosophus M 22 cum] tum CBAS
tunc] tum M 27 parcendum M

---

5 *qui uident ceci fiant*: Ioann. ix. 39. 7 *haec amat* etc.: Hor. *A. P.* 363, 364. 14 *Heu michi* etc.: Ov. *Trist.* ii. 103 *cur aliquid uidi? cur noxia lumina feci?* 19 *Philosophus*: sc. Bias; v. Cic. *de Amicit.* 16 § 59, Val. Max. vii. 3 ext. 3. 22 *Viuendum* etc.: Iuv. *Sat.* ix. 118–121.

Cap. 13. *Quia uendicari possunt, quae sunt adulationibus adquisita; et de lenonibus et mollibus et pena eorum; et quod pudicitia auferri non potest uiolenter, nisi mens ipsa consentiat.*

c Atqui adulator ei nequaquam parere potest, qui nichil aliud quaerit nisi ut placeat; si potest, per se; sin autem, personam suppositam quaerit, uxorem forte aliamue coniunctam uel iure uel affectione. Affectio tamen efficacior est, eo quod ad naturam familiarius accedit, ipsique unitur animae quicquid affectionis federe copulatur. Non est utique perniciosior assentatio quam ea quae affectionis inductione procedit. Inde est quod saepe mariti artius amplectuntur, et se riualibus suis exponunt plenius, et saepius inuitant ad cenam matrimonii corruptores, dum (ut prouerbialiter dicitur amator incautus pudicae magis uxori) quam infidelibus oculis credit. Nonne satis delusus
d est qui oculis suis assertionem femineam, quae ex eo solo decipit crebrius quod intercipitur rarius, anteponit? Pica siquidem puluinaris efficacissima est et, ut dici solet, cornix nocturna quouis oratore disertior, et cuiusque operis faciem quocumque libuerit colore uestit. Quo ergo cautior, eo suspectior habenda est. Si dolus dedit causam contractui, rescinditur, et reuocantur omnia quae ex eo uel ob id profecta sunt. Heredes quoque defuncti in solidum et in perpetuum tenentur de eo, quod ad eos constiterit peruenisse. Sed quid adulatore dolosius? At michi forte obicies quia non omnes noui. Verum quidem est; sed a multis michi didicisse uideor omnium mores. Duellius iam senex, iam decrepitus corpore cordeque trementi, dolens
504 a sibi exprobratum esse in iurgio quod oris uitio fetidus esset, se domum contulit. Cumque uxori grauius quere-

---

7 subpositam S 25 imperpetuum A

18, 19 *Pica puluinaris*: Petron. *Sat.* § 37. 22 *Si dolus* etc.: de *dolo malo* v. Dig. iv. 3; cf. xviii. 1. 43. 24 *Heredes* etc.: v. Cod. Iustin. iv. 17. 28 *Duellius* etc.: v. Hieron. *adv. Iovin.* i. 46 (Migne *P. L.* xxiii. 275; Seneca *de Matrimonio* fragm. 70 ed. Haase).

retur, quod numquam eum monuerat huius uitii quaerere medicinam: Fecissem, inquit, nisi putassem ora uirorum omnium sic olere. Laudare poteris eius matrimonii pudicitiam et praeferre patientiam mulieris quae uiri uitium tanta patientia tulit ut ille infelicitatem corporis non uxoris fastidio sed maledicto senserit inimici. At et ego de adulatoribus aliquid tale respondeo, quia omnes arbitror sic olere. Omnes fallaciam et dolum redolent et, quocumque se uertant, pudicis naribus hunc important non odorem sed fetorem. Quicquid ergo ex ea causa adquiritur, etiam ab herede iuste potest auelli. Nec credo quod possit peti- b
toribus obuiari, si uendicare audeant quod adulatoribus contulerunt. Sed quis sapiens et intelliget ista aut ad hoc quis idoneus, cum non modo in omni domo aut conuiuentium cetu adulantium tanta sit copia ut, si quis modestus aduersus eos mutire audeat, illos

defendat numerus iunctaeque umbone phalanges?

Certe, dum uir honestus innitens conscientiae uirtutumque insistens officiis esurit sitit alget et multiplices fortunae indignantis iniurias excipit,

uilis adulator picto iacet ebrius ostro,

delitiis ingurgitatur ad crapulam, uino estuat, lautioribus cibis distenditur, et pro arbitrio uariis artificiis celum sibi contemperat. Primos habet recubitus in cenis, in conuen- c
tibus primos consessus, praeelecto praenomine conclamatur, salutationes excipit primas, primas sententias in iudiciis profert, in demonstrationibus honestissime, in deliberationibus utilissime sentit; quicquid loquitur, sal merum est, quicquid agit, iustitia aut liberalitas. Age ergo et inter istos sapere aude. Ilico multa adulatorum ueniet manus, et ueluti te Iudei cogent in suam concedere turbam.

1 eum nunquam A 24 recubitus habet A 26 in iuditiis sententias A 29 aut] uel M

13 *quis sapiens* etc.: v. Os. xiv. 10, 2 Cor. ii. 16. 17 *defendat* etc.: Iuv. *Sat.* ii. 46. 21 *uilis* etc.: Petron. *Sat.* 83. 24 *Primos* etc.: v. Matt. xxiii. 6. 30 *multa* etc.: v. Hor. *Sat.* i. 4. 141–143.

Multitudine itaque tuti sunt et artificio ut ipsos possint etiam reges et principes expugnare; et miro modo inermis populus praeualet in armatos et mollitie quae robustissima sunt potenter expugnat. Disposueram tamen silere de
d mollibus qui, sicut ignominiosi, ita sunt et uidentur ignominabiles. Silentium indicit reuerentia morum, et uerecundus animus natura dictante illorum declinat aspectum. Quid multa?

Si natura negat, facit indignatio uerbum.

Apud istos ars est suam pudicitiam prostituere, alienam uiolare uel oppugnare. Nec quidem simpliciter suam, cum matrimonii temerentur iura et coniugis adulterium coniunx procuret. Dum egreditur sponsa de thalamo, coniugem noli maritum credere sed lenonem. Producit eam, libidinosis exponit et, si spes dolosi nummi refulgeat, affectus callida simulatione prostituit. Filia namque decentior, aut si
505 a quid aliud in familia placeat ditiori, publica merx est, exposita quidem si emptorem inueniat. Sed licet iustus dolor eos aliquatenus cruciet, qui thori participes admittunt aut faciunt, egritudo tamen utilitatis compendio mitigatur uel saltem doloris dissimulat cruciatum. Si enim res serio agatur, si libera donentur cunctis iudicia, non est dolor sicut dolor ille quo corpus suum quis uidet aliena libidine pollui. Cetera namque peccata extra corpus sunt; sed qui fornicatur, in corpus suum peccat. Hoc, inquit, os ex ossibus meis, et caro de carne mea, ut non iam duo sint uir et mulier, sed una caro. Haec utique sine dolore non scinditur neque sine inuidia communicatur.

Non bene cum sociis regna Venusque manent;

b et sicut nulla fides regni sociis, ita nec thori. Certe facilius

13 *post* thalamo *add.* suo M   15 nummi] numerum M *Cyr.*[1]   17 merces M   26 non duo iam A: iam non duo M

9 *Si natura* etc.: Iuv. *Sat.* i. 79.   *uerbum*: *uersum* habet Iuvenalis.   15 *si spes* etc.: Pers. *Prol.* 12.   18 *si emptorem inueniat*: v. Sall. *Iug.* 35 § 10.   22, 23 *non est dolor sicut dolor*: v. Thren. i. 14.   24 *Cetera* etc.: v. 1 Cor. vi. 18.   25 *Hoc* etc.: v. Gen. ii. 23, 24, Matt. xix. 6.   29 *Non bene* etc.: Ov. *Ars Amat.* iii. 564.   30 *nulla fides* etc.: Luc. *Phars.* i. 92.

est regni diuitias quam affectionem coniugii alii cedere. Atqui nec isti coniuges sunt sed lenones. Tunc demum omnia creduntur exposuisse diuitibus, cum fidei fidem faciat fides uiolata. Sed quid filias et uxores (quod, licet iura prohibeant, tamen quocumque modo natura permittit) exponi queror aut prostitui? In ipsam naturam, quasi gigantes alii teomachiam nouam exercentes, insurgunt. Filios offerunt Veneri, eosdemque in oblatione pupparum uirgines praeire compellunt. In illis etenim etatis maturitas expectatur, at in his sufficit alienae impudicitiae uoluptatem posse expleri. Pudet dicere quod seipsos uiri etate prouectiores et sensu turpitudini tantae non subtrahunt et, cum eos in nobiliori sexu natura creauerit, ad c deteriorem, quantum in ipsis est, ex innata malitia prolabuntur, effeminati uitio et corruptela morum, cum tamen naturae beneficio feminae esse non possint. Cum lasciuientis diuitis luxus libidini uota sua procingit, recumbentis pedes calamistratus comatulus excipit, nitorem inuidens meretrici, histrioni habitum, cultum procis, uirginibus ornatum, triumphalem quoque principibus apparatum, et in aliorum conspectu pedes et, ne plus dicam, teneris manibus tibias tractat; cirotecatus enim incessit diutius, ut manus soli subtractas emolliret ad diuitis usum. Deinde licentia paululum procedente totum corpus impudico tactu oberrans pruriginem scalpit quam fecit, et ignes Veneris languentis inflammat. Verum haec abominatio non tam d ostendenda est quam conspuenda, puderetque eam nugis nostris esse insertam, nisi eandem Apostolus Romanis scribens uerbis manifestius expressisset, dicens quia feminae

7 theomachiam A 17 precingit M 26 abhominatio AS

8 *in oblatione pupparum*: v. Schol. in Pers. *Sat.* ii. 70 (*Nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae*): *diis tam sunt opes superuacuae quam Veneri puppae quas uirgines nubentes donant. Solebant enim uirgines antequam nuberent quaedam uirginitatis suae dona Veneri consecrari. Hoc et Varro scribit.* 18 *calamistratus comatulus*: v. Hieron. *Ep.* liv. § 13 (Migne *P. L.* xxii. 556). 22 *Cirotecatus*: sc. chirothecis indutus; ipsum autem vocabulum ap. Du Cange deest. 25 *Veneris languentis*: Iuv. *Sat.* xi. 167. 29 *feminae* etc.: Rom. i. 26–28.

eorum immutauerunt naturalem usum in eum qui est contra naturam, et masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis, masculi in masculos inuicem turpitudinem operantes, ut darentur in sensum reprobum facerentque quod minime conuenirent, et uitiis uniuersis obnoxii indignationem Dei et omnium penarum in se aculeos prouocarent. Et tunc quidem in auribus Romanorum 506 a hoc tuba apostolica conclamabat, quando impiissimus imperator Nero luxuriae seuientis puerum Sporum exectis testiculis in muliebrem naturam transformare conatus est. Ab eo tempore prouerbium natum est quia: Vsus formosorum abusio est; et illud: Formae gratia eo minus grata est sapienti, quo corrupto est gratior corruptori. Difficilius etenim ab infirmis defensoribus custoditur quod plures appetunt. Illud incauto facilius surripit fraudulentus aut inuito pudicitiae praedo uiolentus extorquet. A patribus tamen pridem diffinitum est quia pudicitia auferri non potest, nisi mentis corruptio antecedat. Quod enim, ut magnus asserit Augustinus, non praecedente libidine uiolenter patitur corpus, uexatio potius dicenda est quam b corruptio. Ibi ergo seruari pudicitia potest, ubi nulla nisi uoluntaria esse potest corruptio, in mentis scilicet integritate, ubi in eternum seruari pudicitia potest. Nec magnum est integram esse carnem, ubi mens tetra corruptione polluitur. At nunc si deceptor amans aut uiolentus abest, ita male a teneriori etate instituuntur adolescentes, ut oculis lasciuientibus, nutu faciei, corporis gestu habituque exteriori et lenocinio uix ipsis meretricibus concesso sollicitent corruptores, et legum quae in eos iam plurimae latae sunt nullam habeant reuerentiam uel timorem, licet in eos grauissime animaduertendum decreuerit Imperator. Ait enim: Cum uir nubit in feminam uires porrecturam, quid c cupiat? Vbi sexus perdidit locum, nec scelus est quod

7 quidem] quid enim M   11 formosiorum M

9 *puerum* etc.: Suet. *Nero* 28.   17 *pudicitia* etc.: v. Aug. *de Civ. Dei* i. 18; *de Mendacio* 7 § 10 (Migne *P. L.* xl. 495, 496).   32 *Cum uir* etc.: Cod. Iustin. ix. 9. 31.   33 *nec*: Cod. Iustin. *ubi* habet.

non proficit scire, ubi Venus mutatur in alteram formam, ubi amor quaeritur et non inuenitur, iubemus insurgere leges, armari iura, ut gladio ultore et exquisitis penis subdantur infames, qui sunt uel futuri sunt rei. Sed neque consentientibus parcit, quin eis penam irroget capitalem, cum et lege diuina facientes et consentientes pari pena plectantur. Ipsosque, magno episcopo auctore (Ambrosium Mediolanensem attende), consentientes esse diffiniuit, qui notum errorem reticent, aut corrigere cum possint dissimulant. Sed quid de eis uerecundum odiosumque sermonem protendimus? Vt sortem eorum condigna conclusione claudamus, proculdubio pluet super eos Dominus laqueos ut non effugiant, ignis, sulfur, spiritus procellarum, pars d calicis eorum; et cum auctoribus suis, quos Sodoma deuorauit, erunt seculis in fetorem et obprobrium sempiternum. Quid proderit quaeso eis tunc diuitum fauor? Aut quis potest esse temporalium usus aut uoluptas, quem tantus dolor et tanta erubescentia non absorbeat?

Cap. 14. *Adulatores puniendos esse, tamquam hostes deorum et hominum, et ueritatem gratanter amplectendam, et patientiam custodiendam, tam rationibus quam exemplis maiorum.*

Sed, ut uulgari prouerbio dicitur, Deus ille prae ceteris colendus creditur, qui subuenit in praesenti. Ideoque non curant quomodo, dum tamen hoc quod expetunt faciant. 507 a

---

8 diffiniuit esse S: diffiniunt esse M 13 sulphur BAM 15 opprobrium A

---

6 *lege diuina*: v. Lev. xx. 13; Rom. i. 32. *facientes* etc.: v. S. Lucium papam ap. Ivon. Carnot. *Decr.* iii. 140 (Migne *P. L.* clxi. 230), Grat. *Decr.* II. 17 qu. 4. c. 5 (ed. Friedb. i. p. 816). 7 *Ambrosium*: v. Ambrosiaster *Comm. in Rom.* i. 32 (Migne *P. L.* xvii. 63) *assentire est si, cum possit reprehendere, taceat.* 8 *diffiniuit* etc.: cf. Greg. Magn. *Ep.* cxiii. *ad Syagrium* (Migne *P. L.* lxxvii. 1044) ap. Grat. *Decr.* I. 83. c. 5 (ed. Friedberg. i. p. 294); Ioann. VIII. papam ap. Ivon. Carnot. *Decr.* vi. 115 (Migne *P. L.* clxi. 473), Grat. *Decr.* I 86. c. 3 (ed. Friedb. i. p. 298). 12 *pluet*: v. Ps. x. 7. 15 *obprobrium sempiternum*: Ierem. xxiii. 40.

Egregie quidem Cecilius Balbus: Imperator, inquit, Auguste, cum in multis, tum in eo maxime elucet prudentia tua, quod isti nondum te omnino insanum reddiderunt, qui ut tibi applaudant, non modo diis sed tibi ipsi et populo iniuriam faciunt. Deorum siquidem minuunt reuerentiam, quos parificant tibi; te arguunt insipientiae, dum conditionis tuae repugnante natura te parem numinibus esse persuadere praesumunt; nota superstitionis inurunt populum, cui mortales deos pro immortalibus persuadent esse colendos. Sane in eo aliquid diuinum tibi inesse monstrabis, si omnes istos, qui diuinitati tuae fraudulenter

---

1 *Cecilius Balbus*: Quae sequuntur usque ad *punias* (507 B) ex Caecilio Balbo, auctore alias ignoto, citat Ioannes noster. Sententias philosophorum et imperatorum cum in hoc capitulo tum in codicibus quibusdam Hamburgensi Monacensi Lindenbrogiensi Parisinis ab ipso repertas tamquam *Caecilii Balbi de nugis philosophorum quae supersunt* edidit et commentario doctissimo instruxit vir cl. Eduardus Woelfflinus (Basil. 1855). Satis demonstravit Reifferscheidius (*Rheinisches Museum*, N. F. xvi. 12) Caecilii Balbi librum *de nugis philosophorum*, cuius mentionem in codicibus istis factam invenisset Woelfflinus, non alium fuisse quam *Policraticum* nostrum *de nugis curialium et vestigiis philosophorum*, nonnumquam titulo breviori *de nugis philosophorum* ab auctoribus mediae aetatis citatum, et Caecilio Balbo a codicum Woelfflinianorum scriptoribus, qui locum nostrum male intellexissent, perperam attributum (cf. etiam V. Rose in *Hermes* i. p. 396). Sed et ipse Reifferscheidius, dum Woelfflini lapsum corrigit, in errorem videtur incidisse. Nam Ioannem Saresberiensem, de nominibus propriis aliquando titubantem, *Balbum* dixisse suspicatus quem melius *Plinium* aut *Secundum* nominasset, sub nomine Caecilii Balbi C. Caecilium Plinium Secundum latere existimavit. Locum itaque nostrum e *Panegyrico Traiani* Pliniano Ioannem traxisse, suae tamen aetatis Latinitate usum esse pro certo habuit vir egregius: cuius sententiam in hac re secutus est Schaarschmidtius, *Iohannes Saresberiensis*, pp. 95, 107, 108 (vide tamen Woelfflin. *Rhein. Mus.* N. F. xvi. 61). Woelfflinus autem (*Rhein. Mus.* N. F. xvi. 617) errorem de citationis formula suum libenter confessus, locum tamen nostrum et a libri Pliniani dictione prope omnino alienum esse affirmat, et (quamquam, quod ad Latinitatem attineat, Ioannem ipsum redolere videatur) res tractare quae ut a Plinio non narratae sunt, ita saeculo post Chr. XII multo sunt antiquiores. Ioannis incuriae in nominibus propriis referendis exempla induxit Reifferscheidius, *Enthet.* 198 seqq. (*Furvus* pro *Virbius*) *Policr.* viii. 6 seqq. (*Portunianus* pro *Postumianus*) *Policr.* viii. 14 (*Publius Clodius* pro *Publius Syrus*). Sed *Furvus* cum *Virbius*, *Portunianus* cum *Postumianus* aliquid, *Balbus* cum *Plinius* aut *Secundus* nihil commune habet; praeterea nomen *Clodius* pro nomine *Syrus* mero errore scriptum esse non constat; vide commentarium ad locum infra 772 A.

applaudunt, rapi feceris ad tormenta. Quis enim deorum ei parcat, a quo se deceptum iri intelligit? Quis non irruat b
in eum qui aureos Iouis oculos eruit aut argento gemmisque sublatis Vestam nititur excecare? Quis de Martis capite adamantinum lumen impune temerariis effodit unguibus? Nempe deos inuisibiles et immortales circumuenire et eis fallaciae parare insidias grauioris culpae est, eo quod ab his uisibilium deorum fabrica sustentatur et regitur, et honorem aut contemptum qui istis exhibetur, illi remunerant. Si sapis ergo, Auguste, in deorum hostes insurges, et te, si non deum, quod nequaquam es, uel deorum te docebis esse cultorem, si deceptores istos exterminaueris, excecatores tuos, deorum contemptores, et utrorumque iniuriam punias. Haec Caecilius. Factio tamen adulatorum praeualuit, quod et praesentium rerum declarat status. Adeo quidem ut c
si quis popularium modestiae conscius assentationis et scurrilitatis uitio crediderit temperandum, hostis felicium censeatur aut inuidus. Eorum siquidem aures tenerae sunt, et iam obsurduerunt uero et linguam seueriorem sine offensione grauissima non admittunt. In quo quantum a uirtute maiorum etas nostra degenerauerit, perspicuum est, cum sine patientia aut nullum aut rarum esse opus uirtutis uerbis docuerint et exemplis. Vnde et Aristippus a male-

---

1 *Quis enim deorum* etc.: Plane scriptoris ethnici sunt quae sequuntur. Certe ex Plinii *Panegyrico* 52. 1 (de quo loco somniatur Reifferscheidius) nihil de aureis Iovis oculis, de Vesta, de Martis adamantino lumine discere potuit Noster. 23 *Aristippus* etc.: v. Woelfflin. *Caec. Balb.* pp. 7, 15, 31. Idem Aristippi responsum refert Diog. Laert. ii. 8 § 70; cuius libri versionem, qua in saec. xiii usi sunt Hieremias Iudex et Walterus Burley, Nostri temporibus non exstitisse sed ab Euerico sive Henrico Aristippo archidiacono Catanensi factam esse satis probabiliter coniecit V. Rose *Die Lücke im Diog. Laert. und der Alte Uebersetzer* (*Hermes* i. p. 387), ubi istum Aristippum eundem esse suspicatur vir doctissimus (pp. 379, 380), quem *Graecum interpretem* appellat et in Apulia audivit ipse Ioannes Saresberiensis (v. *Metalog.* i. 15, iii. 5). Hic in cod. P margine a bibliopegis mutilata inveni scriptum *-trategemma -ica philosophorum* id est, ut suspicor, *strategemmatica philosophorum*; itaque verisimile est librum (qualis est Diogenis Laertii farrago) de factis et dictis philosophorum memorabilibus olim exstitisse, ita nuncupatum quia eandem ad philosophos rationem habuit quam ad imperatores Frontini *Strategematica.*

dicente se discedens dixisse legitur: Vt tu linguae tuae, sic ego mearum aurium dominus sum. Antitanes quoque cuidam dicenti: Maledixit tibi ille; Non michi, inquit, sed illi d qui in se quod ille culpat agnoscit. Sed, etsi michi maledicere curet, non curo, quia auditus lingua debet esse robustior, cum singulis hominibus linguae sint singulae sed aures binae. Aliquatenus tamen curo, quia eo ipso me fatetur esse superiorem, quoniam superioris personae usus est detractioni subiacere, inferioris inferre. Gauderem itaque, nisi urgente humanitate compaterer infelici. Item: Titus Tatius maledicenti sibi Metello, Facile, inquit, est in me dicere, cum nec sim responsurus. Quid Xenofon? Tu, inquit, cuidam maledicere didicisti, et ego conscientia teste didici maledicta contempnere. Sed et Diogenes, cum ei nuntiasset amicus: Te, amice, cuncti uituperant; Oportet, 508 a inquit, sapientiam ab insipientibus feriri, esse enim meliorem indicat mala lingua quem carpit. Quid Plato? Totius philosophiae robur patientia est; cum et Socrates non modo uerbo neget sapientem posse offendi, sed aduersus omnem fortunam robore uirtutis suae manere immobilem. Et ne philosophis solis patientiam sic placuisse credas, ipsorum imperatorum ad eam publicandam exempla concurrunt. In Grecia quis maior aut clarior Alexandro? Ei Antigonus pedagogus citharam fregit abiecitque dicens: Etati tuae iam regnare conuenit, pudeatque in corpore regni uoluptatem luxuriae dominari. Quod et ille patientissime

1 *post* sic *add.* et M 9 detractionibus SM 12 Xenophon M: Senofon S 15 cunti A 21 phylosophis M 25 iam iam M

2 *Antitanes*: viz. Antisthenes; v. Woelfflin. *Caec. Balb.* pp. 31, 60. 11 *Titus Tatius* etc.: v. Woelfflin. *Caec. Balb.* pp. 8, 16, 31; cod. Lind. *Titus in senatu Lucio Metello*, cod. Mon. *Tacius in senatu Lucio Metello* habent. 12 *Xenofon*: cf. infra viii. 15 (775 c); v. Woelfflin. *Caec. Balb.* pp. 8, 16, 31, 39, 60; *Agellium* citat Burlaeus *de uita et moribus philosophorum* c. 32, non tamen apud Gellium historiam istam invenies. 14 *Diogenes*: v. Woelfflin. *Caec. Balb.* p. 34. 17 *totius* etc.: v. Woelfflin. *Caec. Balb.* p. 64. 18 *Socrates* etc.: v. Woelfflin. *Caec. Balb.* p. 14. 24 *Antigonus* etc.: v. Woelfflin. *Caec. Balb.* p. 33. 25 *corpore*: *capite* legere malit Woelfflinus.

tulit, licet plerumque impatientissimus fuerit, et patrem sicut uirtute ita uitiis superaret. Eidem quoque eleganter et uere comprehensus pirata scribitur respondisse. Cum b
enim Alexander interrogaret quid ei uideretur quod mare haberet infestum, ille libera contumacia: Quod tibi, inquit, ut tu orbem terrarum? Sed, quia id ego uno nauigio facio, latro uocor; quia tu magna classe, diceris imperator. Si solus et captus sit Alexander, latro erit; si ad nutum Dionidi populi famulentur, erit Dionides imperator. Nam quod ad causam non differunt, nisi quia deterior est qui rapit improbius, qui iustitiam abiectius deserit, qui manifestius impugnat leges. Quas enim ego fugio, tu persequeris; ego utcumque ueneror, tu contempnis. Me fortunae iniquitas et rei familiaris angustia, te fastus intolerabilis et inexplebilis auaritia furem facit. Si fortuna mansuesceret, fierem forte melior; at tu quo fortunatior, nequior eris. Miratus Alexander constantiam hominis eum merito arguen- c
tis: Experiar, inquit, an futurus sis melior, fortunamque mutabo, ut non ei a modo quod deliqueris sed tuis moribus adscribatur. Eum itaque iussit conscribi militiae, ut posset exinde saluis legibus militare. Sed ne a solis Grecis mutuemur instrumenta uirtutum. Scipio Affricanus, cum eum parum pugnacem quidam arguerent: Imperatorem, inquit, me mater peperit, non bellatorem. Marius quoque cum eum Theutonus quidam ad pugnae certamen prouocaret, respondit, si cupidus mortis esset, se uitam laqueo posse finisse, et sapientem non tam pugnam quam uictoriam quaerere. Primus Romanorum imperator Iulius Cesar quam patientissime multa sustinuit. Cum enim caluitium d

---

21 possit A

---

2 *Eidem* etc.: v. Aug. *de C. D.* iv. 4; cf. Cic. *de Rep.* iii. 13 § 24; v. Woelfflin. *Caec. Balb.* p. 6. 7 *imperator*: Quae sequuntur non apud Augustinum invenies; forsan cum piratae nomine, quod tacet Augustinus, ex Ciceronis *de Republica* libro, ubi Nonio auctore factum fuisse narratum novimus, excerpsit Ioannes noster. 22 *Scipio* etc.: v. Frontin. *Strat.* iv. 7 § 4. 24 *Marius* etc.: v. Frontin. *Strat.* iv. 7 § 5. 27 *et sapientem* etc.: haud ex Frontino. 29 *Cum enim* etc.: v. Suet. *Iul.* 45.

iniquissime ferret et deficientem capillum a ceruice conuocaret ad frontem, ab irato milite ei dictum est: Facilius est, Cesar, te caluum non esse quam me in exercitu Romano quicquam egisse uel acturum esse timidius. Idem lato clauo usque ad manus fimbriato utens, laxius cingebatur; unde Silla optimates saepius admonens dicebat ut puerum male praecinctum cauerent. Praeterea margaritarum cupidissimus erat, quas, pondus earum interdum manu conferens, discernebat. Cum ergo Cecilio inuito rem ut faceret senatus auctoritate denuntiasset, ut ei uidebatur, iniustam: Ante, inquit, satiaberis margaritis. At haec forte aut aliena uidebuntur et quae uiri fortis animus honestius dissimularet.
509 a Verum et famosi libelli de eo scripti sunt et iocularia carmina in eum publice diuulgata, ut est illud militum in triumpho Gallico celebratum:

Gallias Cesar subegit, Nichomedes Cesarem;
Nichomedes non triumphat qui subegit Cesarem;

eo quod Nichomedes rex Bithiniae Cesarem ferebatur stupro subegisse, in ulteriorem familiaritatem, dum iunior esset, admissum. Facilitatem quoque Cesaris in allegendo senatu Cicero nimis acriter et palam irrisit. Nam, cum ab hospite suo Publio Mallio rogaretur ut priuigno suo decurionatum expediret, ait assistente frequentia: Romae si uis habebit, Pompeis difficile est. Sed et in epistola ad Gaium Cassium uiolatorem dictatoris mordacius scripsit:
b Vellem Idibus Martiis me ad cenam inuitasses, profecto reliquiarum nichil fuisset, nunc me reliquiae uestrae exercent. Sed Augustus, fortunae fauor et Romani decus imperii, auunculo Iulio longe patientior extitit. Cum enim Antonius, maternam eius originem despiciens, eum Affrum genere et natura panificum diceret, hoc ridens pertulit, et eundem

2 *ab irato milite* etc.: haec non narrat Suetonius. 4, 5 *lato clauo* etc.: v. Suet. *Iul.* 45. 7 *margaritarum* etc.: v. Suet. *Iul.* 47; quae de Caecilii responso sequuntur non alibi inveni; cf. Plin. *Hist. Nat.* ix. 57. 14 *illud militum* etc.: v. Suet. *Iul.* 49. 20 *Facilitatem* etc.: Macrob. *Sat.* ii. 3 § 11. 24 *in epistola* etc.: Macrob. *Sat.* ii. 3 § 13. 28 *fortunae fauor*: i.e. *fortunae deliciae*; quem vocabuli *fauor* sensum non ex alio auctore citatum invenire potui. 29 *Antonius* etc.: v. Suet. *Aug.* 4.

sorore tradita in affinitatis gratiam admisit. Cum uero
idem aduersus priuatum quendam grauius excandesceret:
Loquere, inquit, Auguste, quod placet, quia diligentiam
auribus, linguae taciturnitatem indixi, quietem manibus;
et in omnibus his potentiam tuam accusa, quia nichil
aliud argui potest in patientia mea. Ad haec non modo
in se seruabat patientiam, sed eandem aliis indicebat.
Vnde, cum Tiberius quereretur per epistolam suam quod
multi de illo perperam loquerentur, ita rescripsit: Mi c
Tiberi, noli nimis indignari quemquam esse qui de
te male loquatur; satis est enim si hoc habemus, nequis
nobis malefacere possit. Idem tanta comitate quoslibet se
adeuntes excipiebat, ut quendam ioco corripuerit, quod sic
sibi libellum porrigere uereretur, quasi elephanto stipem.
Et quantum Nero adulationibus captus est, tantum iste ab
eis auersus est. Vnde appellationem domini ut maledictum
et obprobrium semper exhorruit. Denique cum eidem de-
scendenti per sacram uiam desperatus quidam diceret:
O tiranne; Si essem, inquit, non diceres. Obseruatum
etenim est, quotiens ingrediebatur urbem, ne supplicium
de quoquam sumeretur. Curtius eques Romanus deliciis d
affluens, cum macrum turdum sumpsisset in conuiuio Cesaris,
interrogauit an mittere liceret; respondit princeps: Quidni
liceat? Ille statim per fenestram misit. Miles peritus

---

8 tyberius CB suam *om.* BASM 13, 14 sibi sic A 14 elefanto S 17 opprobrium A 19 tyranne M

1, 2 *Cum uero idem* etc.: haec non nisi hoc loco narrata, quod sciam, extant; v. Woelfflin. *Caec. Balb.* p. 9. 3 *diligentiam*: Woelfflin. *loc. cit.* 'Vt de gravi huius vocis corruptela vix dubitari potest, ita ipsa emendandi via incerta est. Nam surditatem, quod proprie opponitur *taciturnitati*, longius a codicum scriptura recedit: *diffidentiam* vero restituto vix eam sententiam elicias, ut dictum sit pro *Aures meae assuerunt, ne talibus fidem habeant.*' Locus tamen, nihilo mutato, sic intellegi potest: *Tibi me increpanti aures diligenter dabo, nihil tamen respondebo.* 8 *cum Tiberius* etc.: v. Suet. *Aug.* 51. 12 *tanta* etc.: Suet. *Aug.* 53. 15 *Nero adulationibus captus*: v. Suet. *Nero* 20. 16 *appellationem* etc.: Suet. *Aug.* 53. 17, 18 *eidem descendenti* etc.: quo auctore hoc narret Noster nescio. 19 *Obseruatum* etc.: Suet. *Aug.* 57. Hoc ex Suetonio citatum esse non animadvertit Woelfflinus; v. *Caec. Balb.* p. 10. 21 *Curtius* etc.: Macrob. *Sat.* ii. 4 § 22. 24 *Miles* etc.: v. Macrob. *Sat.* ii. 4 § 26.

aucupii noctuam, quae Cesaris noctes inquietauerat, spe
ingentis praemii captam tulit ad Cesarem. Laudato im-
perator mille nummos dari iussit. At ille ausus est dicere:
Malo uiuat, auemque dimisit. Abiitque contumax miles
non sine admiratione multorum, Cesare non offenso. Vete-
ranus cum sibi die dicto periclitaretur Cesarem rogauit in
publico ut adesset; ille praestantissimum aduocatum, quem
elegerat, sine mora dedit, commendauitque ei litigatorem.
510 a Veteranus autem exclamauit uoce magna: At non ego,
Cesar, periclitante te bello Actiaco, uicarium quaesiui, sed
pro te ipse pugnaui; detexitque impressas cicatrices.
Erubuit Cesar uenitque in aduocationem, ut qui uereretur
non superbus tantum sed etiam ingratus uideri. Intrauerat
urbem adolescens simillimus Cesari, perductumque ad
Cesarem interrogauit Augustus: Dic michi, adolescens, fuit
umquam mater tua Romae? Negauit ille, nec contentus
adiecit: Sed pater meus saepe. Ioci itaque asperitate urbana
notitiam omnium et familiaritatem imperatoris sibi con-
ciliauit. Augustus in Pollionem scripserat Phescenninos.
At ego, inquit Pollio, taceo; non est leue in eum scribere
qui potest proscribere. Sicut autem non facile concipiebat
b iram, ita nec facile admittebat ad amicitiam; et quem semel
admiserat, constantissime retinebat. Eidem inter uaria
dedecora a quodam probrose obiectum est quod adoptionem
auunculi stupro meruerit, quia eum Iulius artius admisisse
dictus est, non sine rumore prostratae pudicitiae. Alius
quoque eidem iratus obiecit quod solitus esset crura ardenti
suburere face, quo mollior surgeret pilus. Sed et eo tim-
panizante, ut in primo libro dixisse me memini: Videsne,
inquit plebeius quidam, ut cinedus orbem digito temperat?

---

21 autem] enim A 28 face suburere M

---

5 *Veteranus* etc.: v. Macrob. *Sat.* ii. 4 § 27. 13 *Intrauerat* etc.: v. Macrob. *Sat.* ii. 4 § 20. 19 *Augustus* etc.: v. Macrob. *Sat.* ii. 4 § 21. 22 *nec facile* etc.: v. Suet. *Aug.* 66. 23 *Eidem* etc. (usque ad *temperat*): v. Suet. *Aug.* 68 (*non sine rumore prostratae pudicitiae* ex Suet. *Iul.* 2). 28 *face*: *nuce* habet Suetonius. 28, 29 *eo timpanizante* etc.: v. Suet. *Aug.* 67 *in primo libro*: v. supra i. 7 (404 B).

Et cum nanus ob corporis breuitatem conuitiantis cuiusdam impetu diceretur, sibi calciamentis grandiusculis utendum esse respondit. Tiberius quoque, cum in multis legatur fuisse culpabilis, tamen aduersus conuitia satis firmus ac patiens extitit, dicens quia in ciuitate libera linguas esse c liberas et mentes hominum oportebat. Et, ut ad peiores transeam, Domitius uerborum satis patiens fuit, in quo sic lusisse fertur orator Lucinius non esse mirandum quod aeneam haberet barbam, cui os ferreum, cor plumbeum esset; eo quod dura dumtaxat loquebatur, quae ex iniquitatis adipe, quam corde conceperat, procedebant. Iniquitas enim sedere describitur super talentum plumbi. Vespasianus quoque, de quo in libro secundo, dum Ierosolimorum destructio describeretur, fecimus mentionem, etiam infimorum conuitia patienter tulit; adeo ut sene buculo proclamante in improperium eius: Vulpem pilum posse mutare non animum; eo quod natura cupidissimus esset pecuniae, nec auaritiam minueret processus etatis; respondisse dicatur: Huiusmodi hominibus debemus risum, nobis correctionem, sed penam criminosis. Nam de filio eius Tito quid dicam? qui patris auaritiam tanta liberalitate purgauit, ut amor et deliciae humani generis ab omnibus diceretur, constantissime tenens in moribus ne quem postulandi gratia ad se accedentem sine re uel spe quocumque modo dimitteret. Vnde interrogantibus domesticis cur plura polliceretur quam praestare posset, respondit: Non oportet quemquam

---

13 iherosolimorum CBS

---

1 *Et cum nanus* etc.: de Augusti *calciamentis altiusculis* v. Suet. *Aug.* 73; sed nihil de convitio ob corporis brevitatem facto habet Suetonius. 3 *Tiberius* etc.: v. Suet. *Tib.* 28. 5 *in ciuitate libera* etc.: hoc Florentinorum proverbium vocatur in margine ed. Parisinae, 1513. 7 *Domitius*: sc. Cn. Domitius, imperatoris Neronis atavus; v. Suet. *Nero* 2. 10, 11 *iniquitatis adipe*: v. Ps. lxxii. 7. 11 *Iniquitas* etc.: v. Zach. v. 7, 8 sec. vers. antiqu. ab Hieron. in loc. citatam (Sabatier, *Bibl. Sacr. Vers. Antiqu.* ii. 990). 13 *de quo* etc.: v. supra ii. 4 (420 B), 10 (426 B, C). 15 *sene* etc.: v. Suet. *Vesp.* 16. *buculo*: *bubulco* Suet. 19 *Huiusmodi* etc.: hoc Vespasiani responsum haud narrat Suetonius; nec vocabulo *criminosus* sensu *rei* auctorem quemquam Cassiodoro antiquiorem refert Forcellinus ed. de Vit. 21 *amor* etc.: Suet. *Tit.* 1. 23 *tenens* etc.: v. Suet. *Tit.* 8.

a sermone principis tristem discedere. Idem quoque re-
cordatus super cenam quod nichil tota die cuiquam praesti-
511 a tisset, dolens et gemens dixit: O amici, hunc diem perdidi.
Quem in uita offenderit a Ierosolimorum reuersus excidio
nondum legi; et forte illum uindicem innocentiae et cruci-
fixi Redemptoris elegit Dominus, qui populum excecatum
incolumi conscientia non modo innocenter sed et religiose
deprimeret et deleret. Nactus etenim horam qua morien-
dum erat, cum lectica ueheretur, suspexisse dicitur celum,
multumque conquestus est eripi sibi uitam immerenti, neque
enim extare ullum factum suum quod sibi penitendum
esset, excepto uno dumtaxat. Id quale fuerit nec ipse tunc
prodidit neque cuiquam notum fuit. Quid de patientia
huius loquar, cuius tanta benignitas erat, ut sua iniuria,
dum a conciuibus abstineret, uix crederet quemquam posse
b moueri? Tantae siquidem ciuilitatis et humanitatis in im-
perio fuit, ut omnibus prodesse nullumque punire studue-
rit; conuictos coniurationis contra se dimisit illesos et in
pristinam familiaritatem admisit. Sed et Domitianus, qui
grauissimam theomachiam exercuit post Neronem, huius
uirtutis aliquid plerumque indulsit ciuibus, licet in eos
gratis quandoque insaniret, homo quidem usquequaque
inutilis et qui nichil aliud habebat uirile nisi nomen imperii.
Vt tamen ignauiam mentis et inertiam corporis sub prae-
textu principatus occuleret, cotidie sibi secretum horarum
spatium uendicabat, nec quicquam interdum facere consue-
uerat, nisi captare muscas et easdem stilo praeacuto con-
figere; ut cuidam interroganti nequis intus esset cum
c Cesare, non absurde sibi responsum sit a Metello: Ne
musca quidem. Quod licet impiissimo principi innotuerit,
dissimulare maluit quam punire. Sed cur patientiae ex-

---

4 iherosolimorum B   29 metallo S   Nec M   30 muscam C^1SM

---

8 *Nactus* etc.: v. Suet. *Tit.* 10.   16 *Tantae* etc.: v. Eutrop. vii. 21. 19, 20 *qui grauissimam theomachiam exercuit post Neronem*: v. Euseb. *Hist. Eccl.* iii. 17 vers. Ruffiniana (ed. Cacciari, p. 138).   25 *cotidie* etc.: v. Suet. *Dom.* 3.   29 *Metello*: *Vibio Crispo* Suet.; vide Woelfflinus (*Caec. Balb.* p. 12); 'putaverim... Ioannis Sar. memoriam ad illud aberrasse, quod supra' (507 D) 'narraverat.'

empla propono, cum omnibus liqueat nichil firmum esse et stabile quod leui flatus aura concutitur? Quis uirum fortem credat, quem uerborum mouet impulsus et ei quietem excutit et uirtutum compage dirupta ipsius animae sanguinem elicit? Vnde et publico iure statutum est ne pro uerbis friuolis quisquam seueritate penarum inuratur. Ait enim Imperator, diuorum Theodosii Archadii et Honorii statuta confirmans: Si quis modestiae nescius et pudoris ignarus improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum fuerit, eum penae nolumus subiugari, neque d
durum aliquid neque asperum sustinere; quoniam, si ex leuitate processit, contempnendum est; si ab insania, miseratione dignissimum; si ex iniuria, remittendum. Vnde integris omnibus hoc ad nostram scientiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus et utrum praetermitti an exquiri debeant censeamus. Ex quibus colligitur dictis hominum non moueri eum qui aut uirtutis amator est aut iuris constitutioni obtemperans.

Omne uafer uitium ridenti Flacus amico 512 a
tangit, et admissus circum praecordia ludit.

Familiare siquidem sapienti est, ut magno placet Augustino, potius a quolibet reprehendi quam siue ab errante siue ab adulante laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori ueritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est aut amicus. Si inimicus insultat, ferendus est; amicus autem si errat, docendus; si doceat, audiendus. Laudator uero et errans confirmat errorem, et adulans illicit in errorem. Ait ergo rex fidelis, electus in beneplacito Domini, relinquens, si sapiant, regibus et principibus iustitiae

---

20 ridendi A flaccus AM 24 ab *om.* M enim] etenim BASM

---

8 *Si quis* etc.: Cod. Iustin. ix. 7. 1. 20 *Omne* etc.: Pers. *Sat.* i. 116, 117; cf. *Policr.* Prol. (387 c). 22 *Augustino*: v. *Ep.* cxl. c. 32 § 74 (Migne *P. L.* xxxiii. 571); *Enarr. in Ps.* cxl. 5. c. 13 (Migne *P. L.* xxxvii. 1824); *Serm.* cclxvi. 8 in Ps. cxl. 5 (Migne *P. L.* xxxix. 1229).

b humilitatis exemplum et fortitudinis: Corripiet me iustus in misericordia, et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Consonat ei ethicus dicens:

> Falsus honor iuuat aut mendax infamia terret
> quem nisi mendosum et mendacem?

Cap. 15. *Quod ei dumtaxat licet adulari, quem licet occidere; et quod tirannus publicus hostis est.*

Verumtamen cui debetur hoc oleum peccatoris, quod reprobat praeambulus regum fidelium, et ad quod emendum in fatuitate sua exclusas uirgines mittit euangelicus sermo? Ei utique qui in sordibus est et iusto Dei iudicio sordescit amplius et uulgi opinione potius splendere appetit
c quam caritatis operumque eius feruere incendio. Vnde et in secularibus litteris cautum est quia aliter cum amico, aliter uiuendum est cum tiranno. Amico utique adulari non licet, sed aures tiranni mulcere licitum est. Ei namque licet adulari, quem licet occidere. Porro tirannum occidere non modo licitum est sed aequum et iustum. Qui enim gladium accipit, gladio dignus est interire. Sed accipere intelligitur qui eum propria temeritate usurpat, non qui utendi eo accipit a Domino potestatem. Vtique qui a Deo potestatem accipit, legibus seruit et iustitiae et iuris famulus est. Qui uero eam usurpat, iura deprimit et uoluntati suae leges summittit. In eum ergo merito armantur iura qui leges exarmat, et publica potestas seuit in eum qui euacuare nititur publicam manum. Et, cum multa sint
d crimina maiestatis, nullum grauius est eo, quod aduersus

9 Verumptamen A 11 euuangelicus A 14 karitatis S 16 cum tiranno uiuendum est B 18 tyrannum M 22 a domino accipit A[1]M 25 submittit ASM

1 *Corripiet* etc.: Ps. cxl. 5. 5 *Falsus* etc.: Hor. *Ep.* i. 16. 39, 40. *aut*] *et* Hor. 10 *praeambulus regum fidelium*: sc. David. 11 *euangelicus sermo*: v. Matt. xxv. 1 seqq. 12 *qui in sordibus* etc.: v. Apoc. xxii. 11. 15 *in secularibus litteris*: v. Cic. *de Amicit.* 24 § 89. 18 *Porro* etc.: cf. Cic. *Off.* iii. 6 § 32. 19 *Qui enim* etc.: v. Matt. xxvi. 52.

ipsum corpus iustitiae exercetur. Tirannis ergo non modo publicum crimen sed, si fieri posset, plus quam publicum est. Si enim crimen maiestatis omnes persecutores admittit, quanto magis illud quod leges premit, quae ipsis debent imperatoribus imperare? Certe hostem publicum nemo ulciscitur, et quisquis eum non persequitur, in seipsum et in totum rei publicae mundanae corpus delinquit.

EXPLICIT LIBER III.

8 Explicit Liber Tercius BM

INCIPIT LIBER QVARTVS POLICRATICI

Prologus.

513 a Ardua quidem res est professio ueritatis et quae incursantibus errorum tenebris aut negligentia profitentis frequentissime uitiatur. Quid enim uerum sit quis recte examinat rebus incognitis? Notitia autem rerum, eo quod uias non dirigit contemptoris, iustitiae aculeos exacerbat in penam delinquentis. Est ergo primus philosophandi gradus, genera rerum proprietatesque discutere, ut quid in singulis uerum sit, prudenter agnoscat; secundus, ut quisque id ueritatis, quod ei illuxerit, fideliter assequatur. Haec autem philosophantium strata illi soli peruia est, qui de regno uanitatis proclamat in libertatem qua liberi fiunt quos ueritas liberauit, et Spiritui seruientes colla iugo iniquitatis et iniustitiae subduxerunt. Vbi enim Spiritus
b Dei, ibi libertas; metusque seruilis uitiisque consentiens exterminator Spiritus sancti est. Porro Spiritus est qui loquitur aequitatem in conspectu principum nec erubescit, et pauperes spiritu regibus anteponit aut aequat, et quos sibi fecerit coherere, docet scire loqui et facere ueritatem. Qui uero ueritatem non uult audire uel loqui, a Spiritu ueritatis alienus est. Sed haec hactenus. Nunc in quo tirannus distat a principe audiamus.

---

1 Incipiunt Capitula libri quarti (IIII B) *et post capitula* Expliciunt capitula (*add.* libri IIII[b] M) CBM: Incipit Liber Quartus Prologus C: Incipit prologus libri quarti BAM: Incipiunt capitula IIII libri *et post capitula* Expliciunt capitula IIII libri Incipit prologus libri IIII S 16 Dei] domini A 20 fecit M

---

13 *libertatem* etc.: v. Rom. viii. 20, 21; Gal. iv. 31. 14 *quos ueritas liberauit*: v. Ioann. viii. 32. *Spiritui* etc.: cf. Rom. vii. 6. 15 *Vbi enim Spiritus* etc.: 2 Cor. iii. 17. 18 *loquitur aequitatem* etc.: v. Ps. li. 5, cxviii. 46. 19 *pauperes spiritu* etc.: v. Matt. v. 3.

Cap. I. *De differentia principis et tiranni, et quid sit princeps.*

Est ergo tiranni et principis haec differentia sola uel maxima, quod hic legi obtemperat et eius arbitrio populum regit cuius se credit ministrum, et in rei publicae muneribus c exercendis et oneribus subeundis legis beneficio sibi primum uendicat locum, in eoque praefertur ceteris, quod, cum singuli teneantur ad singula, principi onera imminent uniuersa. Vnde merito in eum omnium subditorum potestas confertur, ut in utilitate singulorum et omnium exquirenda et facienda sibi ipse sufficiat, et humanae rei publicae status optime disponatur, dum sunt alter alterius membra. In quo quidem optimam uiuendi ducem naturam sequimur, quae microcosmi sui, id est, mundi minoris, hominis scilicet, sensus uniuersos in capite collocauit, et ei sic uniuersa membra subiecit, ut omnia recte moueantur, dum sani capitis sequuntur arbitrium. Tot ergo et tantis priuilegiis apex principalis extollitur et splendescit, quot et quanta d sibi ipse necessaria credidit. Recte quidem, quia populo nichil utilius est quam ut principis necessitas expleatur; quippe cum nec uoluntas eius iustitiae inueniatur aduersa. Est ergo, ut eum plerique diffiniunt, princeps potestas

---

4 optemperat A

---

13 *optimam* etc.: Cic. *de Amicit.* 5 § 19. 14 *microcosmi*: Exstat hoc vocabulum ap. Isid. *Orig.* iii. 23 (Migne *P. L.* lxxxii. 169). Bernardus Carnotensis, Nostri magister, *Breviarium* scripsit *de Mundi Universitate*, cuius liber alter *Microcosmus* dicitur, *id est minor mundus*, ubi de hominis creatione disseritur. Apud Graecos (ut videtur) non invenitur *μικρόκοσμος*; de *μικρὸς κόσμος* v. Lobeck *Aglaophamus* pp. 921 seq.; Suicer. *Thes. Eccles.* ii. 369, 370 (s. v. Μικρόκοσμος); Steph. *Thes.* (ed. Paris 1841) iv. 1872 (s. v. Κόσμος). De Pythagora dictum esse suspicor quod ap. Gervasium Tilburiensem (qui a. 1211 floruit) legitur: *Graecus hominem microcosmum hoc est minorem mundum appellabat* (*Otia Imperialia* i. 1. in *Script. Rer. Brunsvic.* ed. Leibnit, Hanov. 1707, i. 885); cf. *Vitam Pythagorae* quam citat Photius *Bibliotheca* cod. ccxlix (Migne *Patrol. Graec.* ciii. 1585), *ὁ ἄνθρωπος μικρὸς κόσμος λέγεται.* 22 *diffiniunt*: in marg. cod. P. scriptum est *uegetius renatus*; v. Veget. ii. 5, 6 ubi imperatorem *praesentem et corporalem deum*, et imagines imperatorum *diuina et praesentia*

publica et in terris quaedam diuinae maiestatis imago. Proculdubio magnum quid diuinae uirtutis declaratur inesse principibus, dum homines nutibus eorum colla submittunt et securi plerumque feriendas praebent ceruices,
514 a et impulsu diuino quisque timet quibus ipse timori est. Quod fieri posse non arbitror, nisi nutu faciente diuino. Omnis etenim potestas a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante euum. Quod igitur princeps potest, ita a Deo est, ut potestas a Domino non recedat, sed ea utitur per subpositam manum, in omnibus doctrinam faciens clementiae aut iustitiae suae. Qui ergo resistit potestati, Dei ordinationi resistit, penes quem est auctoritas conferendi eam et, cum uult, auferendi uel minuendi eam. Neque enim potentis est, cum uult seuire in subditos, sed diuinae dispensationis pro beneplacito suo punire uel exercere subiectos. Vnde et in persecutione Hunorum Athila interrogatus a religioso cuiusdam ciuitatis episcopo
b quis esset, cum respondisset: Ego sum Athila flagellum Dei; ueneratus in eo (ut scribitur) diuinam maiestatem episcopus: Bene, inquit, uenerit minister Dei; et illud: Benedictus qui uenit in nomine Domini, ingeminans reseratis ecclesiae foribus persecutorem admisit, per quem et assecutus est martirii palmam. Flagellum enim Domini excludere non audebat, sciens quia dilectus filius flagellatur, et nec ipsius flagelli esse nisi a Domino potestatem. Si itaque adeo uenerabilis est bonis potestas etiam in plaga electorum, quis eam non ueneretur, quae a Domino instituta est ad uindictam malefactorum, laudem uero bonorum,

---

1 ymago M 7 *post* enim *add.* ordinate ratio potestatis S 8 igitur] ergo A 10 suppositam BA

---

signa appellat; ex *Policr.* iv. 12 (538 D) tamen apparet exstitisse nescio quam definitionem verbis his expressam. 2 *Proculdubio* etc.: cf. Shakespeare *Hamlet* iv. 5. 123 *There's such divinity doth hedge a king, That treason can but peep to what it would.* 7 *Omnis* etc.: v. Rom. xiii. 1. 11 *Qui resistit* etc.: Rom. xiii. 2. 16 *Vnde* etc.: Hanc historiam nusquam alibi invenire potui: S. Lupum Trecensem, de quo res haud dissimilis narratur, martyrii palmam non assecutum esse constat; v. *Acta SS.* Iul. 29 (vii. 78, 82). 24 *dilectus filius* etc.: v. Heb. xii. 6. 28 *ad uindictam* etc.: 1 Pet. ii. 14.

et legibus deuotione promptissima famulatur? Digna si-
quidem uox est, ut ait Imperator, maiestate regnantis se
legibus alligatum principem profiteri. Quia de iuris aucto- c
ritate principis pendet auctoritas; et reuera maius imperio
est, summittere legibus principatum; ut nichil sibi princeps
licere opinetur, quod a iustitiae aequitate discordet.

Cap. 2. *Quid lex; et quod princeps, licet sit legis nexibus absolutus, legis tamen seruus est et aequitatis, geritque personam publicam, et innocenter sanguinem fundit.*

Nec in eo sibi principes detrahi arbitrentur, nisi iustitiae
suae statuta praeferenda crediderint iustitiae Dei, cuius
iustitia iustitia in euum est, et lex eius aequitas. Porro
aequitas, ut iuris periti asserunt, rerum conuenientia est,
quae cuncta coaequiparat ratione et imparibus rebus paria
iura desiderat, in omnes aequabilis, tribuens unicuique
quod suum est. Lex uero eius interpres est, utpote cui d
aequitatis et iustitiae uoluntas innotuit. Vnde et eam
omnium rerum diuinarum et humanarum compotem esse
Crisippus asseruit, ideoque praestare omnibus bonis et
malis et tam rerum quam hominum principem et ducem
esse. Cui Papinianus, uir quidem iuris experientissimus,
et Demostenes, orator praepotens, uidentur suffragari et
omnium hominum subicere obedientiam, eo quod lex omnis 515 a
inuentio quidem est et donum Dei, dogma sapientum,
correctio uoluntariorum excessuum, ciuitatis compositio,
et totius criminis fuga; secundum quam decet uiuere
omnes qui in politicae rei uniuersitate uersantur. Omnes
itaque necessitate legis seruandae tenentur adstricti, nisi

1 promtissima AS 12 euum] aeternum M 28 legis necessitate M

1–5 *Digna . . . principatum*: Cod. Iustin. i. 14 § 4. 11, 12 *cuius iustitia* etc.: v. Ps. cxviii. 142. 12 *aequitas*: Vulg. *ueritas.* 13 *aequitas* etc.: Definitionem eandem citat Azo iuris peritus celeberrimus, qui Bononiae in saec. xiii floruit: *Aequitas autem est rerum conuenientia quae in paribus causis paria iura coaequiparat.* Vide Cic. *Top.* 4 § 23 *Valeat aequitas quae paribus in causis paria iura desiderat*; et *de Amicit.* 27 § 100 *In ea* (sc. *amicitia*) *est conuenientia rerum.* 15 *tribuens* etc.: v. Instit. Iustin. i. 1 § 1. 18 *omnium rerum* etc. (usque ad *uersantur*): v. Dig. i. 3 §§ 1, 2.

forte aliquis sit cui iniquitatis licentia uideatur indulta. Princeps tamen legis nexibus dicitur absolutus, non quia ei iniqua liceant, sed quia is esse debet, qui non timore penae sed amore iustitiae aequitatem colat, rei publicae procuret utilitatem, et in omnibus aliorum commoda priuatae praeferat uoluntati. Sed quis in negotiis publicis loquetur de principis uoluntate, cum in eis nil sibi uelle liceat, nisi quod lex aut aequitas persuadet aut ratio communis utilitatis inducit? Eius namque uoluntas in his uim debet habere iudicii; et rectissime quod ei placet in talibus legis habet uigorem, eo quod ab aequitatis mente
b eius sententia non discordet. De uultu tuo, inquit, iudicium meum prodeat, oculi tui uideant aequitatem; iudex etenim incorruptus est cuius sententia ex contemplatione assidua imago est aequitatis. Publicae ergo utilitatis minister et aequitatis seruus est princeps, et in eo personam publicam gerit, quod omnium iniurias et dampna sed et crimina omnia aequitate media punit. Virga quoque eius et baculus, adhibita moderatione sapientiae, contractus omnium et errores ad uiam reducit aequitatis, ut merito potestati
c spiritus congratuletur, dicens: Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Sed et clipeus eius fortis quidem sed infirmorum clipeus est et qui malignantium iacula pro innocentibus potenter excipiat. Officium quoque eius illis qui minimum possunt, plurimum prodest, et illis qui nocere desiderant, plurimum aduersatur. Non ergo sine causa gladium portat, quo innocenter sanguinem fundit, ut tamen uir sanguinum non sit, et homines frequenter occidat, ut non incurrat nomen homicidii uel reatum. Si enim magno creditur Augustino, Dauid uir sanguinum dictus est, non propter bella sed propter Vriam. Et Samuel nusquam uir

5 comoda S   15 ymago M   17 damna CB   19 adibita S

2 *Princeps* etc.: v. Dig. i. 3 § 31.   10 *quod ei placet* etc.: Dig. i. 4 § 1.   12 *De uultu* etc.: Ps. xvi. 2.   21 *Virga tua* etc.: Ps. xxii. 4.   22 *clipeus fortis* etc.: v. 2 Reg. i. 21.   26 *Non sine causa* etc.: Rom. xiii. 4.   30 *Augustino*: talia apud Augustinum adhuc invenire non potui.   *uir sanguinum*: 2 Reg. xvi. 7, 8; cf. 1 Paral. xxii. 8.   31 *Samuel* etc.: v. 1 Reg. xv. 32, 33.

sanguinum aut homicida scribitur, licet Agag pinguissimum regem Amalech interfecerit. Hic siquidem gladius est d columbae, quae sine felle rixatur, sine iracundia ferit et, cum dimicat, nullam omnino concipit amaritudinem. Nam, sicut lex culpas persequitur sine odio personarum, ita et princeps delinquentes rectissime punit, non aliquo iracundiae motu sed mansuetae legis arbitrio. Nam, etsi suos princeps uideatur habere lictores, ipse aut solus aut praecipuus credendus est lictor, cui ferire licitum est per supositam manum. Vt enim ad Stoicos accedamus, qui causas nominum diligentius inuestigant, lictor dicitur, quasi legis ictor, eo quod ad ipsius spectat officium ferire quem lex iudicat feriendum. Vnde et antiquitus officialibus, quorum manu iudex nocentes punit, cum reo gladius immineret, 'Obtempera legis arbitrio' dicebatur, uel 'Legem imple,' ut rei tristitiam mitigaret uel mansuetudo uerborum.

Cap. 3. *Quod princeps minister est sacerdotum et minor eis; et quid sit ministerium principatus fideliter gerere.* 516 a

Hunc ergo gladium de manu Ecclesiae accipit princeps, cum ipsa tamen gladium sanguinis omnino non habeat. Habet tamen et istum, sed eo utitur per principis manum, cui cohercendorum corporum contulit potestatem, spiritualium sibi in pontificibus auctoritate seruata. Est ergo princeps sacerdotii quidem minister et qui sacrorum officiorum illam partem exercet quae sacerdotii manibus uidetur indigna. Sacrarum namque legum omne officium religiosum et pium est, illud tamen inferius, quod in penis criminum exercetur et quandam carnificii repraesentare b uidetur imaginem. Vnde et Constantinus Romanorum

9 suppositam M 10 stoycos A 20 eclesiae A accepit M
23 coercendorum A 24 reseruata A *marg.* SM 30 ymaginem M

2, 3 *gladius columbae*: Ierem. xlvi. 16; cf. *ira columbae* Ierem. xxv. 38; quem locum de ira Dei, *quia in Deum nulla furoris inaequalitas serpit*, interpretatur Gregorius Magnus *Moral.* xxxii. 7 in Iob xl. 6 (Migne *P. L.* lxxvi. 640). 10 *Vt enim* etc.: Quo auctore haec de uocabuli *lictor* etymologia narret Noster, nescio; cf. infra c. 12 (537 c). 20 *Hunc ergo gladium* etc.: v. infra n. ad vi. 8 (600 c).

fidelissimus imperator, cum sacerdotum concilium Niceam conuocasset, nec primum locum tenere ausus est nec se presbiterorum immiscere consessibus, sed sedem nouissimam occupauit. Sententias uero, quas ab eis approbatas audiuit, ita ueneratus est ac si eas de diuinae maiestatis sensisset emanasse iudicio. Sed et libellos inscriptionum, quos ad inuicem conceptos, sacerdotum crimina continentes, imperatori porrexerant, suscepit quidem clausosque reposuit in sinu suo. Cum autem eosdem ad caritatem et concordiam reuocasset, dixit sibi, tamquam homini et qui iudicio subiacet sacerdotum, illicitum esse deorum examinare causas, qui non c possunt nisi a solo Deo iudicari. Librosque, quos receperat, non inspectos dedit incendio, patrum ueritus crimina uel conuitia publicare et Cham reprobi filii maledictionem incurrere, qui patris uerenda non texit. Vnde et in scriptis Nicholai Romani pontificis idem dixisse narratur: Vere si propriis oculis uidissem sacerdotem Dei aut aliquem eorum qui monachico habitu circumamicti sunt, peccantem, clamidem meam explicarem et cooperirem eum, ne ab aliquo uideretur. Sed et Theodosius magnus imperator ob meritam noxam, non tamen eotenus grauem, a sacerdote Mediolanensi a regalium usu et insignibus imperii suspensus est et indictam sibi penitentiam homicidii patienter et sollempniter d egit. Profecto, ut Doctoris gentium testimonio utar, maior est qui benedicit quam qui benedicitur, et penes quem est conferendae dignitatis auctoritas eum, cui dignitas ipsa

18 abitu S 23 solenniter M

2 *nec primum locum* etc.: v. Cassiod. *Hist. Tripart.* ii. 5 (Migne *P. L.* lxix. 924). 4 *Sententias* etc.: v. Cassiod. *Hist. Tripart.* ii. 14 (Migne *P. L.* lxix. 934). 6 *Sed et libellos* etc.: v. Ruffin. *Hist. Eccl.* i. 2 (Migne *P. L.* xxi. 468); Cassiod. *Hist. Tripart.* ii. 2 (Migne *P. L.* lxix. 922); cf. Greg. Magn. *Ep.* v. 40 (Migne *P. L.* lxxvii. 766), Grat. *Decr.* II. xi. qu. 1. c. 41 (ed. Friedberg. i. 638). 14 *Cham* etc.: v. Gen. ix. 22. 16 *Vere* etc.: v. Nicolai I *Ep.* lxxxvi (Migne *P. L.* cxix. 944), Grat. *Decr.* I. dist. 96. c. 8 (ed. Friedberg. i. 339). 20 *Sed et Theodosius* etc.: v. *Vit. S. Ambrosii a Paulino ad Augustinum conscriptam* c. 24 (Migne *P. L.* xiv. 35); cf. Ambros. *de Obitu Theodosii* c. 24 (Migne *P. L.* xvi. 1396). Theodosii ab Ambrosio suspensionem memorat *Decreti* supra cit. dist. c. 10 (ed. Friedberg. i. 340). 24 *Doctoris gentium testimonio*: v. Heb. vii. 7.

confertur, honoris priuilegio antecedit. Porro de ratione iuris, eius est nolle cuius est uelle, et eius est auferre qui de iure conferre potest. Nonne Samuel in Saulem ex causa inobedientiae depositionis sententiam tulit, et ei in regni apicem humilem filium Ysai subrogauit? Si uero constitutus princeps susceptum ministerium fideliter gesserit, tantus honor ei exhibendus est et reuerentia tanta, quantum caput omnibus membris corporis antecellit. Gerit autem ministerium fideliter, cum suae conditionis memor uniuersitatis subiectorum se personam gerere recordatur, et se non sibi suam uitam sed aliis debere cognoscit, et eam illis ordinata caritate distribuit. Totum ergo se Deo debet, 517 a plurimum sui patriae, multum parentibus et propinquis, extraneis minimum, nonnichil tamen. Sapientibus ergo et insipientibus debitor est, pusillis et maioribus. Quae quidem inspectio communis est omnium praelatorum, et eorum qui spiritualium curam gerunt, et qui secularem iurisdictionem exercent. Vnde et Melchisedech, quem primum Scriptura regem introducit et sacerdotem (ut ad praesens misterium taceatur, quo praefigurat Christum, qui in celis sine matre et in terris sine patre natus est); ille, inquam, nec patrem nec matrem legitur habuisse, non quod utroque caruerit, sed quia regnum et sacerdotium de ratione non pariunt caro et sanguis, cum in alterutro creando parentum respectus b citra uirtutum merita praeualere non debeat, sed salubria subiectorum fidelium uota; et cum alterutrius culminis apicem quisque conscenderit, obliuisci debet affectum carnis et id solum agere quod subiectorum salus exposcit. Subiectis itaque pater sit et maritus aut, si teneriorem nouerit affectionem, utatur ea; amari magis studeat quam timeri,

7 ei honor M 8 corporeis BAS 9 fideliter ministerium BAS 13 suae S[2] 19 mysterium M 24 parentum] patrum M 26, 27 apicem culminis A 27 contenderit M

2 *eius est nolle* etc.: v. Dig. l. 17 § 3. 3 *Samuel* etc.: v. 1 Reg. xv. 28, xvi. 14 *Sapientibus* etc.: Rom. i. 14. 15, 16 *Quae inspectio est omnium praelatorum*: i. e. (ut videtur) *quod spectare debent omnes magistratus.* Apud Quintilianum, *Inst. Orat.* ii. 17 § 42, ii. 18 § 1 *inspectio* = *θεωρία.* 18 *Melchisedech*: v. Gen. xiv. 18, Heb. vii.

et se talem illis exhibeat, ut uitam eius ex deuotione praeferant suae, et incolumitatem illius quandam publicam reputent uitam; et ei tunc omnia recte procedent, et paucorum stipatus obsequio praeualebit, si opus est, aduersus innumerabiles. Fortis etenim est ut mors dilectio; et cuneus, quem funiculi amoris constringunt, non facile rumpitur.

c Dorenses cum Atheniensibus pugnaturi de euentu praelii oracula consuluerunt. Responsum est superiores fore, ni regem Atheniensium occidissent. Cum uentum esset in bellum, militibus ante omnia regis custodia praecipitur. Atheniensibus eo tempore rex Codrus erat. Qui, responso dei et praeceptis hostium cognitis, mutato regis habitu, sarmenta collo gerens castra hostium ingreditur. Ibi turba obsistentium a milite, quem falce percusserat, interficitur. Cognito regis corpore, Dorenses sine praelio discedunt. Atque ita Athenienses uirtute ducis, pro salute patriae morti se offerentis, bello liberantur. Item Ligurgus in regno suo decreta constituens populum in obsequia principum, principes ad iustitiam imperiorum firmauit; auri
d argentique usum et omnium scelerum materiam sustulit; senatui custodiam legum, populo sublegendi senatum potestatem dedit; statuit uirginem sine dote nubere, ut uxores eligerentur, non pecunia; maximum honorem pro gradu etatis senum esse uoluit; nec sane usquam terrae locum honoratiorem senectus habet. Deinde, ut eternitatem suis legibus daret, iureiurando obligat ciuitatem, nichil eos de eius legibus mutaturos antequam reuerteretur. Proficiscitur autem Cretam, ibi perpetuum exilium egit, abicique moriens ossa sua in mare iussit, ne relatis Lacedaemonem solutos se religione iusiurandi in dissoluendis legibus arbitrarentur. His quidem exemplis eo libentius utor, quod apostolum

31 iurisiurandi BS[2]

5 *Fortis* etc.: Cant. viii. 6. 6 *cuneus* etc.: v. Eccles. iv. 12. 8 *de euentu* etc.: Iustin. ii. 6 §§ 16–21. 19 *populum* etc.: Iustin. iii. 2 § 9. 20 *firmauit*: *formauit* habet Iustinus. *auri* etc.: Iustin. iii. 2 § 12. 23 *Statuit* etc.: v. Iustin. iii. 3 §§ 7–9. 26 *Deinde* etc.: Iustin. iii. 3 §§ 11, 12.

Paulum eisdem usum, dum Atheniensibus praedicaret, in- 518 a uenio. Studuit praedicator egregius Iesum Christum et hunc crucifixum sic mentibus eorum ingerere, ut per ignominiam crucis liberationem multorum exemplo gentilium prouenisse doceret. Sed et ista persuasit fieri non solere nisi in sanguine iustorum et eorum qui populi gererent magistratum. Porro ad liberationem omnium, scilicet Iudeorum et gentium, nemo sufficiens potuit inueniri, nisi ille, cui in hereditatem datae sunt gentes, et praefinita est omnis terra possessio eius. Hunc autem alium esse non posse quam Filium omnipotentis Dei asseruit, cum praeter Deum gentes et terras omnes nemo subegerit. Dum ergo sic crucis ignominiam praedicaret, ut gentium paulatim euacuaretur stultitia, sensim ad Dei uerbum Deique sapien- b tiam et ipsum etiam diuinae maiestatis solium, uerbum fidei et linguam praedicationis euexit et, ne uirtus Euangelii sub carnis infirmitate uilesceret a scandalo Iudeorum gentiumque stultitia, opera Crucifixi, quae etiam famae testimonio roborabantur, exposuit; cum apud omnes constaret quod ea non posset facere nisi Deus. Sed quia multa in utramque partem crebro fama mentitur, ipsam iuuabat famam, quod discipuli illius maiora faciebant, dum ad umbram discipuli a quacumque infirmitate sanabantur aegroti. Quid multa? Astutias Aristotilis, Crisippi acumina, omniumque philosophorum tendiculas resurgens mortuus confutabat. Decios duces Romanorum se pro suis exercitibus deuouisse percelebre est. Iulius quoque Cesar: c

1 *Paulum* etc.: Non dubium est quin ista e S. Pauli actis spuriis traxerit; v. M. R. James, *Apocrypha Anecdota* (Cantabrig. 1893), pp. 56, 57; cf. *Acta SS.* Octob. 9. (tom. iv, p. 704) et Ricard. de Sto Victore *de Verbo Incarnato*, c. 13 (Migne *P. L.* cxcvi. 1007). 2 *praedicator egregius*: sic appellatur Paulus a Gregorio Magn. *Ep.* v. 40 (Migne *P. L.* lxxvii. 767). 17 *a scandalo* etc.: v. 1 Cor. i. 23. 22 *illius*: sc. Christi; v. Ioann. xiv. 12. 23 *umbram discipuli*: sc. Petri; v. Act. App. v. 15. 24 *Astutias* etc.: v. Hieron. *Ep.* lvii. 12 (Migne *P. L.* xxii. 579). 25, 26 *resurgens mortuus*: sc. Christus, non (ut James, *Apocrypha Anecdota*, p. 57 suspicatus est) quidam a Paulo coram Atheniensibus resuscitatus; nam haec non ex *Actis Pauli* sed ex Hieronymi loc. cit. hausit Noster. 26 *Decios* etc.: v. Val. Max. 5. 6 §§ 5, 6; Aug. *de Civ. Dei* iv. 20. 27 *Iulius* etc.: v. Woelfflin. *Caec. Balb.* p. 32.

Dux, inquit, qui non laborat ut militibus carus sit, militem nescit armare, nescit humanitatem ducis in exercitu aduersus hostes esse. Idem numquam dixit militibus: Ite huc; sed: Venite; dicebat enim quia participatus cum duce labor uidetur militibus minor. Praeterea uoluptas corporis eodem auctore uitanda est; aiebat enim in bello corpora hominum gladiis, in pace uoluptatibus uulnerari. Senserat enim gentium triumphator uoluptatem nullo modo tam facile superari quam fuga, eo quod ipsum, qui gentes domuerat, Veneris nexibus innodauit mulier impudica.

Cap. 4. *Quod diuinae legis auctoritate constat principem legi iustitiae esse subiectum.*

d Sed quid ad emendicata gentium exempla decurro, quae tamen plurima sunt, cum rectius quisque possit ad facienda legibus quam exemplis urgeri? At ne ipsum principem usquequaque solutum legibus opineris, audi quam legem imponat principibus Rex magnus super omnem terram terribilis et qui aufert spiritum principum: Cum, inquit, ingressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, et possederis eam, habitauerisque in illa, et dixeris: Constituam super me regem sicut habent omnes per circuitum nationes; eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet
519 a populum in Egiptum, equitatus numero sulleuatus; praesertim cum Dominus praeceperit uobis ut nequaquam amplius per eandem uiam reuertamini. Non habebit uxores plurimas quae afficiant animam eius, neque argenti et auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in uolumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leuiticae tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus

2 amare M   11 Quod *om.* SM   26 egyptum BAM   subleuatus AS

10 *mulier impudica*: sc. Cleopatra.   17 *Rex magnus* etc.: Ps. xlvi. 3.   18 *terribilis* etc.: Ps. lxxv. 12, 13.   18, 19 *Cum ingressus* etc.: Deut. xvii. 14–20.

uitae suae, ut discat timere Dominum Deum suum et custodire uerba et cerimonias eius, quae in lege praecepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram uel sinistram; ut longo tempore regnet ipse et filius eius super Israel. Numquid quaeso nulla lege artatur quem lex ista con- b
stringit? Haec utique diuina est et impune solui non potest. Singula uerba eius, si sapiant, in auribus principum tonitrua sunt. Taceo de electione et forma eius, quae in principis creatione exigitur; uiuendi formulam, quae ei praescripta est, mecum paulisper attende. Cum, inquit, uerit constitutus, qui se totius populi fratrem religionis cultu et affectu caritatis profiteatur, non multiplicabit sibi equos, quorum numerositate sit subditis onerosus. Equos equidem multiplicare est plures quam ipsa necessitas exigat, uanae gloriae causa uel erroris alterius, congregare. Multum enim et parum, si Peripateticorum principem sequimur, legitimae quantitatis diminutionem in singulis rerum generibus significant uel excessum. Licebitne ergo c
canes multiplicare uolucresue rapaces aut truces bestias aut quaelibet portenta naturae, cui equorum, qui ad militiam necessarii sunt et usum totius uitae, ex legitima quantitate praefinitus est numerus? Nam de histrionibus et mimis, scurris et meretricibus, lenonibus et huiusmodi prodigiis hominum, quae principem potius oportet exterminare quam fouere, non fuerat in lege mentio facienda; quae quidem omnes abominationes istas non modo a principis aula excludit, sed eliminat a populo Dei. Equorum nomine totius familiae et impedimentorum omnium necessarius intelligitur usus; cuius legitima quantitas est, quam ratio

4 dextram partem A: dexteram B 5 israhel A 9 eius et forma M 15 quidem M 17 peripatheticorum M 22 legittima SM 23 hystrionibus M 25 oportet potius BS 27 abhominationes SM 30 legittima BSM

17 *Multum* etc.: Hoc neque ab ipso Aristotele in iis libris dictum quos Latine versos legere potuerit Ioannes Saresberiensis, neque apud auctores ab illo usitatos ex Aristotele citatum invenire potui; sed cf. *Categ.* 6. 5 b 16 seqq. Constat *Metaphysicorum* libros omnino (nisi titulo tenus) ignoravisse Nostrum, ubi tamen quid significent τὸ πολύ et τὸ ὀλίγον expressius docet Aristoteles; v. *Metaph.* ι. 6. 1056 b 17–19.

necessitatis aut utilitatis exposcit, ita tamen ut utile et honestum coaequentur et ciuilitas conscribatur honestis. d Philosophis enim iam pridem placuit perniciosiorem nullam esse opinionem illorum opinione qui utile separant ab honesto; et sententiam uerissimam et utilissimam esse, honestum et utile in se usquequaque conuerti. Plato, ut ferunt historiae gentium, cum uidisset Dionisium Siciliae tirannum corporis sui septum custodibus: Quod tantum, inquit, malum fecisti, ut a tam multis necesse habeas custodiri? Hoc utique principem non oportet, qui officiis ita sibi omnium uincit affectus, ut quisque subditus pro eo periculis imminentibus caput opponat, cum etiam urgente natura se pro capite soleant membra exponere, et pellem pro pelle et cuncta quae homo habet, ponat pro 520 a anima sua. Sequitur: Nec reducet populum in Egiptum, equitatus numero sulleuatus. Magna siquidem diligentia praecauendum est omni qui in sullimitate constituitur, ne inferiores corrumpat exemplis et abusione rerum et per superbiae aut luxuriae uiam ad confusionis tenebras reducat populum. Frequens enim est ut subditi superiorum uitia imitentur, quia magistratui populus studet esse conformis, et unusquisque libenter appetit in quo alium cernit illustrem. Celebre est illud uersificatoris egregii, sensum et uerba magni Theodosii exprimentis:

In commune iubes si quid censesue tenendum,
primus iussa subi; tunc obseruantior aequi
fit populus, nec ferre negat, cum uiderit ipsum

---

7 hystoriae M 15 egyptum BM 16 subleuatus AS

---

3 *Philosophis* etc.: v. Cic. *de Off.* iii. 3 § 11. 6 *Plato* etc.: v. Woelfflin. *Caec. Balb.* p. 32; cf. Vincent. Bellovac. *Speculum Doctrinale*, v. 7, vii. 30; ubi Helinandum citat, de quo v. Vincentium ipsum *Spec. Hist.* xxix. 108. Helinandi chronicorum desunt libri 1–44; itaque incertum est an alio auctore praeter Nostrum de rebus, quas narraverint ambo, usus sit necne; quem tamen multa ex *Policratico* sumpsisse satis demonstrat locorum apud Vincentium citatorum inspectio; praecipue eorum quos *de constituendo rege* inter flores Helinandi *Spec. Hist.* xxix. 121 seqq. et *de electione et regimine militum*, *Spec. Doctrin.* vii. 24, 25 invenies. Neque de ipso Ioanne Saresberiensi neque de *Policratico* quidquam cognovisse videtur Vincentius. 14 *pellem* etc.: Iob ii. 4. 25 *In commune* etc.: Claudian. *de IV Cons. Honorii*, 296–302.

auctorem parere sibi. Componitur orbis
regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
humanos edicta ualent quam uita regentis. b
Mobile mutatur semper cum principe uulgus.

Verum singulorum facultates nequaquam omnium copiis adaequantur. De loculis propriis quilibet sumit, at potestas de arca publica uel cimilio haurit; quae si forte defecerit, ad singulorum recurritur facultates. Atqui priuatum quemque suis necesse est esse contentum. Quae si fuerint extenuata, qui nunc potentis appetebat fulgorem, paupertate sordidus confusionis suae tenebras erubescit. Inde etiam Lacedemoniorum decreto potestatibus in usu publicorum bonorum parcitas indicta est, dum tamen hereditariis uti et his quae pinguiori fortuna accedunt, communi iure liceat.

Cap. 5. *Quod principem castum esse oportet, et auaritiam declinare.* c

Adiecit lex: Non habebit uxores plurimas, quae afficiant animam eius. Licitum quidem fuit quandoque in populo Dei ut, propagandae sobolis gratia et fidelem populum dilatandi, plures quis sortiretur uxores. In exemplum licentiae huius occurrunt patriarchae, cum Sara usa sit iure suo, corpore scilicet Abrahae, in utero alieno, ancillae ministerio de uiro suscipiens filium Ismaelem. Iacob quoque sororum sibi duplicato coniugio fecundas earundem ancillas adsciuit. Atqui reges perpetuae prohibitionis laqueus tenet et a plurium uxorem amplexibus arcet; et, cum in aliis plures unius esse licitum fuerit, in regibus perpetuo optinet ut una unius sit. Numquid fornicari uel adulterari stu- d
prumue committere licet cum pluribus, cum nec etiam generis multiplicandi causa aut procreandi heredis liceat uxoribus admisceri? Quomodo stupra adulteria aut quaslibet fornicationes puniet potestas eisdem subiecta criminibus?

7 archa M 15 oporteat M 23 ismahelem BA 24 dupplicato S

12 *Lacedemoniorum decreto* etc.: Quo auctore haec referat Noster, nescio. 17 *Non habebit* etc.: Deut. xvii. 17. 18 *Licitum* etc.: cf. Abaelard. *Epit. Theol. Christ.* c. 31 (ed. Cousin. ii. p. 581). 21 *Sara* etc.: v. Gen. xvi. 23 *Iacob* etc.: v. Gen. xxx. 1–24.

Nec uxores Dauid quisquam obiciat, qui forte in hoc, sicut et in multis aliis, speciali priuilegio gaudet; licet facile concesserim quod et ipse in hac parte deliquerit. Sane eum affectus ille uxorius proditione et homicidio in adulterium impegit, nec in illius excusatione laboro, qui prophetica conuentus et conuictus parabola seipsum uirum mortis esse respondit. Habes itaque regem cum regibus
521 a delinquentem; et utinam cum penitente peniteant et fateantur cum confitente culpam et satisfacientes cum satisfaciente reuertantur ad uitam! Ipsam quoque sapientiam Salomonis mulierum infatuauit amor. Sequitur: Nec habebit argenti et auri immensa pondera. Eant nunc, et Domino prohibente argentum sibi et aurum thesaurizent, facientes ex calumpnia quaestum, de paupertatibus aliorum abundantiam quaerant, de rapinis diuitias, et singularem sibi beatitudinem statuant in calamitate multorum. Sed copiam Salomonis obicit aliquis. Esto, principem locupletem fieri non prohibeo sed auarum. Nonne aurum et argentum Salomonis tempore uiluerunt? Non utique uiluissent, si eorum immensa pondera et quae usum excederent, sibi rex
b cupidus congessisset. Potuerat ea in terram defodiens, quo cariora fierent, humanis usibus subtraxisse. Apud Petronium Trimalchio refert fabrum fuisse, qui uitrea uasa faceret tenacitatis tantae ut non magis quam aurea uel argentea frangerentur. Cum ergo fialam huiusmodi de uitro purissimo et solo (ut putabat) dignam Cesare fabricasset, cum munere suo Cesarem adiens, admissus est. Laudata est species muneris, commendata manus artificis, acceptata est deuotio donantis. Faber uero, ut admirationem intuentium uerteret in stuporem, et sibi plenius gratiam

---

14 calupnia A   15 habundantiam A¹SM

1 *uxores Dauid*: v. 2 Reg. v. 13.   4 *affectus ille uxorius* etc.: v. 2 Reg. xi, xii.   11, 12 *Nec habebit* etc.: Deut. xvii. 17.   18 *Nonne aurum* etc.: v. 3 Reg. x. 21.   23 *Petronium*: v. Petron. *Sat.* 51; de Ioannis citatione haec scripsit Burmannus in Petronii locum (ed. Amstel. 1743, i. p. 333): 'haec est ratio cur Sarisberiensis narratio a Petronii dissideat, cum ille voluerit eam floridiorem et magis exactam reddere. Sic quod rustice inquit Trimalchio *fecit reporrigere* . . . elegantiori multo circumlocutione extulit Ioannes, et ita reliqua.'

conciliaret imperatoris, petitam de manu Cesaris fialam recepit, eamque ualidius proiecit in pauimentum tanto impetu ut nec solidissima et constantissima eris materia maneret illesa. Cesar autem ad haec non magis stupuit c
quam expauit. At ille de terra sustulit fialam, quae quidem non fracta erat sed collisa, ac si eris substantia uitri speciem induisset. Deinde martiolum de sinu proferens uitium correxit aptissime, et tamquam collisum uas eneum crebris ictibus reparauit. Quo facto se celum Iouis tenere arbitratus est, eo quod familiaritatem Cesaris et admirationem omnium se promeruisse credebat. Sed secus accidit. Quaesiuit enim Cesar an alius sciret hanc condituram uitreorum. Quod cum negaret, eum decollari praecepit imperator dicens quia, si hoc artificium innotesceret, aurum et argentum uilescerent quasi lutum. An uera sit relatio et fidelis incertum est, et de facto Cesaris diuersi diuersa d
sentiunt. Ego uero sapientiorum non praeiudicans intellectui deuotionem potentis artificis male remuneratam arbitror, et inutiliter humano generi prospectum, cum ars egregia deleta sit, ut fomes auaritiae, pabulum mortis, contentionum praeliorumque causa pecunia pecuniaeque materia seruaretur in pretio, quod sine diligentia hominis fuerat habitura, cum sine se esse non possit quae rerum pretium est. Vtique:

In pretio pretium nunc est; dat census honores,
census amicitias; pauper ubique iacet.

Longe utilius quidam omnem materiam iurgiorum et causam odii a suis rebus publicis exterminare studuerunt, ut causa 522 a
deficiente effectus malitiae euanesceret; quale est decretum Ligurgi apud Lacedemonios, et in antiqua Grecia, quae nunc pars Italiae est, Samii doctrina Pitagorae, qui constitutionum suarum robore et uirtute traditur totam seruasse Italiam.

13 uitrorum M 31 pictagore S¹M 32 totam traditur BM

23 *cum sine se* etc.: i.e. *cum sine pretio esse non possit pecunia, quae ipsa pretium est.* 25 *In pretio* etc.: Ov. *Fast.* i. 217, 218. 30 *Ligurgi* etc.: v. Iustin. ii. 1 § 12. *in antiqua* etc.: v. Cic. *Tusc. Disp.* v. 4 § 10; Val. Max. viii. 7, ext. 2; Gell. i. 9 § 12.

Vtinam aurum cum argento uilescat, dum sit sola uirtus in pretio et illa quorum usum optima dux uiuendi natura commendat. Pauper itaque non iacebit, nec diues solius pecuniae beneficio honorabitur, dum unusquisque sui ipsius dote erit in pretio uel uilescet. Porro quaedam a se, quaedam ab aliorum opinione habent pretii dignitatem. Panis siquidem aut uictualia, quae in alimentis aut in-
b dumentis necessariis constant, dictante natura sunt ubique terrarum in pretio. Quae sensus oblectant naturaliter omnibus grata sunt. Quid multa? Quae naturae sunt, non modo eadem sed uigent apud omnes; quae opinionis arbitrium sequuntur, incerta sunt; et, sicut ad placitum sunt, ita et ad placitum euanescunt. Non fuerat ergo timendum imperatori ne materia commerciorum deficeret, cum etiam adhuc apud illos uenalitium frequens sit, qui pecuniam non nouerunt. Scio equidem tantae sapientiae fuisse Salomonem, ut numquam timuerit ne aurum et argentum uilesceret posteris, quorum naturam uidebat esse famelicam et pro parte maxima nichil aliud quam pecuniam esurire. Vnde per inspiratam sapientiam hanc rubiginem rex contempsit egregius, ut ad contemptum pecuniae sui ipsius exemplo posteros
c inuitaret. Praeterea esse regem expedit copiosum, ita tamen ut diuitias suas populi reputet. Non habebit ergo diuitias quas nomine possidet alieno, nec sibi priuata erunt bona fiscalia quae publica confitetur. Nec mirum, cum nec ipse suus sit sed subditorum.

Cap. 6. *Quod debet legem Dei habere prae mente et oculis semper, et peritus esse in litteris, et litteratorum agi consiliis.*

Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in uolumine. Ecce quia princeps non debet esse iuris ignarus et, licet multis priuilegiis gaudeat, nec militiae praetextu legem Domini permittitur

12 secuntur M

2 *optima dux* etc.: v. Cic. *de Amicit.* 5 § 19. 30 *Postquam* etc.: Deut. xvii. 18.

ignorare. Describet ergo Deuteronomium legis, id est, d
secundam legem, in uolumine cordis: ut sit lex prima, quam
littera ingerit; secunda, quam ex eo misticus intellectus
agnoscit. Prima quidem scribi potuit lapideis tabulis; sed
secunda non imprimitur, nisi in puriore intelligentia mentis.
Et recte in uolumine Deuteronomium scribitur, quia sic
apud se sensum legis princeps reuoluit, quod ab oculis eius
littera non recedit. Et sic quidem insistit litterae ut
nequaquam ab intellectus discordet puritate. Littera namque
occidit, spiritus uiuificat, et penes ipsum humani iuris
et aequitatis media interpretatio necessaria et generalis
extat. Accipiens, inquit, exemplar a sacerdotibus Leuiticae
tribus. Recte quidem. Omnium legum inanis est censura,
si non diuinae legis imaginem gerat; et inutilis est 523 a
constitutio principis, si non est ecclesiasticae disciplinae
conformis. Quod et Christianissimum non latuit principem,
qui legibus suis indixit ne dedignentur sacros canones
imitari. Et non modo sacerdotes exemplaria peti praecipit,
sed ad Leuiticam tribum, mutuandi gratia, principem mittit.
Sic enim legitimi sacerdotes audiendi sunt, ut reprobis et
ascendentibus ex aduerso omnem uir iustus claudat auditum.
Sed qui sunt sacerdotes Leuiticae tribus? Illi utique quos
sine auaritiae stimulis, sine ambitionis impulsu, sine affectione
carnis et sanguinis lex in Ecclesiam introduxit. Non
autem lex litterae, quae mortificat, sed spiritus, quae in
sanctitate mentis, munditia corporis, fidei sinceritate et
operibus caritatis uiuificat. Sicut enim umbratilis lex et b
gerens omnia figuraliter sacerdotes in singularitate carnis
et sanguinis praeelegit; sic, postquam cessantibus umbris

---

4 tabulis lapideis C²BAM 14 ymaginem M 15 est *om.* M
20 legittimi BS¹M

---

3 *secunda* etc.: cf. Hieron. *Ep.* liii. *ad Paulinum* (Migne *P. L.* xxii. 545) *Deuteronomium secunda lex et euangelicae legis praefiguratio.* 4 *scribi* etc.: v. 2 Cor. iii. 3. 9 *Littera* etc.: 2 Cor. iii. 6. 10 *iuris* etc.: v. Cod. Iustin. i. 14 § 1. 12 *Accipiens* etc.: Deut. xvii. 18. 16 *Christianissimum principem*: sc. Iustinianus (non, ut Schaarschm. *Ioh. Sar.* p. 162 n. 1. suspicatus est, Ludovicus VII Francorum rex); v. Novell. lxxxiii. 1 (*Authenticum* coll. 6. tit. 11) *Sacras et diuinas regulas quas etiam nostrae sequi non dedignantur leges.*

ueritas patefacta est et iustitia de celo prospexit, quos uitae commendat meritum et bonae opinionis odor et unitas fidelium aut praelatorum diligens prouidentia in opus ministerii segregauit, Spiritus applicat ad Leuiticam tribum et legitimos instituit sacerdotes. Adicitur: Et habebit secum, legetque illud omnibus diebus uitae suae. Attende quanta debeat esse diligentia principis in lege Domini custodienda, qui eam semper habere legere praecipitur et reuoluere, sicut Rex regum, factus ex muliere, factus sub lege, omnem impleuit iustitiam legis, ei non necessitate sed
c uoluntate subiectus; quia in lege uoluntas eius, et in lege Domini meditatus est die ac nocte. Quod si ille in hac parte non creditur imitandus qui non regum gloriam sed fidelium amplexus est paupertatem et indutus forma seruili reclinatorium capiti non quaesiuit in terris et interrogatus a iudice regnum suum de hoc mundo non esse confessus est, proficiant uel exempla regum illustrium quorum memoria in benedictione est. Procedant ergo de castris Israel Dauid, Ezechias et Iosias et ceteri qui in eo sibi regni gloriam constare credebant, si Dei quaerentes gloriam se et subditos diuinae legis nexibus innodarent. Et ne illorum
d remota uideantur exempla, et ex eo sequenda minus, quod a lege eorum et ritu operum et religionis cultu et fidei professione aliquantisper uidemur abscedere (licet nobis et illis eadem fides sit, ita tamen ut, quod illi futurum expectabant, nos ex parte magna gaudeamus et ueneremur impletum, abiectis tantum umbris figurarum ex quo ueritas de terra orta est et in conspectu gentium reuelata); ne, inquam, illorum quasi aliena aut prophana contempnantur exempla, Constantinus noster, Theodosius, Iustinianus et Leo et alii Christianissimi principes principem possunt

5 legittimos BSM 26 gaudeamus magna A

5 *Et habebit* etc.: Deut. xvii. 19. 9 *factus* etc.: v. Gal. iv. 4. 10 *omnem* etc.: v. Matt. iii. 15. 11 *in lege* etc.: Ps. i. 2. 12 *ille*: sc. Christus. 14 *indutus* etc.: v. Philipp. ii. 7. 15 *reclinatorium* etc.: v. Matt. viii. 20. *interrogatus* etc.: v. Ioann. xviii. 33, 36. 18 *memoria* etc.: v. Eccli. xlvi. 14. 27 *ueritas* etc.: v. Ps. lxxxiv. 12. 31 *Leo*: sc. imperator Leo VI Philosophus, Basilicorum quae vocantur auctor.

instruere Christianum. In eo namque praecipuam operam
dabant, ut sacratissimae leges, quae constringunt omnium
uitas, scirentur et tenerentur ab omnibus, nec illarum esset
quisquam ignarus, nisi aut publica utilitate erroris dis-
pendium compensaret aut miseratione etatis aut sexus 524 a
infirmitate legitimae acerbitatis euitet aculeos. Illorum
itaque gesta uirtutum incitamenta sunt; uerba quot sunt,
tot institutiones morum. Denique uitam, uitiis subiugatis
et captiuatis, quasi arcum triumphalem consecratum poste-
ritati magnificae uirtutis titulis erexerunt, fideli confes-
sione praedicantes in omnibus quia non manus nostra
excelsa sed Dominus fecit haec omnia. Et quidem Con-
stantinus Romana ecclesia fundata et dotata, ut cetera
eius taceantur egregia, benedictione perpetua insignis est.
Iustinianus et Leo qui fuerint ex eo claret, quod totum
orbem sacratissimis legibus enucleatis quasi quoddam tem-
plum iustitiae sacrare studuerunt. Nam de Theodosio quid b
dicam, quem isti uirtutis habuerunt exemplar, et Ecclesia
Dei ob religionis et iustitiae uenerabilem notam et sacer-
dotibus patientissime tamen et humillime indignantem non
modo ut imperatorem uenerata est sed ut antistitem? Qui
leges tulerat, quam patienter tulit sententiam sacerdotis
Mediolanensis! Et ne sententiam emolliti presbiteri et
principibus applaudentis fuisse teneram putes, a regalium

---

6 legittime BS: legittimae M 10 magnificicae C 11 nostra *om.* B 14 perpetua benedictione M 18 exemplar habuerunt A

---

1 *In eo* etc.: v. Cod. Iustin. i. 14 § 9. 13 *Romana ecclesia* etc.: cf. *Metalogicus*, iv. 42 (945 c); de falsae Constantini donationis (ap. Grat. *Decr.* I. xcvi. 13, 14 ed. Friedberg. i. 342 seqq. citatae) origine consule Doellingerium, *Die Papst-Fabeln des Mittelalters*, pp. 72–125. 15, 16 *quod totum orbem* etc.: v. Cod. Iustin. i. 17 *de ueteri iure enucleando*, § 5. 20, 21 *non modo* etc.: v. Paulinum Nolanum *Ep.* xxviii. (Migne *P. L.* lxi. 312) *ut in Theodosio non tam imperatorem quam Christi seruum . . . praedicarem*; cf. Facundum *pro Defens. trium Capitulorum* viii. 3 (Migne *P. L.* lxvii. 715). Sic ad Theodosium II scripsit S. Leo papa *Ep.* xxiv: *ut uobis non solum regium sed etiam sacerdotalem inesse animum gaudeamus* (Migne *P. L.* liv. 735). 22, 23 *sacerdotis Mediolanensis*: sc. S. Ambrosii; v. Ambros. *de Obitu Theodosii*, 34 (Migne *P. L.* xvi. 1396, 7); Cassiod. *Hist. Tripart.* ix. 30 (Migne *P. L.* lxix. 1144 seqq.).

usu suspensus est princeps, exclusus ab ecclesia, et peniten-
tiam coactus est explere sollempnem. Sed quid eum tantae
necessitati subiecerat? Voluntas utique subiecta iustitiae Dei
et legi eius usquequaque obtemperans. Et nisi quae metrica
leuitate scribuntur duxeris habenda contemptui, ex his qui-
bus filium instruit apud Claudium Claudianum quis ipse in
c sacrario morum extiterit paucis agnosces. Ceterum cum
praemissae legis uerba reuoluo, singula michi uidentur onusta
et quasi spiritu intelligentiae fecundata menti occurrunt.
Habebit ergo, inquit, secum legem, prouidens ne ad dampna-
tionem suam, cum eam habere necesse sit, habeat contra se.
Potentes etenim potenter tormenta patientur. Et adiecit:
Legetque illud. Legem siquidem habere in mantica parum
prodest, nisi fideliter custodiatur in anima. Legenda est
ergo omnibus diebus uitae suae. Ex quibus liquido constat,
quam necessaria sit principibus peritia litterarum, qui legem
Domini cotidie reuoluere lectione iubentur. Et forte quod
sacerdotes legem cotidie legere iubeantur, non frequenter
d inuenies. Princeps uero cotidie legit, et diebus uitae; quia
qua die non legerit legem, ei non dies uitae sed mortis est.
Hoc utique sine difficultate illiteratus non faciet. Vnde
et in litteris, quas regem Romanorum ad Francorum
regem transmisisse recolo, quibus hortabatur ut liberos suos
liberalibus disciplinis institui procuraret, hoc inter cetera
eleganter adiecit, quia rex illiteratus est quasi asinus
coronatus. Si tamen ex dispensatione ob egregiae uirtutis
meritum, principem contingat esse illiteratum, eundem agi
litteratorum consiliis, ut ei res recte procedat, necesse est.

2 sollennem A: solennem M: sollemnem S 5 dixeris C²BAM

6 *Claudianum*: v. Claudian. *Panegyr. de IV Cons. Honorii* 214 seqq. 10 *Habebit secum*: Deut. xvii. 19. 12 *Potentes* etc.: Sap. vi. 7; 'Das ist ein Satz den Johannes nicht genug einschärfen kann.' Gennrich, *Die Staats- und Kirchenlehre Johanns von Salisbury*, p. 51; cf. *Policr.* iv. 10 (532 c), v. 6 (554 A); *Epp.* 189, 233, 268. 13 *Legetque illud*: Deut. xvii. 19. 19 *Princeps uero* usque ad *coronatus* citat Pauli, *Mon. Germ. Hist.* xxvii. p. 45. *legit*: haud bene coniecit *legat* vir doctissimus R. Pauli; modo indicativo cur usus sit Ioannes satis monstrant quae sequuntur *quia qua die* etc. 22 *regem Romanorum* etc.: 'Literae a Conrado III ad Ludovicum VII directae hodie deperditae' Pauli *loc. cit.*

Assistant ergo ei Nathan propheta et Sadoch sacerdos et
fideles filii prophetarum, qui eum a lege Domini diuertere
non patiantur, et quam ipse oculis animo non ostendit,
linguis suis introducant, quasi quodam aurium ostio, lit- 525 a
terati. Legat itaque mens principis in lingua sacerdotis,
et quicquid egregium uidet in moribus, quasi legem
Domini ueneretur. Nam uita et lingua sacerdotum quasi
quidam uitae liber est in facie populorum. Eo forte
spectat quod exempla legis a sacerdotibus Leuiticae tribus
iubetur assumi; quia praedicatione eorum debet potestas
commissi magistratus gubernacula moderari. Nec expers
omnino lectionis est qui, etsi ipse non legit, quae leguntur
ab aliis fideliter audit. Qui uero neutrum facit, quomodo
in contemptu praecepti quod praecipitur fideliter adim-
plebit? Concursus namque desiderabilium omnium sapien-
tiae accessio est. Tholomeus ad cumulum beatitudinis
nonne sibi aliquid deesse credidit donec, accitis septuaginta b
interpretibus, licet gentilis esset, legem Domini Grecis
communicauit? Nichil enim refert an interpretes in eadem
cellula clausi contulerint an prophetauerint in diuersis, dum
constet regem in ueritatis inquisitione sollicitum legem
Domini in Greciam traïecisse. In Athicis Noctibus legisse
me memini quod, cum Philippi Macedonis morum legantur
insignia, inter cetera litteratorum studium, quasi belli
negotia et uictoriarum triumphos, liberalitatem mensae,
humanitatis officium, et quaecumque lepide comiterque dicta
uel facta sunt, colorauit. Verum et hoc ipsum in quo se

1 Asistant S 4 hostio A^1S 5 itaque] ergo M 22 atticis A 24 litteratorium ASM

1 *Nathan propheta et Sadoch sacerdos*: v. 3 Reg. i. 26 seqq. 3 *quam*: sc. *legem*. 7, 8 *lingua sacerdotum . . . liber uitae*: v. Mal. ii. 7; Eccli. xxiv. 32. 15 *Concursus* etc.: v. Sap. vii. 11. 16 *Tholomeus* etc.: v. Aug. *de Civ. Dei*, xviii. 42; *de Doctrina Christiana*, ii. 15 (Migne *P. L.* xxxiv. 46); Hieron. *Prolog. in Genesim*, ubi LXX interpretum concordiam collationi non (ut Augustinus inter alios crediderat) inspirationi divinae ascribendam esse asserit. 22 *In Athicis Noctibus* etc.: v. Gell. ix. 3. 25 *mensae*: legit igitur Ioannes cum melioribus codicibus omnibus, ut testatur Hertzius ad loc., *liberali mensa*; ipse tamen Hertzius *liberali musa*. 27 *colorauit*: sc. Gellius.

aliis excellentiorem nouerat, quasi bonorum hereditariorum c fundamentum, ad unicum quem sperabat regni et felicitatis futurum heredem transmittere curauit. Ob hanc causam epistola eius destinata Aristotili nuper nati Alexandri, ut sperabatur, magistro uisa est exscribenda. Est igitur concepta ad hanc ferme sententiam: Philippus Aristotili salutem dicit. Filium michi genitum scito, quo equidem Diis habeo gratiam, non proinde quia natus est quam pro eo quod eum nasci contigit temporibus uitae tuae. Spero etenim fore ut educatus eruditusque a te dignus existat et nobis et rerum istarum susceptione. Romanos imperatores aut duces, dum eorum respublica uiguit, illiteratos extitisse non memini. Et nescio quomodo contigit quod, ex quo in principibus uirtus languit litterarum, d armatae quoque militiae infirmata est manus et ipsius principatus quasi praecisa radix. Nec mirum, cum sine sapientia nullus stare aut esse ualeat principatus. Socrates Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus est et qui sine contradictione septem illos qui dicti sunt sapientes incomparabiliter antecessit non in opinione sapientiae sed uirtute, tunc demum respublicas fore beatas asseruit, si eas philosophi regerent aut rectores earum studere sapientiae contigisset. Et (si tibi Socratis uidetur contempnenda auctoritas): Per me, inquit Sapientia, reges regnant, et conditores legum 526 a iusta decernunt; per me principes imperant, et potentes decernunt iustitiam; ego diligentes me diligo, et qui mane uigilant ad me, inuenient me; mecum sunt diuitiae et gloria, opes superbae et iustitia; melior est fructus meus auro et lapide pretioso, genimina mea argento electo; in uiis iustitiae ambulo, in medio semitarum iudicii, ut ditem

---

3 hanc] quam M 6 Phylippus M 12 illitteratos B 16 prescisa SM 17 *post* principatus *add.* quia sapientia dei dixit. Sine me nichil potestis facere A *marg.* P 21 phylosophi M

---

6 *Philippus* etc.: Epistolam Philippi ex Gellio loc. cit. traxit Ioannes, cuius lectiones contulit Hertzius in editione maiore (Berol. 1883). 17 *Socrates* etc.: v. Val. Max. iv. 4 ext. § 1; cf. iv. 1 ext. § 7. 21 *tunc demum* etc.: v. Val. Max. vii. 2 ext. § 4; Boeth. *de Consol. Philos.* i. Prosa iv. 24 *Per me* etc.: Prov. viii. 15–21.

diligentes me et thesauros illorum repleam. Item: Meum est consilium et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Et alibi: Accipite disciplinam et non pecuniam, doctrinam magis quam aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari. Cum gentiles nichil sine nutu numinum crederent faciendum, unum tamen quasi Deum deorum et omnium principem excolebant, scilicet Sapientiam, b ideo quod ipsa omnibus praeest. Vnde et philosophi ueteres imaginem Sapientiae pro foribus omnium templorum pingi et haec uerba scribi debere censuerunt:

> Vsus me genuit, peperit Memoria;
> Sophiam me uocant Graii, uos Sapientiam.

Et haec item: Ego odi homines stultos et ignaua opera et philosophicas sententias. Et quidem eleganter illi ista finxerunt, licet ueritatem ipsam plene non nouerint; ad eam tamen aliquatenus accedentes, dum Sapientiam omnium quae recte fiunt, ducem et principem arbitrantur, cum et ipsa ueraciter glorietur quod in omni gente et populo a principio primatum tenuit superborum et sullimium colla propria uirtute calcans. Salomon quoque se eam super c salutem et omnia pulchra dilexisse fatetur, et ad ipsum cum ea bona omnia accessisse.

Cap. 7. *Quod timorem Dei doceri debet, et humilis esse, et sic servare humilitatem, quod auctoritas principis non minuatur; et quod praeceptorum alia mobilia, alia immobilia.*

Sequitur: Vt discat timere Dominum Deum suum, et custodire uerba eius quae in lege praecepta sunt. Causam

1 Mecum M 4 eligite quam aurum A 14 ignauia CBA[1] 15 phylosophicas M 20 sullimum B 22 pulcra AS 23 omnia bona M 24 Dei *om.* M 25 p. SM: publica *Cyr. in rubrica capitulo praefixa*

1 *Meum est* etc.: Prov. viii. 14. 3 *Accipite* etc.: Prov. viii. 10, 11. 9 *Vnde et philosophi* etc.: v. Gell. xiii. 8 §§ 3, 4. 17 *Sapientiam omnium* etc.: cf. Cic. *de Off.* i. 43 § 153. 19 *in omni gente* etc.: Eccli. xxiv. 9, 10. 21 *Salomon* etc.: v. Sap. vii. 10, 11. 28 *Vt discat* etc.: Deut. xvii. 19.

legitimae obseruationis lex ipsa subiungit: Vt discat, inquit. Diligens namque lector legis discipulus est, non magister; nec ad sensum suum captiuatam retorquet legem, sed menti eius et integritati sensus suos accommodat. Sed discipulus **d** iste quid discit? Vtique timere Dominum Deum suum. Recte quidem, eo quod sapientia parit et firmat principatum; atqui initium sapientiae timor Domini. Qui ergo timoris non initiatur gradu, frustra ad legitimi principatus culmen aspirat. Legitimi, inquam; quia de quibusdam dum alleuantur deiectis et miserius deiciendis scriptum est: Isti regnauerunt, et non ex me; principes extiterunt, et ego ignoraui; et alibi: Tenentes legem nescierunt sapientiam. Timeat ergo princeps Dominum et se promta humilitate mentis et pia exhibitione operis seruum profiteatur. Dominus etenim serui dominus est. Seruit itaque Domino **527 a** princeps, dum conseruis suis, subditis scilicet sibi, fideliter seruit. Sed et Dominum Deum esse agnoscat, cui non plus timoris ex maiestate quam amoris ex pietate exhibendum est. Pater etenim est et cui nulla creatura ipsius faciente merito negare potest dilectionis affectum. Si ego, inquit, dominus sum, ubi est timor meus? si pater sum, ubi est amor meus? Verba quoque legis custodienda sunt, quod ex primo timoris gradu, quadam quasi uirtutum scala, felici procedit ascensu. Dilectio, inquit, illius custodia legum est, quia omnis sapientia timor Domini. Porro: Qui Deum timet faciet bona, et qui continens est iustitiae, apprehendet illam, et obuiabit illi quasi mater honorificata. Sed quae uerba diligentia tanta custodiet? Vtique quae praecepta

---

1 legittimae M: legittime BS[1]   4 accomodat SM   5 dicit M   8 legittimi BS[1]M   9 Legittimi BS[1]M   13 prompta BM   20 *post* Si *add.* ergo B   21 *post* pater *om.* sum A   25 *post* Domini *add.* est M   25, 26 timet deum M

---

2 *legis discipulus est, non magister*: cf. Iacob. iv. 11.   6 *parit et firmat principatum*: v. Prov. viii. 16; Eccli. x. 1.   7 *initium* etc.: Ps. cx. 10; Eccli. i. 16.   10 *Isti* etc.: Os. viii. 4.   12 *Tenentes* etc.: v. Ierem. ii. 8.   14, 15 *Dominus serui dominus*: Boeth. *in Categ. Arist.* (6 b. 28 seqq.) (Migne *P. L.* lxiv. 217).   20 *Si ego* etc.: Mal. i. 6.   24 *Dilectio* etc.: Sap. vi. 19.   25 *quia omnis* etc.: Eccli. xix. 18.   *Qui Deum* etc.: Eccli. xv. 1, 2.

sunt in lege, ut apud principem iota uel apex legis non b
cadat in terram, quod non ille propriis uel manibus subiectorum excipiat. Sunt autem praecepta quaedam perpetuam habentia necessitatem, apud omnes gentes legitima et quae omnino impune solui non possunt. Ante legem, sub lege, sub gratia, omnes lex una constringit: Quod tibi non uis fieri, alii ne feceris; et: Quod tibi uis fieri faciendum, hoc facias alii. Procedant nunc dealbatores potentum, susurrent aut, si hoc parum est, publice praeconentur principem non esse legi subiectum, et quod ei placet, non modo in iure secundum formam aequitatis condendo, sed qualitercumque, legis habere uigorem. Regem quem legis nexibus subtrahunt, si uolunt et audent, exlegem faciant, ego, non modo c
his renitentibus sed mundo reclamante, ipsos hac lege teneri confirmo. In quo enim, inquit qui nec fallit nec fallitur, iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Et certe iudicium grauissimum in his qui praesunt fiet, eo quod mensura bona conferta coagitata et supereffluens refundetur in sinus eorum. Nec tamen dispensationem legis subtraho manibus potestatum, sed perpetuam praeceptionem aut prohibitionem habentia libito eorum nequaquam arbitror subponenda. In his itaque dumtaxat quae mobilia sunt, dispensatio uerborum admittitur; ita tamen ut compensatione honestatis aut utilitatis mens legis integra conseruetur. Nec eleuetur,

---

4 legittima BS[1] 8 aliis B 18 superaffluens S 21 supponenda A

---

1 *iota* etc.: v. Matt. v. 18. 5, 6 *Ante legem, sub lege, sub gratia*: Aug. *de Doctr. Christiana*, xvi. 25 (Migne *P. L.* xxxiv. 48). 7 *Quod tibi* etc.: v. Aug. *Enarr. in Ps. lvii.* 1; *de Doctr. Christiana*, xiv. 22 (Migne *P. L.* xxxvi. 673, xxxiv. 74); cf. Gratianum, *Decret.* I. i. (ed. Friedberg. i. 2). 8 *dealbatores*: Anglice *whitewashers*; cf. Matt. xxiii. 27 *similes estis sepulchris dealbatis*; Aug. *de Civ. Dei*, iii. 14 *Fallacia igitur tegmina et deceptoriae dealbationes auferantur a rebus.* 9 *principem* etc.: v. Isid. *Sent.* iii. 53 (Migne *P. L.* lxxxiii. 723) *Iustum est principem legibus obtemperare suis* etc. quem locum citant Ivo Carnot. *Decret.* xvi. 43 (Migne *P. L.* clxi. 914) Grat. *Decret.* I. ix. 2 (ed. Friedberg. i. 16). 10 *quod ei placet* etc.: v. Inst. Iustin. i. 2 § 6. 15 *In quo* etc.: Matt. vii. 2. 17 *mensura bona* etc.: Luc. vi. 38. 19 *dispensationem*: cf. (cum Gennrichio, *Die Staats- und Kirchenlehre Joh. von Salisb.* p. 41) Bernard. *de Consid.* iii. 4; *de Praecepto et Dispensatione*, c. 3 (Migne *P. L.* clxxxii. 769, 864). 24 *Nec eleuetur* etc.: Deut. xvii. 20.

d inquit, cor eius in superbiam super fratres suos. Quod
praecipue necessarium est, saepius replicat, eo quod humi-
litas numquam satis uidetur commendata principibus, et
difficillimum est ut gradus honoris tumorem non pariat in
animo imprudentis. Superbis utique resistit Deus et humi-
libus dat gratiam. Prouide ergo rex orat ne ueniat ei pes
superbiae, quia in eo ceciderunt qui operantur iniquitatem,
expulsi sunt nec potuerunt stare. Non itaque superbiat
super fratres; sed, cum fratrum meminerit, fraternum
subiectis omnibus impendat affectum. Et quidem prudenter
humilitatem cum discretione et caritate indicit principibus,
quia sine istis omnino subsistere non potest principatus.
Quisquis ergo gradum propriae celsitudinis amat, humili-
528 a tatis culmen in moribus diligentissime teneat. Nam qui
ab humilitatis operibus recedit, a dignitatis suae fastigio
tumoris pondere cadit. Obtinet enim perpetuo quia qui se
humiliat exaltabitur, et uice uersa qui se exaltat deprimetur.
Regem Romanorum nouissimum Tarquinium fecit esse
superbia, et ei ab humilitate magis necessarios substituit
magistratus. Denique quem superborum legisti regnare
diutius? Eorum namque, qui per superbiam ceciderunt,
historia copiosa est. Nec tamen eatenus superbiam uitet,
ut incidat in contemptum; quia sicut elatio, ita et abiectio
declinanda est. Vnde et in iure Romano cautum est ut qui
ius reddit, se quidem in adeundo facilem praebeat, con-
b tempni tamen non patiatur; mandatis quoque adicitur,
ne praesides prouinciarum in ulteriorem familiaritatem
prouinciales admittant, eo quod ex conuersatione aequali
contemptio nascitur dignitatis. Veneretur ergo in publico
populi maiestatem et apud se priuatae conditionis statum
pariter metiatur. Hoc ipsum antiquis philosophorum docu-

5 resistit utique C[1] 14 culmen] cultum A[2]SM in *om.* M 16 Optinet M 17 deprimetur] humiliabitur (uel deprimetur) P 22 hystoria M

5 *Superbis* etc.: Iac. iv. 6; 1 Petr. v. 5 (ex Prov. iii. 34). 6 *ne ueniat* etc.: v. Ps. xxxv. 12. 16, 17 *qui se humiliat* etc.: Luc. xiv. 11. 18 *Regem* etc.: cf. Val. Max. iv. 4 § 1. 19 *magis necessarios*: Anglice *more homely*. 24, 25 *qui ius reddit* etc.: v. Dig. i. 18 § 19.

mentis faciendum agnosce. Ad philosophum Taurum, Athenas uisendi cognoscendique eius gratia, uenerunt pariter Cretae prouinciae praeses et pater eius sed priuatus. Taurus uenientibus placide assurrexit, reseditque post mutuam salutationem. Allata est mox una sella, quae in promtu erat, et dum aliae promebantur apposita est. Inuitauit ergo Taurus patrem praesidis ut sederet. At ille: Sedeat hic potius qui populi Romani magistratus est. Absque praeiudicio tu, inquit Taurus, interea sede, dum [c] conspicimus quaerimusque quid conueniat, tene potius sedere qui pater es, an filium qui gerit Romani populi magistratum? Cum pater assedisset, appositumque esset aliud filio, super ea re Taurus his, qui conuenerant, uerbum fecit, cum summa boni, aequi, honorum atque officiorum perpensatione. Eorum uerborum sententia haec fere fuit. In publicis locis atque muneribus patrum iura cum filiorum, qui in magistratu aut potestatibus sunt collata, interquiescere paulum et coniuere. Sed cum extra rem publicam in domesticare atque uita sedeatur, ambuletur, in conuiuio quoque discumbatur familiari, tunc inter filium magistratum et patrem [d] priuatum publicos honores cessare, naturales et genuinos exoriri. Hoc ergo, inquit Taurus, quod ad me uenistis, quod nunc loquimur, quod de officiis dissertamus, priuata actio est. Itaque tu pater utere his honoribus prius, quibus quoque domi uestrae te uti priorem decet. Haec ego magistratibus generaliter persuadenda arbitror, ut in splendore publicae dignitatis memores sint propriae conditionis, et sic attendant propriae conditionis statum, ut non deuenustent publicae dignitatis gradum; sic etiam collati sibi honoris integritatem seruet, ut aliorum non minuat dignitatem; et sic priuata quisque polleat dignitate, ut non fiat iniuria publicae potestati.

1 phylosophum M 4 placide uenientibus A 6 promptu BAM 9 inquit taurus tu SM 11 populi romani A 17 *post* interquiescere *add.* et C²B 17, 18 et paulum C²AM 22 ergo] quoque BM : igitur S 25 domui M

1 *Ad philosophum . . . decet* (528 D): v. Gell. ii. 2 §§ 1–10.

a Cap. 8. *De moderatione iustitiae et clementiae principis, quae debent in eo ad utilitatem rei publicae contemperari.*

Obtineat ergo in principe quod debet in omnibus obtinere: Nemo quae sua sunt quaerat sed quae aliorum. Verumtamen ipsius affectionis modus, quo caritatis brachiis subiectos ut fratres amplexatur, moderationis limitibus clauditur. Sic et enim fratres diligit, quod errores eorum medicinaliter corrigit; sic in eis carnem agnoscit et sanguinem, ut ea spiritus subiciat ditioni. Medicorum utique consuetudo est ut morbos, quos fomentis et leuioribus medicinis curare nequeunt, grauioribus adhibitis igne puta uel ferro curent. Nec umquam utuntur grauibus, nisi b cum leuium beneficio desiderata sanitas desperatur; sic et potestas cum inferiorum uitia mansueta manu curare non sufficit, penarum acrimoniam dolens recte uulneribus infundit, et pia crudelitate seuit in malos, dum bonorum incolumitas procuratur. Sed quis sine dolore proprii corporis membra ualuit amputare? Dolet ergo cum exigentibus culpis uindictam exposcitur, eam tamen peragit inuita dextra. Sinistram namque non habet princeps et in cruciatu membrorum corporis, cuius ipse caput est, legi tristis et gemens famulatur. Philippus, cum audisset Phiciam quendam bonum pugnatorem alienatum animo sibi, quod tres filias inops uix aleret, nec a rege adiuuaretur, monentibus amicis ut eum caueret: Quid, inquit c Philippus, si haberem partem corporis egram, absciderемne potius quam curarem? Deinde familiariter secreto elicitum Phiciam accepta difficultate necessitatum domesticarum pecunia sufficienter instruxit ac meliorem fidelioremque habuit quam fuerit antequam crederetur offensus. Vt enim ait Lucius: Principem senem moribus esse oportet

4 Optineat ASM: optinere A 5 Verumptamen B 12 medicinis] disciplinis P 16 sufficicit M 24 phisciam CBSM 29 phisciam M

5 *Nemo* etc.: v. I Cor. x. 24; Philipp. ii. 4. 23 *Philippus* etc.: v. Frontin. *Strateg.* iv. 7 § 37. 24, 29 *Phiciam*: i. e. Pythiam. 32 *Lucius*: Quis fuerit iste Lucius, nescio.

et qui moderatiora sequatur consilia, et uicem gerere medicorum qui morbos curant nunc ex inanitione in obpletis, nunc refectione in uacuis, et dolorem sedant nunc cauterio, nunc fomentis. Praeterea sit in uerbo affabilis, munificus in beneficiis, et integrae auctoritatis seruet in moribus dignitatem. Famam namque benignitatis conciliat sermo bonus et lingua gratiosa. Amorem fidelissimum et con- d stantissimum etiam a durioribus extorquent beneficia et, quem fecere, fouent et solidant. Et morum dignitati debetur reuerentia subditorum.

Egregie quidem Traianus, gentilium optimus Augustorum, arguentibus eum amicis, quod in omnes nimium et ultra quam imperatorem deceat communis esset, respondit: Se talem uelle imperatorem esse priuatis, quales imperatores sibi esse priuatus optasset. Vnde et relatu Plinii Secundi ammonitus, qui tunc inter ceteros iudices persecutor Ecclesiae destinatus erat, a necc martirum persecutionis gladium reuocans, edictum temperauit. Et forte cum fidelibus egisset mitius, nisi decessorum suorum legibus et exemplis et prudentum (ut putabatur) consilio et auctori- 530 a tate iudicum ad delendam sectam hominum opinione publica superstitiosam et uerae religionis inimicam inuitaretur. Nec tamen usquequaque commendo iustitiam hominis qui Christum ignorabat, sed culpam ipsius extenuo, qui aliorum excedebat impulsu et ad beneficium miserendumque propriae pietatis agebatur instinctu, natura clemens in omnes, austerus in paucos quibus parcere nefas esset; adeo ut totius imperii sui curriculo unus dampnatus sit senatorum nobiliumue urbis, licet inueniantur plurimi in ipsum grauiter deliquisse. Hic autem a senatu dampnatus est, ignorante Traiano. Dicebat enim insanum esse qui, oculos

16 admonitus M 17 martyrum CBA

11 *Egregie* etc.: v. Eutrop. viii. 5 § 1. 15 *Vnde relatu* etc.: v. Oros. vii. 12 § 3. 18, 19 *cum fidelibus* etc.: cf. quae de bona intentione persecutorum habet Abaelardus, *Ethica seu Scito Te Ipsum*, cc. 12–14 (ed. Cousin, ii. 614 seqq.). 27 *adeo ut* etc.: v. Eutrop. viii. 4. 31 *Dicebat* etc.: Haec Traiani dicta alibi reperire non potui.

b si habeat lippientes, eos malit effodere quam curare. Aiebat et ungues, si acriores fuerint, resecandos esse, non auellendos. Si enim citharedus aliique fidicines multa diligentia procurant, quomodo oberrantis cordae compescant uitium, et eandem aliis unanimem reddant, faciantque dulcissimam dissidentium consonantiam, cordis non ruptis sed tensis proportionaliter uel remissis; quanta sollicitudine oportet principem moderari nunc rigore iustitiae, nunc remissione clementiae, ut subditos faciat quasi unanimes esse in domo et quasi discordantium in ministerio pacis et caritatis operibus unam faciat perfectam et maximam armoniam? Hoc autem certum est, quia tutius est cordas remitti intensius quam protendi. Remissarum namque intensio artificis peritia conualescit et debitam soni reddit gratiam; c sed quae semel rupta est, nullo artificio reparatur. Profecto, si sonus exigitur quem non habent, frustra tenduntur et saepe citius uenitur ad nullum quam ad eum qui nimis exigitur. Ait ethicus:

Est piger ad penas princeps, ad praemia uelox,
quique dolet, quotiens cogitur esse ferox.

Alterum namque iustitiae, alterum pietatis est, quae adeo principi necessariae sunt, ut quisquis sine illis non modo principatum sed quemlibet magistratum uendicat, frustra se ipsum irrideat, sed et aliorum in se prouocat risum contemptum et odium. Misericordia, inquit, et ueritas non te deserant, circumda eas gutturi tuo et scribe eas in tabulis cordis tui, et inuenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus. Gratia namque debetur d misericordiae, iustitiae disciplina. Vtique gratia et amor subiectorum, quam diuina producit gratia, optimum instrumentum est omnium gerendorum. Sed et amor sine disciplina non proficit, quia cessante iustitiae stimulo populus se in illicita resoluit. Meditatur ergo iugiter

3 citaredus S 5 reddant unanimem A[1] 9 facit A[1]

9 *unanimes in domo*: Ps. lxvii. 7 sec. versionem antiquam in Psalterio Romano seruatam; v. Sabatier *Bibl. Sacr. Lat. Vers. Ant.* ii. 131. 19 *Est piger* etc.: Ov. *Pont.* i. 2. 123, 124. 25 *Misericordia* etc.: Prov. iii. 3, 4. 33 *Meditatur* etc.: v. Ps. xxxvi. 30.

sapientiam, et de ea sic iustitiam operatur, quod lex clementiae semper est in lingua eius; et sic clementiam temperat rigore iustitiae, quod lingua eius iudicium loquitur. Officio namque eius iustitia in iudicium uertitur, ea quidem necessitate, ut uacare non liceat quin seipsum sibi collato destituat honore. Honor etenim regis iudicium diligit et delinquentium culpas tranquilla mentis moderatione compescit. De magistratuum moderatione librum fertur scripsisse Plutarcus, qui inscribitur Archigramaton, 531 a
et magistratum suae urbis ad patientiam et iustitiae cultum uerbis instituisse dicitur et exemplis. Hic autem seruum habebat, hominem nequam et contumacem sed liberalibus disciplinis eruditum egregie et exercitatum satis in disputationibus philosophicis. Contigit ut ob nescio quam noxam ei tunicam detrahi, caedique iuberet Plutarcus. Loro coeperat uerberari duriuscule, cum tamen infitiaretur culpam, dicens se nichil egisse mali, nichil sceleris admisisse, et obloquebatur se multis demeruisse obsequiis ut uapularet. Postremo, cum non proficeret, uociferari coepit et inter uapulandum iam non querimonias et gemitus eiulatusque sed uerba seria et obiurgatoria iaculabatur; nec ita se habere Plutarcum, ut philosophum deceret; irasci turpe esse, ei praesertim, qui de malo irae b
saepius dissertauerat librumque pulcherrimum scripserat de patientia. Adiciebat esse probrosum, quod doctrinam suam moribus impugnabat, eo quod a mentis integritate prolapsus, effusus et prouolutus in iram, plurimis plagis mulctaret innoxium. Ad haec Plutarcus, lente quidem

---

3 uigore SM: *utrum habere uoluerit A incertum est* 22 plutarchum M phylosophum M 23 diceret M ei esse M 24 pucherimmum C 28 multaret AM plutarchus M

---

4 *iustitia in iudicium uertitur*: v. Ps. xciii. 15. 6 *Honor regis* etc.: Ps. xcviii. 4. 9 *Archigramaton*: Nemo praeter Nostrum huius libri mentionem fecit; v. Schaarschmidtium, p. 124, qui Wyttenbachium secutus librum significari suspicatur qui nunc exstat et *Rei publicae gerendae praecepta* inscribitur, et Bernardakim cui in *Moralium* Plutarchi ed. Teubneriana vii. p. 193 'latere videtur nomen libelli qui inscriptus est πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον i. e. ἄρχ(οντα) ἀγράμματον, quasi *Arch. agrammaton.*' 11 *Hic autem . . . hoc age* (531 c): v. Gell. i. 26.

et leniter et summa cum grauitate: Numquid quod uapulas tibi irasci uideor? Estne ira mea, si a me debitum recipis? Ex uultune meo an ex uoce an ex colore an etiam ex uerbis ira me corruptum intelligis aut correptum? Michi quidem neque oculi opinor truces sunt neque os turbidum, neque immaniter clamo, neque in spumam ruboremque feruesco, neque pudenda dico aut penitenda, neque omnino
c trepido ira aut gestio. Haec omnia quippe, si nescis, signa irarum esse solent. Et simul ad eum qui caedebat conuersus: Interim, inquit, dum ego atque hic disputamus, tu hoc age; et sine iracundia mea retunde seruilem contumaciam, et iniquum penitere doceas quam iurgare. Sic Plutarcus. In quo nonnichil eruditionis relictum est omnibus qui in sullimitate sunt.

Cap. 9. *Quid sit declinare ad dexteram uel sinistram, quod princeps prohibetur.*

Sequitur: Neque declinet in partem dextram uel sinistram. Ad dextram declinare est uirtutibus ipsis uehementer insistere. Ad dextram declinare est in uirtutis operibus, quae in modo consistit, modum excedere. Omnis uero
d uehementia salutis inimica est, et excessus omnis in culpa; bonarumque rerum consuetudo nimia pessima est. Vnde ethnicus:

Insani sapiens nomen feret, aequus iniqui,
ultra quam satis est uirtutem si petat ipsam.

Et philosophus: Caue quod est nimium; quia, si haec ipsa cautela modestiam deserit, eo ipso a tramite uirtutis incaute recedit. Salomon quoque: Noli, inquit, esse

5 oppinor S 13 plutarchus M 14 sublimitate A 23 ethicus M

11 *et sine* etc.: quae sequuntur usque ad *iurgare*, apud Gellium desunt; v. Hertz. ad loc. (ed. mai. i. p. 115). 17 *Neque declinet* etc.: Deut. xvii. 20. 24 *Insani* etc.: Hor. *Ep.* i. 6. 15, 16. 26 *philosophus*: forsan ad Chilonem Lacedaemonium respicit, cui praeceptum *nihil nimium cupere* attribuit Plinius, *Hist. Nat.* vii. 32. 28 *Noli* etc.: Eccles. vii. 17 sic citat Ambrosius, *de Poen.* i. 1 § 2; *de obitu Theod.* § 25 (Migne *P. L.* xvi. 465, 1394).

nimis iustus. Quid ergo nimium prodest, si regina uirtutum iustitia in sui nimietate obest? Alibi quoque: Nimia humilitas maxima pars superbiae est. Ad sinistram declinare est per abrupta uitiorum a uia uirtutum declinare uel deuiare. Item deflectitur ad sinistram qui in subiectorum culpis nimis pronus est ad uindictam; et ad dexteram gressum torquet qui delinquentibus ex mansuetudine nimis 532 a
indulget. Iter autem utrumque deuium est; sed quod ad sinistram uergit perniciosius est.

Cap. 10. *Quid utilitatis de cultu iustitiae principes consequantur.*

Sed legitimae huius obseruantiae quaenam erit utilitas? Eam utique propheticus sermo protinus subdit. Ait enim: Vt longo tempore regnet ipse, et filius eius super Israel. Ecce quaenam tantae difficultatis futura sit merces, dum regna paterna filiis longo tempore protelantur. De uirtute namque parentum protenditur successio filiorum et succedentium felicitas ex decedentium iniquitate praeciditur. Nam Spiritus sancti certum est testimonio quia iniusti b
disperibunt simul et reliquiae impiorum interibunt. Salus autem iustorum a Domino est, qui protegit eos in tempore tribulationis. Sed cum eternitas totius temporis, quantacumque sit, per minutissima momenta deficiat, et in eo toto non nisi admodum breue momentum subsistat, quid in eo poterit esse longum, cum ea omnia, si colligantur in unum, uerae eternitati collata nec puncti quidem locum obtineant, eo quod finitorum ad infinita omnino nulla est comparatio? Certe centri ad periferiam uel circumferentiam, etsi exigua, aliqua tamen, ut pluribus placet, proportio est; eternitatis et temporis nulla. Quid ergo longum erit in eo quod totum breue est? aut quae beatitudo temporis animae

---

6 dextram A 12 legittime BS[1]: legittimae M

---

3 *Nimia humilitas* etc.: Quem citet Noster, nescio; cf. Arist. *Eth. Nic.* iv. 13 (1127 b. 29). 14 *Vt longo* etc.: Deut. xvii. 20. 19 *iniusti* etc.: Ps. xxxvi. 38, 39. 25 *cum ea omnia* etc.: cf. Boeth. *Consol. Phil.* ii, Pros. vii, 48 seqq.; *ibid.* iv, Pros. vi, 75, 76.

c uidebitur diuturna, si ea fidelis et perpetua anima est quantolibet tempore immenso caritura? Sed ego in loco isto, ut tamen sine praeiudicio sententiae sanioris dictum intelligatur, longi temporis regnum dici arbitror ipsius animae indeficientis etatem quam pro bene amministrato regno eternae beatitudinis gloria coronabit. Cum enim certum sit quod Deus remunerabit opera singulorum et omnium in misericordia uberi uel iustitia pleniori, quos lumine clariori respiciet quam illos qui omnes ad iustitiam exercent uel secum traxerunt ad mortem? Sicut ergo potentes potenter tormenta patientur, sic et iustitiae praemiis fruuntur plenius, si recte exercuerint potentatum;
d et tanto in futuro prae subditis habebunt gloriam, quanta uirtute eos in magna delinquendi licentia praecesserunt. Potuit, inquit, transgredi, et non est transgressus; facere malum, et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino. Ad iustitiam namque principibus reputatur etiam cum temperant ab iniuriis; et facultas delinquendi est eis materia meritorum. Declinare a malo in eis magnum est, etiamsi magna bona non faciunt, dum tamen subditos indulgentia malorum non perimant. Nonne magnum est quod beatitudinis quam habere uidentur, eis, si recte egerint, promittitur continuatio? Impossibile dicunt quidam et hic florere cum mundo et in eternum gaudere cum Christo; et sententia quidem uera est, si inter mundi flores reputes lenocinia uitiorum. Atqui et reges florere
533 a possunt et mundialium florum dulcissimos et utilissimos in eternum carpere fructus. Quid autem beatius est quam si de diuitiis ad diuitias, de deliciis ad delicias, de gloria ad gloriam principes transferantur, de temporalibus ad eterna?

5 aministrato B : administrato S

11 *potentes* etc. : Sap. vi. 7; cf. supra c. 6 (524 c). 15 *Potuit* etc. : Eccli. xxxi. 10, 11. 19 *Declinare a malo* etc. : v. 1 Petr. iii. 11.

Cap. 11. *Quae sit alia merces principum.*

Nec tamen quod litterae prima facies promittit excludo, quae et longi temporis regnum promittit patribus et eiusdem successionem protendit ad filios qui, sicut temporalis regni, ita erunt et eternae beatitudinis successores. Scio enim quia lex carnali populo loquebatur, qui cor adhuc habens lapideum, incircumcisus mente non carne, uitam ex magna parte nesciebat eternam, magnifaciens si ei bona terrae darentur uel promitterentur in cibum. b
Carnaliter itaque sapienti facta est promissio carnis, et ei promissa est diuturnitas temporis, qui nondum spem conceperat eternae beatitudinis, et temporale in successionem filiorum protenditur regnum illis qui nondum quaerebant eternum. Patri ergo temporaliter succedit filius, si patris iustitiam imitatur. Aufer, inquit Salomon, impietatem de uultu regis, et firmabitur iustitia thronus eius. Si enim a uultu, id est a uoluntate, recedit impietas, totius regni opera uirga aequitatis et cultu iustitiae diriguntur. Vnde illud: Rex qui sedet in solio iudicii dissipat omne malum intuitu suo. Ecce quanto priuilegio gaudeant principes, quibus (ut de eterna beatitudine taceam) perpetuatur regni gloria etiam in carne et sanguine suo. c
Gloriatur Dominus se uirum inuenisse secundum cor suum et, cum eum in regni apicem postmodum sullimasset, succedentium sibi filiorum curriculo regnum ei perpetuum pollicetur. De fructu uentris tui, inquit, ponam super sedem tuam; et: Si custodierint filii tui mandata mea quae iam dedi, et testimonia mea quae per me uel uicarios meos docebo illos, et ipsi et filii eorum sedebunt super sedem

---

12 aeternitate M 16 tronus A 24 sublimasset CBAS

---

6 *quia lex* etc.: v. Aug. *contra Adimantum*, xviii. 1; *contra Faustum*, iv. 2; *de Gestis Pelagii*, 5 § 14; *in Ioann. Tract.* xxx. 7 (Migne *P. L.* xlii. 162, 217–219, xliv. 328, xxxv. 1635, 1636). 6, 7 *cor lapideum*: v. Ezech. xi. 19. 7 *incircumcisus mente non carne*: v. Ezech. xliv. 7. 15 *Aufer* etc.: Prov. xxv. 5. 19 *Rex* etc.: Prov. xx. 8. 23 *uirum inuenisse* etc.: v. Act. App. xiii. 22 (ex 1 Reg. xiii. 14). 26 *De fructu* etc.: Ps. cxxxi. 11, 12.

tuam, et ponam in seculum seculi semen eius et thronum eius sicut dies celi. Si autem dereliquerint filii eius legem meam et in iudiciis meis non ambulauerint, si iustitias meas prophanauerint et mandata mea non custodierint,
d uisitabo in uirga iniquitates eorum, ut translato regno de gente in gentem et deletis his heredibus qui secundum carnem esse uidentur in semine, transferatur successio ad illos qui fidei et iustitiae inueniuntur heredes. In eoque promissionis subsistit ueritas, et rata permanent quae ex ore Altissimi processerunt, quod iustis regibus successione fidelium semen permanet in eternum. Hoc autem (ut ad praesens de Christo, qui factus ex semine Dauid secundum carnem rex regum est et dominus dominantium, nulla sit mentio) etiam secundum litteram perpetuo arbitror obtinere, ut succedant parentibus filii, si eos in mandatis Domini fideliter fuerint imitati. Adeo quidem ut, si omni-
534 a bus recte dispositis et in eo manentibus nulla uideatur esse sollicitudo uel officium praesidentis, constat his, qui semel principem admiserunt, de semine illius successorem non defuturum, etsi non ob aliud uel ad conseruandam sanguinis claritatem. Quod et historiarum liquet exemplis.

Fertur enim quod, cum magnus Alexander ultimum litus Occeani perlustraret, Bragmannorum insulam debellare parabat. Ad quem illi in his uerbis epistolam miserunt: Audiuimus, inuictissime rex, praelia tua et felicitatem uictoriae ubique subsecutam. Sed quid erit homini satis, cui totus non sufficit orbis? Diuitias non habemus, quarum cupiditate nos debeas expugnare; omnium bona omnibus communia sunt. Esca est nobis pro diuitiis, pro cultibus

---

1 tronum A 16 *post* Adeo *add.* si M 21 hystoriarum M: istoriarum S 23 bragmanorum AS 24 epistolam *om.* M

---

1 *et ponam* etc.: Ps. lxxxviii. 30–32. 12 *factus ex semine* etc.: Rom. i. 3. 13 *rex regum* etc.: Apoc. xix. 16. 22 *Fertur* etc.: Bragmanorum ad Alexandrum magnum epistolam quandam ap. Pseudo-Callisthenem, iii. 12 inuenies; in uersionem tamen, qua usus est Noster, alibi non incidi; nisi quod uerba *Feminae autem* etc. (534 B) usque ad *placeant* in *Historia Alexandri de praeliis* (impressa Argentinae a. 1486), usque ad *natae sunt* ap. Anon. *de Bragmanibus* (ed. Bissaei Lond. 1668, p. 90) leguntur.

et auro uilis et rara uestis. Feminae autem nostrae non b ornantur ut placeant; quem quidem ornamentorum cultum potius oneri deputant quam decori. Etenim nesciunt in augenda pulchritudine plus affectare quam quod natae sunt. Antra nobis duplicem usum praestant, tegumentum in uita, in morte sepulturam. Regem habemus non pro iustitia sed pro nobilitate conseruanda. Quem enim locum haberet uindicta, ubi nulla fit iniustitia? His uerbis motus Alexander nullam ratus uictoriam, si eorum pacem perpetuam turbaret, in quiete sua dimisit. Et forte, si eos bello fuisset aggressus, minime praeualuisset aduersus innocentes, eo quod innocentia non facile superatur et ueritas suis uiribus constans de malitia quantumuis armata triumphat. Sed, quia nichil est quod magis desiderent c homines quam ut in bonis suis habeant filios successores, ut qui propriam ex conditione praeuident mortem, in propagine carnis suae perpetuent uitam, hoc principibus est promissum, unde maxime possunt ad cultum iustitiae inuitari. Contingit enim eos, qui de se ipsis securi sunt, de statu filiorum iugiter esse sollicitos. In eoque minimum caritatis ordo seruatur, quod amorem, qui patriae parentibus praecipue debebatur, pater transfundit in filios, dum filialis affectus paterni pectoris cellam solus exhaurit. Condigna quoque uice respondent parentibus filii, eundem suis impertientes affectum, quo a parentibus accepti sunt; licet alium ordinem exigat caritas ordinata, quem poetarum doctissimus prudenter expressit. Senem namque Anchisem d euersa Troia in humeris pii filii collocauit, parentis Eneae dexteram dedit Aschanio, et marito coniunx Creusa cohesit, antecedentium pro muliebri infirmitate legens uestigia. Compatriotis omnibus ducem dedit, uirum armis et pietate

4 pulcritudine AS 5 dupplicem S 11 agressus S 13 militia M 21, 22 precipue amorem qui patrie parentibus A 29 dextram M ascanio M

1 *nostrae*: sic *Hist. de praeliis*; *nostrates* Anon. *de Bragm.* 2 *quem*: *quae* Anon. *de Bragm.* 3 *decori*: *honori* Anon. *de Bragm.* 4 *quod*: *om.* Anon. *de Bragm.* 26, 27 *poetarum doctissimus*: v. Verg. *Aen.* ii. 721–725.

praesignem. Alias enim dux esset inutilis, cum sine uiribus regna adquiri non ualeant aut sine iustitia retineri. Nunc uero omnium unica sollicitudo est, liberos, qualescumque sint, diuitiis et honoribus potius quam uirtutibus insignire. Negligitur etenim quod onus rei publicae imponatur. Expulso Superbo Tarquinio, qui regnauit in urbe nouissimus, cum Brutus primus consul liberos suos
535 a de reuocandis in urbem regibus agere cognouisset, eos protraxit in forum et in media contione uirgis caesos tandem securi percuti iussit, ut plane publicus parens in locum liberorum uideretur populum adoptasse. Ego quidem, etsi parricidium perhorrescam, consulis non possum non approbare fidem, qui maluit salutem liberorum suorum periclitari quam populi. Rectene fecerit, iudicent sapientes. Ego enim campum istum oratoribus late patere cognoui, et in eo declamatores in ancipiti materia saepius desudasse, dum in absolutione parricidii fides laborat et parricidalis impietas meritum fidei conatur extinguere. Quod si me ad sententiam urges, respondeo quod in causa Smirnensi Ariopagitas Gneio Dolobellae inuenio respondisse. Ad
b quem, prouinciam Asiam proconsulari imperio obtinentem, mulier Smirnensis adducta est, confitens se maritum et filium datis clam uenenis occidisse, eo quod illi filium eius ex altero matrimonio optimum et innocentissimum iuuenem exceptum insidiis nequiter occidissent, sibi licitum esse asserens ex indulgentia legum et ius ignorare et suam et suorum et totius rei publicae suae tam atrocem iniuriam uendicare. Ius extra causam erat, cum de facto constaret et de iure quaereretur. Cum ergo Dolobella rem in consilium deduxisset, non fuit qui in causa (ut putabatur) ancipiti manifestum ueneficium et parricidium auderet absoluere, uel uindictam, quae in impios et parricidas
c processerat, condempnare. Rem itaque ad Ariopagitas

5 puplicae M 21 optinentem ASM 24 eius *om.* M 28 uindicare CBASM 29 dorobella CBA 33 arriopagitas B

7 *cum Brutus* etc.: v. Flor. i. 9 § 5. 20, 21 *Ad quem* etc.: v. Gell. xii. 7. 26 *ius ignorare*: v. Dig. xxii. 6 § 9.

Atheniensium, tamquam ad iudices grauiores exercitatioresque, reiecit. At illi causa cognita actores et ream mulierem centesimo anno adesse iusserunt. Sic autem neque ueneficium, quod de lege non licuit, absolutum est, neque nocens punita mulier, cui ex sententia multorum uenia poterat indulgeri. Hoc ita fuisse nonus liber Memorabilium dictorum uel factorum Valerii Maximi docet. Ceterum et Brutum et mulierem deliquisse consentiam facile, eo quod

excesserit medicina modum, nimiumque secuta est,
qua morbi duxere, manum

et, licet magna fuerint crimina, praestantius fuerat eadem sine punientis crimine uendicari. Vnde et infelicitatis testimonium Bruto perhibet etiam poeta laudator; ait d
enim in sexto Virgilius:

Natosque pater noua bella mouentes
ad penam pulchra pro libertate uocabit
infelix, utcumque ferent ea facta minores.

At infortunium parricidii sic uersu sequenti excusat ut inanis gloriae arguat uanitatem, dicens:

Vincet amor patriae laudumque immensa cupido.

Sed, ne quis amodo Brutum imitetur, populum liberis praeferens, frustra sollicitaberis, cum uel uitia liberorum saluti rei publicae praeferantur, licet certum sit quod salutem populi liberis omnibus oporteat anteferri. In libro Regnorum arguitur Saul quod cum, uoto facto de diurno ieiunio sub discrimine illius qui ante noctem contra
uotum sumeret cibum, Ionathas filius eius mel quod sceptro, 536 a
id est, hasta tetigerat, praegustasset, paterno motus affectu contra religionis uotum pepercit filio; cuius praeuaricatione

---

12 uindicari CBASM 13 laudator poeta A 16 pulcra AS 18 At] Aut M 25 facto uoto M

---

7 *Valerii Maximi*: sc. Val. Max. viii. 1 ad fin. 9 *excesserit* etc.: Lucan. *Phars.* ii. 142, 143 (*excessit* etc.). 10 *manum*: sic pro *manus* legit in hoc loco Lucani Aug. *de Civ. Dei*, iii. 27. 12 *infelicitatis* etc.: v. Aug. *de Civ. Dei*, v. 18. 15 *Natosque* etc.: Verg. *Aen.* vi. 820–23. 24, 25 *In libro Regnorum*: v. 1 Reg. xiv.

populus Israel ea die uisus est corruisse. Heli quoque, licet sanctus in se fuisse legatur, quia filiorum pepercit uitiis, auersa sella fractis ceruicibus corruens expirauit. Vt de ceteris taceam, quantum quaeso publicam hominum dilexit et quaesiuit salutem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, ut quae merueramus uincla flagella crucem sustineret immunis et innocens morte turpissima condempnatus? Regum scrutare historiam, ad hoc petitum regem a Deo inuenies, ut praecederet faciem populi et b praeliaretur bella eorum et ad similitudinem gentium totius populi onera sustineret. Qui tamen non fuerat necessarius, nisi et Israel praeuaricatus esset in similitudinem gentium, ut Deo rege sibi non uideretur esse contentus. Si enim per se iustitiam coluisset, si in mandatis Domini fideliter ambulasset, pro nichilo humiliaret Deus hostes eorum et super tribulantes eos mitteret manum suam ut solito Dei auxilio unus persequeretur mille et duo fugarent decem milia.

Hospitem meum Placentinum dixisse recolo, uirum utique sanguine generosum, habentem prudentiam mundi huius in timore Domini, hoc in ciuitatibus Italiae usu frequenti celeberrimum esse quod, dum pacem diligunt et iustitiam colunt et periuriis abstinent, tantae libertatis et pacis c gaudio perfruuntur, quod nichil est omnino quod uel in minimo quietem eorum concutiat. Cum uero prolabuntur ad fraudes et per uarias iniustitiae semitas scinduntur in semet ipsis, statim uel fastum Romanum uel furorem

---

1 Hely BM 8 condemnatus S hystoriam M 14 iustitiam per se M 18 decem] x. M 21 ithalie S: ytaliae M 24 omnino est C^{1}S

---

1 *Heli* etc.: 1 Reg. ii. 29, iii. 13, iv. 18. 5 *qui proprio* etc.: Rom. viii. 32. 8 *Regum historiam*: v. 1 Reg. viii, xii. 17 *persequeretur* etc.: v. Deut. xxxii. 30. 19 *Hospitem* etc.: Quae sequuntur usque ad *consentaneum est* (536 D) citat Pauli *Mon. Hist. Germ. Script.* xxvii. p. 46. *Placentinum*: 'Inter mansiones quibus Angli Romam profecturi devertere solebant erat hospitium Placentiae; cf. Eadmerum SS. xiii. pp. 141, 146.' Pauli; v. Eadmeri *Hist. Nov.* ii. ed. Rule (*Rolls Series* 81) pp. 95, 241. Inepte quidam de Placentino iurisperito istius aetatis celeberrimo cogitaverunt; v. Savigny *Gesch. des Röm. Rechts in Mittelalter*, iv. p. 210, n. 4.

Teutonicum aliudue flagellum inducit Dominus super eos, et permanet manus eius extenta, donec ipsi ab iniquitate per penitentiam reuertantur; quo solo remedio apud illos omnis cessat tempestas. Adiciebat etiam quod merita populi omnem euacuant principatum aut eum faciunt esse mitissimum, cum e contrario certum sit quod propter peccata populi permittit Deus regnare hypocritam, et impossibile esse ut diu regno gaudeat qui populi humiliatione et proprio fastigio superbe nimis exultat. Sed illius dicebat d
protendi principatum, qui apud se de conscientia humilitatis semper in se angitur quasi regnet inuitus. Haec michi Placentinus hospes; et, ut credo, fidei consentaneum est.

Tale aliquid inuenitur in scriptis maiorum. Cum enim Helius Romae praefecturam splendidius ageret, ex senatore imperator creatus est; qui, eum obsecrante senatu ut filium Cesarem, quem habebat, Augustum appellaret: Sufficere, inquit, debet, quod ego ipse inuitus regnauerim cum non mererer. Principatus enim non sanguini debetur, sed meritis; et inutiliter regnat qui rex nascitur non meretur. Et proculdubio parentis affectum exuit qui paruulos suos importabili mole superiecta extinguit. Hoc quidem est suffocare liberos, non promouere. Alendi prius 537 a
sunt et in uirtutibus exercendi; et, cum in eo profecerint, ut probentur illos uirtutibus antecedere, quos debent honoribus anteire, inuitati ascendant et se ciuium suorum nequaquam subtrahant uotis. Quis enim illos ambigit

1 teuthonicum S: theutonicum M 7 hipochritam CB: ypochritam M 16 apellaret S 22, 23 sunt prius A 25 honore M

6, 7 *propter peccata* etc.: v. Iob xxxiv. 30. 14 *Helius*: Quo auctore hoc narraverit Noster, nescio; neque de quo imperatore intelligi debeat. Si de Helio i. e. Aelio Hadriano, constat illum sine prole mortem obiise: si de Antonino Pio (cui ut ab Hadriano in filium adoptato nomen erat Aelius), eum, quamquam a Gibbono (i. 3) ob liberos a dignitate imperiali exclusos laudatum, filiis iam mortuis tum primum in imperii societatem assumptum esse crediderunt Wenckius ad Gibboni loc., W. Ramsay in *Dict. Class. Biog.* s. v. Antoninus Pius. Cf. tamen *Hist. Aug.* v. 3 § 5 de Lucio Vero, Antonini Pii filio adoptato, cui *nec aliud honorificentiae adnomen adiunctum est quam quod Augusti filius appellatus est.*

aliis praeferendos, qui quasi naturali probitatis priuilegio ampliati maiorum titulis inuitantur ad uirtutem et eorundem beneficio futurae bonitatis aliis faciunt fidem? Haec ille. Et quidem eleganter priuilegium expressit principis, cui ex antiquo munere Dei succedunt filii indubitanter, nisi iniquitas subuertat principatum.

Cap. 12. *Ex quibus causis transferantur principatus et regna.*

Celebre est illud Sapientiae, quia regnum a gente in b gentem transferetur propter iniustitias et iniurias et contumelias et diuersos dolos. Nonne uides quam breui subuersum sit solium primi regis in populo Dei? Saul et Ionathas cum ceteris filiis exigentibus culpis in montibus corruerunt ut thronus illius qui de post fetantes electus est, firmaretur. Omnium historiarum percurre seriem et regum successiones in breui uidebis et quasi in exordio telae Domino praecidente succisas. Et quo reges fuerint clariores, eo citius, si aduersus Deum intumuerint, conculcatur semen eorum. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, certe nec fortitudo. Si ille insurgit, si persequitur, ad emendicata sacramentorum suffragia et ad praesidia munitionum frustra decurritur, c quia non est qui de manu illius possit eruere. Quis Alexandro maior in Grecia? Et tamen non suus legitur successisse sed filius saltatricis. Quis Cesareae domus seriem nescit? Rarus eorum aut nullus filium reliquit heredem, et omnes in breui post uaria pericula et caedes sui et suorum plurimas diuersis mortibus et fere ignominiosis quasi in momento deleti sunt et descendentes ad inferos successores habuerunt aut hostes aut ignotos. Quid

---

14 tronus A

---

9 *regnum* etc.: Eccli x. 8. 12 *Saul* etc.: v. 1 Reg. xxxi; 1 Paralip. x. 14 *qui de post* etc.: sc. David; v. Ps. lxxvii. 70. 19 *Non est sapientia* etc.: Prov. xxi. 30. 23 *non est qui* etc.: v. Deut. xxxii. 39; cf. Iob x. 7. 25 *filius saltatricis*: sc. Arrhidaeus; v. Iustin. ix. 8 § 2.

obsecro tam potentia regna tam cito subuertit et transtulit? Certe indignatio Dei quam in se multiplex iniustitia prouocabat. Est autem (ut Stoicis placet) iniustitia mentis habitus quae a regione morum exterminat aequitatem. Animam namque priuare iustitia uel ex priuatiua particula nominis declaratur. In eo autem maxime constat iustitia, si non noceas et ex officio humanitatis prohibeas nocentes. d
Cum uero noces, accedis ad iniuriam. Cum nocentes non impedis, iniustitiae famularis. Est autem contumelia, quando tumorem mentis in lesione alterius manifesta operis sequela comitatur. Eoque iniquitati seruit, quod in eum, cui reuerentia pro conditione officii uel naturae consortio debetur, insolenter insurgit. Dolus autem est (ut diffinit Aquilius) cum aliud agitur et aliud simulatur; malus utique, quotiens fit intentione nocendi. Differt autem plurimum dolus a contumelia, quoniam haec superbe et manifesto, ille fraudulenter et quasi ab insidiis nocet. Haec sunt quae, cum incurrunt, cathedras subuertunt 538 a
omnium potestatum, quia a contrariis perpetuatur principum gloria. Dolus namque ex timiditatis imagine infirmitatis notam habet, et fortitudini plurimum aduersatur. Contumeliam prudentia reprimit, ingeminans iugiter: Quid in terram et cinerem superbit terra et cinis? Iniuriam temperantia non admittit, nolens inferre alii quod sibi nollet ab alio irrogari. Et iniustitiam iustitia excludit, usquequaque faciens alii quod faciendorum uellet ab alio fieri sibi ipsi. Hae sunt quattuor uirtutes, quas philosophi cardinales appellant, eo quod a primo fonte honestatis quasi primi riuuli manare credantur et de se bonorum omnium fluenta propagare. Haec forte sunt quattuor

---

3 stoycis AM 10 *post* alterius *add.* in S 18 cum] tamen M 20 ymagine M 27 quatuor S: iiii^{or} M phylosophi M 28 apellant S 30 quatuor S: iiii^{or} M

---

3 *Est autem* etc.: Quo auctore haec referat Noster, nescio; cf. supra c. 2 (515 D). 6 *In eo* etc.: cf. Cic. *de Off.* i. 7 § 23. 13 *Dolus* etc.: v. Cic. *de Off.* iii. 14 § 60; cf. *de Nat. Deorum* iii. 30 § 74. 23 *superbit terra et cinis*: Eccli x. 9. 28 *honestatis*: v. Cic. *de Off.* i. 5 seqq. 30 *Haec forte* etc.: v. Aug. *de Gen.*

b flumina, quae de paradiso deliciarum Dei egrediuntur, ut irrigent omnem terram, quo fructum desiderabilem afferat in tempore suo. Vtinam et ad me de fonte uitae (diuinam gratiam loquor) huius plenitudinis pertranseant riuuli, ariditatis meae inebriantes terram, ut succrescente fructu bonorum operum, saltem declinare ualeam imminentis securis ictum, quae exigentibus culpis meis ad radicem meam quasi ad radicem infructuosae arboris posita est! Quodcumque lignum secus aquas istas positum est, non arescit; quod uero uel radicitus non humectant, dissoluitur et aridum perit tamquam puluis quem proicit uentus a facie terrae. Hic quidem non duces exceptos arbitror, non potentes, quia regum gloria transferetur, si iniusti
c iniuriosi contumeliosi inuenti fuerint aut dolosi. Os siquidem Domini locutum est. Verumtamen, saluo intellectu sapientiorum, non ab re est (ut opinor) quod nomina uitiorum locutione plurali exposuit, et in ipsa pluralitate diuersitatem quandam prudenter inseruit. Ait enim, ut praedictum est, quia regnum de gente in gentem transferetur propter iniustitias et iniurias et contumelias et diuersos dolos. Quod autem diuersos in fine subiecit, puto communiter ad omnia referendum et tam pleno concipiendum intellectu, ut non modo referatur ad diuersas species uitiorum sed et uarias figuras personarum complectatur et modos omnes quibus a quocumque haec uitia committuntur. Princeps enim tenetur de omnibus et omnium auctor esse uidetur quia, cum omnia possit corrigere, eorum
d merito particeps est quae noluit emendare. Cum enim potestas publica sit, ut praediximus, omnium uires exhaurit et, ne in se deficiat, incolumitatem omnium debet procurare membrorum. Quot autem in administratione principatus

12 Hinc A

contra Manich. ii. 10 § 14 (Migne *P. L.* xxxiv. 203); Greg. M. *Moral.* ii. § 76 in Iob i. 19 (Migne *P. L.* lxxv. 592). 6, 7 *securis* etc.: v. Matt. iii. 10. 9 *Quodcumque* etc.: v. Ps. i. 3, 4. 14, 15 *Os Domini* etc.: Isa. i. 20. 18, 19 *ut praedictum est*: v. supra (537 A, B). 29 *sit*: subaudi *princeps*. *ut praediximus*: v. supra iv. 1 (513 D).

extant officia, tot sunt principalis corporis quasi membra. Dum autem singulorum officia in integritate uirtutis et suauitate opinionis conseruat, quandam quasi membris sanitatem procurat et decorem. Cum uero ex negligentia aut dissimulatione potestatis circa officia sit uirtutis aut famae dispendium, quasi in membra eius morbi et maculae incurrunt. Nec diu subsistit incolumitas capitis, ubi languor membrorum inualescit.

EXPLICIT LIBER IIII.

---

1 exstant B 2 in *om.* S 9 Explicit Liber Quartus BAM

539 a

INCIPIT LIBER QUINTUS POLICRATICI.

PROLOGUS.

Non solent ad unguem grandia sine mora lustrari, nec facile est prouinciarum longitudinem et latitudinem in momento transcurrere. Sic res magna succincte quidem a sapiente interdum proponitur, sed numquam perfecte sub angustia sermonis nimia explanatur. Quid autem in humanis rebus maius est principatu, cuius officium quodammodo omnia circuit implet et penetrat et quasi robore uirtutis suae totius rei publicae molem portat? Eius itaque contemplatio tractum habet et moram exigit tum prae magnitudine sui tum prae uenustate quam in capite rei publicae iocundum est omnibus contemplari. Modesta ergo breuitate in inspiciendo corpore eius immoremur, et quid super
b hoc Plutarcus censeat audiatur. Nam deducta superstitione gentilium fidelis est in sententiis, in uerbis luculentus et in

---

1, 2 Incipiunt capitula Libri V. *et post capitula* Expliciunt capitula CBS: Incipiunt capitula libri quinti. *et post capitula* Expliciunt capitula libri quinti M: Incipit Liber V Prologus C: Incipit prologus libri V (Quinti M) BM: Incipit Liber Quintus AS   7 in *om.* M   14, 15 plutarcus super hoc C^1S: Plutarchus M

---

15 *Plutarcus*: Nonnisi in hoc loco Ioannis exstat quidquam de *libello qui inscribitur Institutio Traiani* (infra 540 A). Qui Plutarcho ipsi dum minime attribuendus est, plane tamen a temporibus in quibus adhuc florebat religio antiquior non est alienus. Auctorem nescio quem de Plutarcho hodie non exstantem habuisse Nostrum ex *Policr.* viii. 13, 19 (764 B, 792 A) suspicatus sum; v. *Classical Review* Iul. 1897 (xi. p. 306). De *Institutione Traiani* sententia Wyttenbachii (quam citavit Bernardakis in ed. Teubner. tom. vii. p. 183) haec est (Praef. ad Plutarchum p. lxix): 'librum illum ab incerto homine Latinum fuisse factum e Graeco: Graecum fuisse confarcinatum e Plutarcheis *Apophthegmatibus* et aliis Plutarchi libris: nam Latina quamvis inficeta interpretatio, tamen habet rerum satis certa indicia quae Plutarchum prodant: ex his igitur laciniis aliquis posterior Graeculus istam *regiam Institutionem Traiani*, sub nomine Plutarchi, composuit.'

sacrario morum tantus arbiter ut facile praeceptorem Traiani possis agnoscere. Si quid autem apud eum a fide dissentit aut moribus, tempori potius quam uiro adscribatur. Si enim Virgilio licuit aurum sapientiae in luto Ennii quaerere, quae inuidia est ea, quae ad eruditionem nostram a gentilibus scripta sunt, nostris communicare? His ergo omissis ad reliqua procedamus.

Cap. I. *Epistola Plutarchi instruentis Traianum.*

Extat Epistola Plutarchi Traianum instruentis, quae cuiusdam politicae constitutionis exprimit sensum. Ea dicitur esse huiusmodi: Plutarcus Traiano salutem dicit. Modestiam tuam noueram non appetere principatum, quem c tamen semper morum elegantia mereri studuisti. Quo quidem tanto dignior iudicaris, quanto a crimine ambitionis uideris esse remotior. Tuae itaque uirtuti congratulor et fortunae meae, si tamen recte gesseris quem probe meruisti. Alioquin te periculis et me detrahentium linguis subiectum iri non dubito, cum et ignauiam imperatorum Roma non ferat, et sermo publicus delicta discipulorum refundere soleat in praeceptores. Sic Seneca Neronis sui merito detrahentium carpitur linguis, adolescentium suorum temeritas in Quintilianum refunditur, et Socrates in pupillum suum fuisse clementior criminatur. Tu uero quiduis rectissime geres, si non recesseris a te ipso. Si primum te com- d posueris, si tua omnia disposueris ad uirtutem, recte tibi procedent uniuersa. Politicae constitutionis maiorum uires tibi exscripsi, cui si obtemperas, Plutarcum uiuendi habes

11 Plutarchus M 21 adholescentium A 27 exscripsi] expressi M optemperas A

1, 2 *praeceptorem Traiani*: cf. Suid. *Lex.* s. v. Πλούταρχος (ed. Gaisf. 3014). 4 *Virgilio*: v. Donat. *Vita Vergil.* c. 18. 5 *quae ad eruditionem* etc.: cf. Rom. xv. 4. 16 *quem*: sc. *principatum*. 21 *adolescentium suorum* etc.: Quintiliano constat ex *Instit. Orat.* iv prooem. § 2 Domitianum sororis suae nepotum, quos paruulos adhuc sui successores destinaverat (Suet. *Dom.* § 15), delegavisse curam. Puerorum istorum patrem Flavium Clementem tantum non in ipso consulatu (Suet. loc. cit.) ob atheismum, id est (ut videtur), Christianismum interemit Domitianus; v. Dion. Cass. lxvii. 14; de pueris ipsis nihil ultra novimus. 22 *pupillum suum*: sc. Alcibiadem.

auctorem. Alioquin praesentem epistolam testem inuoco, quia in perniciem imperii non pergis auctore Plutarco.

540 a Cap. 2. *Quid res publica secundum Plutarcum, et quid uicem animae in ipsa obtineat aut membrorum.*

Sequuntur eiusdem politicae constitutionis capitula in libello qui inscribitur Institutio Traiani, quae pro parte praesenti opusculo curaui inserere, ita tamen ut sententiarum uestigia potius imitarer quam passus uerborum. Est ergo primum omnium ut princeps se totum metiatur et quid in toto corpore rei publicae, cuius uice fruatur, diligenter aduertat. Est autem res publica, sicut Plutarco placet, corpus quoddam quod diuini muneris beneficio animatur et summae aequitatis agitur nutu et regitur quodam moderamine rationis. Ea uero quae cultum
b religionis in nobis instituunt et informant et Dei (ne secundum Plutarcum deorum dicam) cerimonias tradunt, uicem animae in corpore rei publicae obtinent. Illos uero, qui religionis cultui praesunt, quasi animam corporis suspicere et uenerari oportet. Quis enim sanctitatis ministros Dei ipsius uicarios esse ambigit? Porro, sicut anima totius habet corporis principatum, ita et hii, quos ille religionis praefectos uocat, toti corpori praesunt. Augustus Cesar eo usque sacrorum pontificibus subiectus fuit donec et ipse, ne cui omnino subesset, Vestalis creatus est pontifex et paulo post ad deos relatus est uiuus. Princeps

2 plutharco S: plutarcho M   3 plutarchum BS *in r. c. p.* M   4 optineat A   21 corporis habet A   25 deos] eos AM

11 *Est autem res publica* etc.: cf. Abaelard. *Epit. Theol. Christianae* c. 29 (ed. Cousin ii. 578) *Vnde et Apostolus Ecclesiam quasi quoddam animae describit habens caput suum, ipsum scilicet Christum, oculos spiritales praelatos qui aliis praesident, manus ipsos operatores, pedes ipsos minores qui ad corpus portandum necessarii sunt.*   17 *uicem animae* etc.: cf. Ivon. Carnot. *Ep.* cvi. (Migne *P. L.* clxii. 125), *quantum ualet corpus nisi regatur ab anima, tantum ualet terrena potestas nisi informetur et regatur ecclesiastica disciplina*; v. Gierke *Das deutsche Genossenschaftsrecht* iii. pp. 112, 526, 547.   24, 25 *Vestalis pontifex*: id est, pontifex maximus: cf. Ov. *Fast.* iii. 698, 699 de Iulio Caesare *Cum sic a castis Vesta locuta focis: Ne dubita meminisse! meus fuit ille sacerdos*; ibid. v. 573, 574 de eodem dixisse narratur Augustus *Si mihi bellandi pater est Vestaeque sacerdos Auctor.* Neque est ab hac re alienus ille versus Horatii (*Carm.* iii. 30. 8, 9) *dum Capi-*

uero capitis in re publica optinet locum uni subiectus Deo et his qui uices illius agunt in terris, quoniam et in corpore humano ab anima uegetatur caput et regitur. Cordis c locum senatus optinet, a quo bonorum operum et malorum procedunt initia. Oculorum aurium et linguae officia sibi uendicant iudices et praesides prouinciarum. Officiales et milites manibus coaptantur. Qui semper adsistunt principi, lateribus assimilantur. Quaestores et commentarienses (non illos dico qui carceribus praesunt, sed comites rerum priuatarum) ad uentris et intestinorum refert imaginem. Quae, si immensa auiditate congesserint et congesta tenacius reseruauerint, innumerabiles et incurabiles generant morbos, ut uitio eorum totius corporis ruina immineat. Pedibus uero solo iugiter inherentibus agricolae coaptantur, quibus capitis prouidentia tanto magis necessaria est, quo plura inueniunt offendicula, dum in obsequio d corporis in terra gradiuntur, eisque iustius tegumentorum debetur suffragium, qui totius corporis erigunt sustinent et promouent molem. Pedum adminicula robustissimo corpori tolle, suis uiribus non procedet sed aut turpiter inutiliter et moleste manibus repet aut brutorum animalium ope mouebitur. Ponit in hunc modum more suo quam 541 a plurima, quae diligentius diffusiore tractatu prosequitur, ad informationem rei publicae et magistratuum eruditionem; quae omnia sillabatim exequi seruilis interpretationis est quae potius affectat speciem quam uires auctoris exprimere. Et quia apud ipsum de cerimoniis et cultura deorum plura,

1 obtinet SM   2, 3 humano in corpore C[1]: in humano corpore BSM   4 obtinet CBSM   11 ymaginem M   20 corpore M

tolium Scandet cum tacita virgine pontifex. Pontificis maxime erat virgines Vestales capere et in eas, si quid commiserant, animadvertere: nam urbis focum publicum custodiebant virgines Vestales quasi regis filiae, cuius vicem in sacris obtinebat pontifex maximus. Etiam post fundatum ab Aureliano *pontificatum solis* pontifices Vestales seu Vestae appellati sunt qui e collegio pontificum antiquo erant. Vide de hac re Marquardt *Römische Staatsverwaltung* (ed. 1885) iii. p. 238, n. 5; cf. pp. 83, n. 5, 89, n. 6, 245; Mommsen *Römisches Staatsrecht* (ed. 1887) ii. p. 23, n. 3.   8 *lateribus*: *Sic enim assessores et consiliarios consueuerat appellare* Eugenius III papa, ut ait Ioannes Saresb. in *Hist. Pontif.* c. 21 (Pertz. *Mon. Germ. Hist. Script.* xx. 533); cf. S. Bernard. *de Consideratione* (ad ipsum Eugenium) iv. 4 (Migne *P. L.* clxxxii. 778).

quae religioso principi putabat ingerenda, superstitiosius disputata sunt, his omissis quae ad idolatriae cultum pertinent, perstringamus breuiter sensum hominis quo principem et officia rei publicae ad cultum iustitiae informabat.

Cap. 3. *Quae praecipue uersentur in intentione Plutarchi; et de reuerentia exhibenda Deo et rebus sacris.*

b In summa ergo quattuor sunt quae nititur rei publicae principibus inculcare: reuerentiam Dei, cultum sui, disciplinam officialium et potestatum, affectum et protectionem subditorum. Deum ergo in primis asserit honorandum; deinde seipsum colendum unicuique ut, secundum quod Apostolus sentit (licet ille Apostolum non agnoscat), unusquisque uas suum possideat in sanctificatione et honore; post ut doctrinam praepositi totius disciplina domus redoleat et tandem uniuersitas subiectorum de capitis praepositorum sibi incolumitate letetur. Magnorum quoque uirorum strategemmatibus et strategemmaticis utitur, quae, si per singula inserantur, tediosa erunt lectori et pro parte a fidei nostrae sinceritate recedent. Ceterum, quia sancti
c patres et principum leges illius deducta tamen perfidia uidentur inherere uestigiis, doctrinam eius sermone catholico et succincto, adiectis ex parte strategemmaticis eius, attingamus. Porro ei initium a reuerentia numinum est, nobis a Deo, qui ab omnibus generaliter amandus est et

8 quatuor S: iiiior M 25 adeo CB

13, 14 *unusquisque* etc.: v. 1 Thess. iv. 4. 17, 18 *Magnorum uirorum*: sc. imperatorum quorum facta narrat Frontinus. 18 *strategemmatibus et strategemmaticis*: v. Frontin. *Strat.* i. praef. iv. praef. De uocabuli *strategematicon* origine consule Gundermannum in praefatione editionis Teubnerianae p. xiii. Frontini libro, quem inter annos p. Chr. 84–101 scriptum esse constat, nihil ex temporum computatione ortum prohibet quominus usus sit Plutarchus; sed potius credendum est *strategematica* pro quibuscumque memorabilium ab imperatoribus factorum dictorumque collectionibus usurpavisse Ioannem, qualem apud Plutarchum invenies in libello *Apophthegmatum* ipsi Trajano dicato, quo, ut supra diximus, usum esse *Institutionis Traiani* auctorem suspicatus est Wyttenbachius. 23 *eius*: sc. Plutarchi. 25 *amandus* etc.: v. Luc. x. 27.

colendus ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus uiribus suis. Probatio uero dilectionis exhibitio operis est; et, licet per se ipsum possit amari, tamquam qui citra opem medii se infundat amanti, tamen ad cultum exteriorem alicuius medietatis interuentus necessarius est, eo quod Deum nemo uiderit umquam. Videndi uero nomen ad appellationem omnium sensuum utriusque naturae dilatabis, quia praesentialiter et pure non sentiet eum homo et uiuet, d nisi forte ea sensuum parte quae corporis nescit angustias nec defectum temporis sentit sed uiuacitate sui ex gratia permanet in eternum; caritatem loquor, quae non euacuatur sed proficit quanto ad eum, quem desiderat, familiarius accedit. Nam fides uelum habet et spes de gratiae meritique fomento conscientiam demulcente uoti sui letitiam in futura protendit. Fides itaque et spes imitantur quidem sensum, subsistunt tamen citra agentes interim quasi per speculum et in enigmate donec, earum specie immutata, ueritatis substantia plenarie illucescat. Qui uero nullo potest sensu perspicue uideri, facile nequit agnosci; quod autem non cognoscitur, diligenter coli non potest nisi per medium. Vnde et Numam Pompilium cerimonias quasdam 542 a legimus indixisse Romanis et sacrificia, ut sub immortalium deorum praetextu ad colendam pietatem religionem et fidem et cetera, quae eis intimare uolebat, ipsos facilius inuitaret. Testantur hoc ancilia atque Palladium, sacra quaedam imperii pignora; Ianus bifrons, belli et pacis arbiter; focus Vestae uirginibus consecratus, quo in honore celestium syderum flamma custos imperii iugiter uigilaret. Sed et annus in menses duodecim dilatatus, fastorum et nefastorum dierum uarietate depictus, pontifices, augures,

7 apellationem S 14 conscientia M 20 cognoscitur] agnoscitur M 29 xii S: xiicim M

6 *Deum* etc.: v. Ioann. i. 18, 1 Ioann. iv. 12. 8 *non sentiet* etc.: v. Exod. xxxiii. 20. 11 *caritatem* etc.: v. 1 Cor. xiii. 8. 16, 17 *per speculum* etc.: v. 1 Cor. xiii. 12. 21 *Vnde et Numam* etc.: v. Flor. i. 2. 26 *bifrons*: *Ianumque geminum* Florus, sed Iordanes Ravennas c. 95 (*Mon. Germ. Hist. Auct. Antiq.* vi. p. 11) Florum alias secutus *Ianumque bifrontem* habet.

et sacerdotiorum uarii ritus, quibus ita barbariem occupauit, ut ab iniuriis temperarent, feriarentur ab armis, iustitiam colerent, et ciuilem sibi inuicem impertirent affectum;
b eoque ferocem redegit populum, ut imperium, quod ui (ut dicitur) et iniuria occupauerat, iustitiae et pietatis legibus feliciter gubernaret. Sed quid profero Numam, cum et patres fidei nostrae ueteris legis sacrificia asserant instituta, ne in demoniorum cultu populus occupatus uerae religionis dedisceret cultum, ritu gentium sacrificia sua demoniis immolans et non Deo? Colitur ergo Deus aut affectu mentis aut exhibitione operis. Sed affectus dilectionis ipsum pure attingit, licet aliquo sensu corporis uel animae, dum peregrinatur a Domino et mens mole corporis praegrauatur, plene nequeat comprehendi; et certe eo amatur ardentius et studiosius quaeritur, quo altitudo et immensitas diuitiarum potentiae et sapientiae suae omnem exsuperat
c intellectum; uirtute tamen tanta omnem creaturam circuit penetrat implet et protegit, ut nequaquam latere ualeat quamlibet rationabilem creaturam. Ipsa quoque irrationabilia ipsum esse et talem esse et tantum plurimis indiciis protestantur. Miro itaque modo sic intelligentiam sui infundit ut subtrahat; sic subtrahit ut infundat; et secundum mensuram beneplaciti sui sic operatur in singulis ut, cum intensionis et remissionis uices ignoret, etsi non per essentiam, qua omnem replet uniformiter creaturam, plus uel minus uideatur inesse per gratiam. Nam per unionem in solo unigenito Virginis Filio esse fideliter approbatur. Est itaque nunc quasi singula in singulis

---

8 cultum A

---

7 *patres fidei nostrae*: v. Hieron. *Comm. in Isa.* i. 1 (in Isa. i. 12) *Comm. in Ierem.* ii. 7 (in Ierem. vii. 21) *Comm. in Ev. Matt.* i. 6 (in Matt. vi. 34) Aug. *Tract. in Ioann.* x. 2 § 4 (Migne *P. L.* xxiv. 34, 733; xxvi. 40; xxxv. 1468); cf. Iren. *contra Haer.* iv. 15 § 2 (Migne *Patr. Graec.* vii. 1014) Tertull. *adv. Marcion.* ii. 18 (Migne *P. L.* ii. 306). 13 *peregrinatur a Domino*: v. 2 Cor. v. 6. 15 *altitudo* etc.: v. Rom. xi. 33, Philipp. iv. 7. 26 *plus uel minus* etc.: v. Aug. *Ep.* clxxxvii. (*de praesentia Dei*) praesertim cap. 5 §§ 16, 17 (Migne *P. L.* xxxiii. 837, 838).

futurus, ut scriptum est, omnia in omnibus electis. Et, d sicut natura ignis, collatione tamen dispari, quoniam ei nichil potest pariliter comparari, a sole diuersos pro corporum diuersitate producit effectus, sic illa (si tamen magna maximis conferre liceat) in multis multipliciter lucet. Solaris siquidem radius, si forte incidat in carbunculum, egrediens aut reuerberans rutilus uicinum facit aerem rutilare. Idem ignis in smaragdo uirescit, firmamento puriori in saphiro conformatur. Iacincti quoque speciebus efficitur concolor. In topazio, qui quo rarior eo pretiosior est, omnium fere colore superbit. Si ei Yrim obicias, Thaumantiadis repraesentabit imaginem. Aquae superiectus undat in lacunari sed et ignem celestem in subposita traicit per berillum. Vides igitur in multis quam multa sit ignis. Sic in aliis est prudentia, fortitudo 543 a
in aliis, temperantia in quibusdam, in quibusdam iustitia, in nonnullis fides, longanimitas spei in aliis; in his feruor est caritatis, hic patientia laborum, illic dolorum consolatio, alibi perseuerantia bonorum operum; quae tamen singula in singulis est unus et idem Deus. At in futuro, quando immediata facie per gratiam eius uidebimus eum sicuti est, omnia in omnibus erit, quando nulli ad beatitudinem alicuius uirtutis substantia deerit, cum ipse in omnibus futurus sit plenitudo uirtutis et cumulus beatitudinis; adeo quidem ut iuxta traditionem patrum tanta maiestatis

---

9 saphyro M 10 topatio M 12 thaumaciadis M ymaginem M 13 celestem ignem A 14 supposita AM trahicit CBS 17 hiis S

---

1 *omnia in omnibus*: 1 Cor. xv. 28. 2 *ei*: sc. Deo. 4 *illa*: sc. natura Dei. 8, 9 *firmamento* etc.: v. Exod. xxiv. 10; cf. Marbod. *de Gemmis* § 5 (Migne *P. L.* clxxi. 1743) de sapphiro, *puroque simillima caelo.* 9, 10 *Iacincti speciebus*: cf. Marbod. § 14 *Iacinti species docti tres esse loquuntur; Nam sunt granati, sunt citrini, uenetique.* 10 *In topazio* etc.: cf. Bed. *in Apoc. xxi.* 20 (Migne *P. L.* xciii. 200) *Topazius lapis quantum inuentione rarus tantum mercium quantitate pretiosus est*; Marbod. § 13 *Qui quanto rarus, tanto magis est pretiosus.* 11 *Yrim* etc.: v. Plin. *Hist. Nat.* xxxvii. 136; Solin. 33 § 20; Isid. *Orig.* xvi. 13 § 6 (Migne *P. L.* lxxxii. 578); Marbod. § 47. 13 *sed et ignem* etc.: cf. Bed. loc. cit. de berillo, *tenentis manum adurere dicitur*; Marbod. § 12 *Dicitur et sese stringentis adurere dextram.* 21, 22 *uidebimus eum sicuti est*: 1 Ioann. iii. 2.

suae plenitudine uideatur adesse electis, ut nichil eis desit in ulla gratia, et ipse fere solus uideatur in illis, et illius
b nomine censeantur, salua ueritate substantiae et sine omni uersibilitate naturae. Hinc forte est illud: Exultabunt sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis; cum sibi tunc peruia credantur esse corda sanctorum, et unusquisque non modo in sua sed et in omnium conscientia glorietur. Sicut enim ignis, ut in praedicta moremur similitudine, ferri naturam penetrat et accendit, ut nichil cernatur in eo nisi ignis et, sicut solaris radius illustrans aerem, solis uel radii censetur nomine, sic Deus omnes replebit electos, ut omni infirmitate et mutabilitate absorta cum mortale immortalitatem et corruptibile incorruptibilitatem induerit, Deus fere solus in omnibus agnoscatur. Ad hanc nonnulli
c sententiam referunt quod angeli, iam futurae beatitudinis nostrae participes, uisi adorantur ab hominibus eo quod in eis uisa est quaedam praesentia deitatis, cum tamen creaturam a creatura adorari omnino non liceat. Sic etiam in facie Saluatoris aliquid deitatis resplenduit, quando de funiculis facto flagello uendentes et ementes eiecit de

---

11 electos replebit A

---

3 *salua ueritate substantiae*: v. Aug. *de Natura et Gratia* c. 33 (Migne *P. L.* xliv. 265) *Si autem aliqui putant tantum nostrum futurum esse prouectum, ut in Dei substantiam conuertamur et hoc efficiamur prorsus quod ille est . . . . mihi hoc fateor non esse persuasum.* 4 *Exultabunt* etc.: Ps. cxlix. 5; ubi *cubilia* de *cordibus* sanctorum interpretatur Aug. *Enarr. in Psalmos* (Migne *P. L.* xxxvii. 1955). 8 *Sicut enim ignis* etc.: cf. Ioann. Scot. *de Divisione Naturae* v. 36 (Migne *P. L.* cxxii. 961) de igni et lapide qui asbestus dicitur. Vsitatissima apud theologos mysticos est similitudo corporis materiati a sole illuminati qua significetur hominis Deo uniti status: cf. Ioann. Scot. *de Div. Nat.* v. 8, Tauler. *Serm. in Dom. xix. post Trin.* (*Opp.* ed. Colon. 1548 p. 317) de aere, S. Ioann. de Cruce *Subida del monte Carmelo* (*Bibliot. de Aut. Españ.* xxvii. p. 23) de fenestra vitrea. 12 *cum mortale* etc.: v. 1 Cor. xv. 53. 15 *sententiam* etc.: v. Aug. *Quaest. in Heptat.* i. 37 (Migne *P. L.* xxxiv. 558); ob aliam causam angelos ante incarnationem Christi non prohibuisse quominus ab hominibus colerentur, docet Gregorius M. *Moral.* xxvii. 29 in Iob xxxvi. 33, *Homil. in Evang.* viii. in Luc. ii. 1–14 (Migne *P. L.* lxxvi. 415, 1104). 19, 20 *quando de funiculis* etc.: v. Ioann. ii. 15 seqq. Divinitatis maiestatem in facie Christi uendentes et ementes de templo eiicientis luxisse asserunt pseudo-Beda *Hom.* cviii. (Migne *P.L.* xciv. 512) et Rupertus Tuitiensis in Ioann. ii. 15 (Migne *P. L.* clxix. 294).

templo, docens omnem negotiationem exterminandam esse a domo orationis. In aliis uero etsi assit diuinitatis praesentia, plenitudo eius in praesenti nequaquam adest sed usquequaque latere non potest. Est igitur in maiestate mirabilis, uenerabilis in sapientia, a bonitate amabilis, et hunc cultum citra omnem medietatem potest ei fidelis impendere creatura. Quid enim necesse est ad hoc, ut eum timeamus ueneremur et diligamus? Et hic est forte d funiculus triplex inter creatorem et creaturam qui facile solui non potest. Sed omnium tenacissima est uis amoris. Caritas siquidem numquam excidit, qua si quis adheret Deo, unitur ei et cum eo unus spiritus est; utique qui unitur ei et sic, ut unus spiritus sit, familiaris est et ab obsequio eius, quod est in spiritu, arceri non potest. Ille autem cultus qui in exterioris operis exhibitione consistit, medio indiget, eo quod ad spiritum corporalis nobis non patet accessus; quod et illum planum est docuisse, qui in Samaritana Ecclesiam instruens ait: Spiritus est Deus, et eos qui uolunt adorare, in spiritu et ueritate oportet adorare. Vt tamen ad thronum illius quocumque modo humilitatis nostrae conscendat infirmitas et aliquam habeat 544 a materiam meritorum, sensualiter coli uoluit qui sensum dedit; et qui animam glorificabit et carnem, utriusque fidelem expetit famulatum. Se quoque uoluit etiam corporaliter honorari ut quantauis tarditas infidelitatis aut negligentiae excusationem non habeat.

Cap. 4. *De reuerentia personarum et rerum, et quot modis persona sit uenerabilis.*

Reuerentia ergo quae corporaliter impenditur, aut in personis consistit aut in rebus. Personarum uero ratio

8 forte est M 11 Karitas SM 14 arceri] argui B 20 tronum A 27 *post* reverentia *add.* et C²AS *in indice* personarum et rerum] rerum personarum C¹S¹ *in indice* 29 Deuerentia M

9 *funiculus triplex* etc.: v. Eccles. iv. 12; quem locum plerique de Trinitate interpretati sunt, nemo autem (quod sciam) praeter Nostrum de timore, ueneratione, dilectione. 11 *Caritas* etc.: v. 1 Cor. xiii. 8, vi. 17. 18 *Spiritus est Deus* etc.: Ioann. iv. 24. 19 *uolunt adorare*: *adorant* Vulg. 29 *Reuerentia*: Ad *Institutionem Traiani* reverti videtur.

habetur aut a natura aut ab officio aut a moribus aut a conditione aut a fortuna. Natura parentes ueneramur et liberos et quos nobis caro coniunxit, utputa uxorem b cognatos et affines. Vnde et gentium iure receptum est, eo quod peraeque fit apud omnes gentes. Ad hoc etiam et diuino iure urgemur qui scriptum nouimus: Honora patrem tuum et matrem, ut sis longeuus super terram; et: Qui patri uel matri maledixerit, morte morietur. Liberos non multum oportuit commendari, eo quod nemo carnem suam odio habuerit; sed nec uxorem, propter quam homo patrem relinquit et matrem, adherens uxori suae, ut sint duo in carne una. Non tamen in hac parte diuinae legis mandata desunt, etsi propter naturae stimulum, qui satis urget, rarius inserantur, protenduntur tamen ad cognatos et affines quos per se natura commendat.

Officium uero est debitum exequendi quae unicuique c ex institutis aut moribus agenda sunt. Ex eo namque personis singulis proprii congruunt actus. In his autem quae sic agenda sunt, alia ad publicum, alia ad suum cuiusque pertinent statum. Ex quo liquet officiorum quaedam publica, quaedam priuata conuenienter dici. Priuatorum uero tanta multiplicitas est quanta fere est diuersitas personarum. Publica quidem omnia referuntur ad duas species; aut enim a diuino aut ab humano iure descendunt. Haec autem ex libris Officiorum latius patent, sed pertinent ad praesentem articulum ut publicis officiis reuerentia impendatur. Tanta namque debetur eis quanta est eminentia cuiusque magistratus. Hanc quidem aut facit aut d indicat uniuscuiusque competens iurisdictio, cum reuerentia magistratuum aut contemptus redundet in honorem aut contumeliam subiectorum. Vnde in constitutionibus principum, magistratuum edictis aut promulgationibus per

---

10 habuit M   15 *post* et *add.* ad M   28 cuiuslibet SM

---

6 *Honora* etc.: Exod. xx. 12, xxi. 17; v. Matt. xv. 4.   9 *nemo carnem* etc.: Eph. v. 29, 31.

prolemsim fit plurium conceptio personarum, ut non tam personae quam uniuersitatis tota constitutio uideatur esse uel quaeuis alia promulgatio. Hoc etiam iura uel canones ignoranti ex usu cotidiano perspicuum est. Porro rationem officiorum non modo canonum et legum scita sed et ethicorum omnium praecepta exequuntur.

Mos autem est mentis habitus ex quo singulorum operum assiduitas manat. Non enim si quid fit semel aut amplius, statim moribus aggregatur, nisi assiduitate faciendi uertatur in usum. Hic autem uirtutes et uitia aeque complectitur, 545 a licet uitia non mores esse sed a plerisque dicantur moribus obuiare. In quo planum est solas uirtutes censeri nomine morum, cum bonos tamen aut malos dicimus mores, uitia distinguimus et uirtutes. Vnde *moratos* a bono siue *morigeros*, *morosos* uero a uitiis nominamus. Quod et ipsum plenitudinis nomen uidetur innuere, cum nulli in carne contingat adesse satietatem morum et multis assit superfluitas uitiorum. Cum itaque a moribus quis reuerentiam contrahere dicitur, ei uirtutes, quibus honor exhibendus est, inesse significatur. Quis enim non ueneretur et uereatur illum quem prudentem fortem temperantem credit et iustum? Hinc est etiam consilium sapientis ei qui timeri appetit amari honorari et praeferri, ut Deum timeat b amet ueneretur et ei se tota deuotione submittat.

Conditionem quidem esse diffiniunt fortuitum personae statum, quo aut aduersis deprimitur aut extollitur prosperis, et alterutrius sortis naturam sui ipsius facie protestatur.

---

1 plurium fit M 6 exequntur S: exsecuntur M 9 agregatur S

---

1 *prolemsim*: quae est, ut dicit Marius Plotius in *Art. Gram.* i. (Keil *Gramm. Lat.* vi. p. 456), 'cum, antequam res vel personae finiuntur, numerus terminatur, ut *interea reges, ingenti mole Latinus.*' Idem exemplum dat Donatus (Keil iv. p. 397). Numero plurali sic in constitutionibus utuntur principes, etsi superscribatur nomen unius tantum viri, scilicet ipsius principis, ut universitatis civium videatur esse constitutio. 25 *Conditionem* etc.: Hanc definitionem non alibi reperire potui; apud Senecam, cuius nomen in marg. cod. A appositum est, nihil tale exstat praeter *Dialog.* ix. (*de Tranquillitate Animi*) 11 § 10 *Scito ergo omnem condicionem uersabilem esse.*

Quale est quod alios ueneramur ingenuos, aliis seruiles contumelias irrogamus. Istorum diuitias colimus; illorum contempnimus paupertatem.

Naturam diffinire difficile esse asserit Tullius. Ego difficilius credo diffinire fortunam, eo quod huius nulla, illius aliqua substantia est. Natura siquidem rebus originem praebet; quod nequaquam esset, si in ueritate ipsa non esset. Quod enim omnino non est, alicui praestare non potest ut sit. At fortuna cum non sit, non potest c diffiniri. In eo siquidem quod non est, non potest cuiquam constare quid sit.

Efferant Epicurei praecipuas sententias suas, quas kiriadoxas uocant, quibus totius philosophiae putant seruire processum, et more suo fortunae subiciant uniuersa. Ego in hoc, sicut et in plurimis, Plutarcum censeo audiendum, qui deam cecam colendam esse negat, asserens eam nisi a cecis coli non posse. Multa quoque proponit exempla, quibus liquet omnes cecae deae cultores cecatos et praecipitatos tandem in foueam exterminii. Testatur hoc Galba, qui, totam etatem luculenter producens in senium, huius deae familiaritate et cultu in breui elatus et in breuiori praecipitatus est. Qualiter autem, apud Suetonium d quaere. Queritur tamen praefatus philosophus et in aure iam dicti principis lacrimabiliter ingemiscit, quod haec uitio cecitatis et temeritatis probrosa dea et omnibus ignominiosa numinibus omnium deorum templa fedauerit et deorum omnium praeripuerit cultum, ut praeter edes

---

12, 13 kyriadoxas AM 13 phylosophiae M 15 plutarchum M 23 phylosophus M 24 *post* ingemiscit *add.* et M

---

4 *Naturam* etc.: v. Cic. *de Invent.* I. 24 § 34. 12, 13 *kiriadoxas*: sc. *κυρίας δόξας*; v. Cic. *de Fin.* 2. 7 § 20. 15 *Plutarcum*: in *Institutione Traiani*; cf. Plut. *de Fortuna* c. 2 (98 A, B) *ποῖον δ' οὐκ ἀναιρεῖται βουλευτήριον πόλεως . . . εἰ ὑπὸ τῇ τύχῃ πάντ' ἐστίν, ἣν τυφλὴν λοιδοροῦμεν, ὡς τυφλοὶ περιπίπτοντες αὐτῇ; τί δ' οὐ μέλλομεν, ὅταν ὥσπερ ὄμματα τὴν εὐβουλίαν ἐκκόψαντες αὐτῶν τοῦ βίου τυφλὴν χειραγωγὸν λαμβάνωμεν;* 20 *Galba*: v. Suet. *Galba* 4, 18. 23 *praefatus philosophus*: Plutarchus. 24 *principis*: Traiani.

priuatas, quas in orbe et urbe passim habet, rupem etiam Tarpeiam occupauerit, suppremo Ioui coaequata, et publicae fortunae imago aurea in Capitolio ab aduenis conuenis et indigenis publice adoretur; et tantam prae ceteris habet auctoritatem, quod in tota ratione mortalium (ut dici solet) sola utramque paginam uidetur implere. Videas eam ibi rotam uersare uolubilem, quodque magis mirere, eiusdem rotae impulsu de pectore Iouis sororum pensa praecipitat et conculcat; quisquis enim fortunam statuit, fata con- 546 a
uellit.

Fata (inquit Stoicus) regunt homines; fatum est in partibus illis
quas sinus abscondit.

Huic paradoxae Stoicorum kiriadoxa Epicuri reclamat. Fatalem, inquit, tolle necessitatem, quia

si fortuna uolet, fiet de rethore consul;
si uolet haec eadem, fiet de consule rethor.

Ceterum, ut cum fortuna minus agamus, sit inopinatorum euentuum forma et, licet conditioni uideatur plurimum uicinari, eo quod fortuitorum concursus statum efficiat, quam conditionem esse praediximus, in eo tamen plurimum differt, quod conditio nunc a natura, nunc ab officio, nunc a moribus est, nunc a uariis figuris euentuum, fortuna b
semper consistit in his quae improuisa emergunt. Eam usquequaque nititur euacuare Plutarcus et ex praemissis

---

2 supremo SM 3 ymago M 14 stoycorum A kyriadoxa AM

1, 2 *rupem Tarpeiam* etc.: v. Plut. *de Fortuna Romanorum* c. 10 (322 C, F) Σέρβιος δὲ Τύλλιος ... ἱδρύσατο ... Τύχης ἱερὸν ἐν μὲν Καπετωλίῳ κ.τ.λ.; *publicam* etsi non appellet huiusce templi deam, templum tamen *fortunae priuatae* in alio loco sitam esse statim subiungit Plutarchus; cf. *Quaest. Rom.* 74 (281 E); *Anthol. Latina* (ed. Buechel. ii. p. 117) *Tu quae Tarpeio coleris uicina Tonanti* ... *Fortuna* cum nota Buecheleri ad loc. 5 *in tota ratione* etc.: v. Plin. *Hist. Nat.* ii. 7 § 22. 7 *quodque magis* etc.: Hanc allegoriam suffrigidam (ut ita dicam) non alibi inueni; cf. tamen quae narrat Mart. Capella 1 § 64 de Adrastia, i. e. Nemesi, quam sunt qui cum Fortuna eandem faciant. 11 *Fata* etc.: Iuv. *Sat.* ix. 32, 33. *in*: *et* Iuv. 16 *si fortuna* etc.: Iuv. *Sat.* vii. 197, 198; cf. supra iii. 8 (489 D).

quattuor locis, naturae, officii, morum, conditionis, totius reuerentiae manare credit originem. Superstitiosius tamen hoc infidelium more exequitur; unde nonnullas sententias eius sensu et sermone catholico curaui inserere. Ille quidem in cultu deorum eos praecipue asserit uenerandos, qui ei familiarius et uicinius accedunt aut natura, ut Liber Indorum domitor, Hercules qui eo ipso in se Iouem protestatus est, quod angues iugulauit in cunis; aut officio, ut pontifices praefectosque sacrorum; aut moribus, ut philo- c sophos, qui mentis diuinae haustum inuestigatione et dispensatione sapientiae indicant; aut conditione, ut quos fauor numinis extulit ut aliis praeessent ex causa potius familiari quam officio publico.

Sermo quidem perfidus est et omni reprobatione dignus, sensusque uerborum qui philosophum non deceret. Sed forte quid de natura deorum sentiret, in auribus corrupti populi proloqui non audebat qui legerat combustos esse libros philosophi Pitagorae et ipsum actum esse in exilium ab Atheniensibus eo quod dubitauerat an de diis uera essent quae uulgo dicebantur. Quid ergo contrarium auderet asserere qui nec ipsam dubitationem erroris nouerat impunitam? Est itaque uerisimile quod morem auditoribus gesserit et, ut eos ab illicitis reuocaret, aliquid indulsisse errori. Nam d in doctrina morum luculentissimus est. Eoque huic opinioni facilius adquiesco, quod Apostolus gentium fide tamen et religione incolumi omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. Nos autem, quibus de celo ueritas illuxit, non deorum, qui nulli sunt, sed ueri Dei ministris et amicis magnam reuerentiam credimus exhibendam; sed et inimicis eius interdum, quoniam hoc ipse praecepit qui saepe maxi-

1 quatuor CAS : iiii^{or} M 9, 10 phylosophos M 15 phylosophum M 18 phylosophi M pytagorae M : protagore S

9 *praefectos sacrorum* : Sic dictos sacerdotes non nisi apud Tusculanos exstitisse testantur inscriptiones; v. Marquardt *Röm. Staatsverwaltung* (ed. 1885) iii. p. 476. 18 *Pitagorae* : potius Protagorae; v. Cic. *de Nat. Deor.* i. 23 § 63. 25 *Apostolus gentium* : v. Rom. xi. 13. 26 *omnibus omnia* etc. : v. 1 Cor. ix. 22.

mam ad eruditionem suorum pessimis hominibus contulit potestatem. Vnde illud: Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum, siue regi quasi praecellenti siue ducibus tamquam ab eo missis ad uindictam malefactorum laudem uero bonorum. Et illud: Serui, subditi estote dominis uestris, non tantum bonis et modestis sed etiam 547 a
discolis.

Amici quidem Dei fiunt aut gratia, cessantibus meritis, ut Hieremias et Iohannes sanctificati antequam nati et gemma sacerdotum Nicholaus quarta et sexta feria semel lactens in cunis; aut meritis ex gratia, ut qui facili uia bonorum operum, sicut penitens latro, uel difficili et felici transitu merentur regna celorum, uelut apostolorum chorus et martirum. Hos autem tres ordines innuit Maro:

Facilis descensus Auerni;
noctes atque dies patet atri ianua Ditis;
sed reuocare gradum superasque euadere ad auras,
hic opus, hic labor est; pauci, quos aequus amauit
Iupiter aut ardens euexit ad ethera uirtus,
diis geniti potuere.

Quos ergo morum elegantia diuinae uidemus bonitati con- b
formes, debemus tamquam uerissimam et fidelissimam Dei imaginem uenerari.

Ministri uero sunt quos dispositio diuina uocauit ut corripiendo et corrigendo uitia aut uirtutes inserendo aut propagando suam et aliorum procurent salutem. Qui uero ei in iure humano ministrant, tanto inferiores sunt his qui ministrant in diuino quantum diuinis humana cedunt.

14 martyrum CB 21 ergo *om.* A 23 ymaginem M

2 *Subiecti* etc.: 1 Petr. ii. 13, 14. 5 *Serui* etc.: 1 Petr. ii. 18. 9 *Hieremias*: v. Ierem. i. 5. *Iohannes*: v. Luc. i. 15. 10 *gemma sacerdotum*: cf. Chevalier *Repert. Hymn.* ii. 133 ubi citatur hymnus qui incipit *Nicolae praesulum gemma*; Breviarium ad usum eccl. Sar. (ed. Procter & Wordsworth iii. 26) *Nicholaus honor sacerdotum. Nicholaus* etc.: *Nam infans, cum reliquos dies lac nutricis frequens sugeret, quarta et sexta feria dumtaxat idque uesperi sugebat, quam ieiunii consuetudinem in reliqua uita semper obtinuit*; sic in Breviario Romano legitur in festo S. Nicolai in secundo nocturno; rem fusius narratum inuenies ap. Surium in *Vit. SS.* (ed. Ven. 1581) vi. 255. 12 *penitens latro*: v. Luc. xxiii. 40–43. 15 *Facilis* etc.: Verg. *Aen.* vi. 126–131. 18 *hic opus*: *hoc opus* Verg.

Cap. 5. *Quae pena immineat his qui ministris ecclesiae locorumque uenerabilium iniurias inferunt; et de priuilegiis locorum uenerabilium; et quod absolutio nec per uim extorqueri nec surripi potest per fraudem.*

In his autem qui iura diuina ministrant, Deus prae c ceteris honoratur aut spernitur, cum illorum honorem aut contemptum proprium reputet. Hinc est illud: Ego dixi: Dii estis; et: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Ipsa quoque Veritas ait: Qui uos audit, me audit; qui uos recipit, me recipit, et qui uos spernit, spernit eum qui me misit; et: Qui tangit uos, tangit pupillam oculi mei.

Illa uero reuerentia, quae in rerum ueneratione consistit, multiplex est. Aut enim corporales res sunt, ut edes et loca sacra et quae piis dicantur usibus et sacrificia quae uisibiliter exercentur; aut incorporales, ut iura quae sacris rebus competunt, quae temerare sacrilegium est morte pian- d dum aliaue pena grauissima pro qualitate admissi. Rerum ergo sacrarum immunitates conuellere, insurgere in Deum est et quasi uendicare eum in seruitutem. Et quidem de iure diuino pro se possent multa proponi, sed ut emulae potestatis non obloquatur audacia, in hac parte statuta principum latius et benignius patent, quae fidem Christianam uenerantur et approbant et ecclesiarum et ministrorum omniumque locorum uenerabilium priuilegia uniuersa confirmant. Quis enim principis, cuius memoria in benedictione est (Archadium loquor), constitutionem non audiuit? Si quis in hoc genus sacrilegii prorupit, ut in ecclesias catholicas irruens sacerdotibus et ministris uel in ipso culto loco aliquid importet iniuriae, quod geritur a prouinciae

1 hiis S 25 *post* uenerantur *om.* et M 30, 31 cultu locoue M

7 *Ego dixi* etc.: Ps. lxxxi. 6. 8 *Labia* etc.: Malach. ii. 7. 10 *Qui uos audit* etc.: Luc. x. 16; Matt. x. 40. 12 *Qui tangit* etc.: Zach. ii. 8. *tangit*: *tetigerit* Vulg.; cf. Sabatier *Bibl. Sacr. Lat. Vers. Antiq.* ii. 987. 27, 28 *cuius memoria in benedictione est*: de Moyse, Eccli xlv. 1. 29 *Si quis* etc.: Cod. Iustin. i. 3 § 10.

rectoribus animaduertatur, atque ita prouinciae moderator a
sacerdotum et catholicae Ecclesiae ministrorum loci quoque
illorum et diuini cultus iniuriam capitali in conuictos siue
confessos reos sententia nouerit uendicandam. Nec expe-
ctet ut episcopus iniuriae propriae ultionem deposcat, cui
sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit, sitque cunctis lauda-
bile factas atroces sacerdotibus aut ministris iniurias ueluti
publicum crimen persequi ac de talibus ultionem mereri.
Item: Placet clementiae nostrae ut nichil commune clerici
cum publicis actionibus habeant uel ad curiam pertinenti-
bus, cuius corpori non sunt adnexi. Et alibi: Si ecclesiae
uenerabilis priuilegia cuiusquam fuerint uel temeritate
uiolata uel dissimulatione neglecta commissum quinque
librarum auri condempnatione plectatur. Quae uero priui- b
legia ecclesiarum locorumque uenerabilium et ministrorum
sunt, diuino fiunt et humano iure notissima, cum uel usu
iam liqueat quod non possunt nisi apud iudices ecclesiasti-
cos conueniri; et si quis in aliquem de clero uiolentas
manus iniecerit, anathemate feriatur, ut nisi per Romanum
pontificem absolui non possit. Huius criminis alibi frustra
quaeritur uenia, nisi articulus mortis forte immineat, quia
nec per uim extorqueri nec surripi potest per fraudem.
Auctore Claudiano Theodosius ait:

Non extorquebis amari;
hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.

Nichilominus uerum est quia non extorquebis absolui, quod
sola contritio cordis, confessio oris, et satisfactio operis
promerentur. Vtique non uis sed gratia sola iustificat c
impium, et fraus peccatori non prodest, quia Spiritus sanctus
disciplinae effugit fictum nec habitat in corpore subdito

---

3 conuictos] coniunctos M 4 uindicandam CBAS: uindicandum M 13 quinque] v. CBAS

---

9 *Placet* etc.: Cod. Iustin. i. 3 § 17. 11 *Si ecclesiae* etc.: Cod. Iustin. i. 3 § 13. 18 *si quis in aliquem* etc.: v. Conc. Lateran. a. 1139 c. 15 in Grat. *Decret.* II. xvii. 4. c. 29 (Friedberg i. 822). 24 *Non extorquebis* etc.: Claudian. *Panegyr. de IV Cons. Honorii* 282, 283. 27 *sola contritio* etc.: cf. Grat. *Decret.* II. xxxiii. 3 = *de Poen.* cc. 37, 40 (Friedberg i. 1167, 1168). 29 *Spiritus sanctus* etc.: Sap. i. 5, 4.

peccatis. Alibi me dixisse recolo quia (teste magno patre Augustino) simulata innocentia non est innocentia sed duplex malitia, quia et malitia est et simulatio. Aequitas quoque simulata non est aequitas sed duplex iniquitas, quia et iniquitas est et simulatio. Vnde immoderato stupore confundor, cum frequentissime uideam nescio fideles an infideles dicam in sacrilegio huiusmodi deprehensos ad hoc totis uiribus hanelare ut minis et terroribus urgeant sacerdotes ad absolutionem praestandam quam nec isti fideliter
d dare nec illi in contumacia utiliter accipere possunt. Sane facilius est utrumque inuolui quam alterum istorum expediri. Vtrius tamen culpa sit grauior non facile dixerim. Haec de his quae in politica constitutione Plutarchi uicem animae obtinent.

Cap. 6. *De principe qui caput est rei publicae, et electione eius, et priuilegiis, et praemio uirtutis et culpae; et quod beatum Iob debeat imitari; et de uirtutibus beati Iob.*

Sequitur ut eius imitantes uestigia de membris rei publicae dispiciamus. Dictum est autem principem locum obtinere capitis, et qui solius mentis regatur arbitrio. Hunc itaque, ut iam dictum est, dispositio diuina in arce rei publicae collocauit et eum nunc archano prouidentiae suae
549 a misterio ceteris praefert, nunc quasi suorum iudicio sacerdotum, nunc ad eum praeficiendum totius populi uota concurrunt. Vnde et in Veteri Testamento legitur quia Moyses, ordinaturus eum qui praeesset in populo, conuocauit omnem synagogam ut eligeretur astante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Legitur in libro Regnorum quod Saul rex futurus apparens in facie

3 quoque *om.* A 8 anelare A 14 optinent A 15 capud AM 20 despiciamus C[2]BM[1] 21 optinere A 27 eum ordinaturus M 28 sinagogam BA

2 *simulata innocentia* etc.: Aug. *Enarr. in Ps. lxiii.* 7 (Migne *P. L.* xxxvi. 765). 26 *in Veteri Testamento*: v. Num. xxvii. 18 seqq. 30 *in libro Regnorum*: v. 1 Reg. ix. 2.

populi ab humeris sursum supereminebat uniuersum populum. Quare, quaeso, nisi quia quem oportet praeesse aliis, pectore debet et ore prominere ut quasi bonorum operum ulnis totius populi latitudinem amplexari ualeat et protegere tamquam doctior sanctior circumspectior et omni uirtute praestantior? Dicit enim Dominus ad Moysen: Assume ad temetipsum Iesum filium Naue, hominem qui b habet Spiritum Dei in semetipso, et impones manus tuas super eum et statues coram Eleazaro sacerdote et praecepta ei dato in conspectu totius synagogae et praecipe de ipso coram eis et dabis claritatem tuam super illum ut audiant illum filii Israel. Audis euidenter ordinationem principis populi tam manifeste descriptam ut pene expositione non egeat. Si eam tamen manifestius quaeris, eam tibi auctore Domino, suo loco et tempore cum praeceperis, explanabo, adiciens indumentorum et quorundam sacramentorum significationes. Hic autem plane nulla est populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contemplatio est. Mortuo Salphaat filiae paternam c apud Moysen uendicant hereditatem. Petitionem earum iustam esse Deus ipse testatur; propinquis namque agrorum et praediorum hereditas relinquenda est et ut plurimum actionum. Gubernatio uero populi illi tradenda est, quem Deus elegerit, homini scilicet tali qui habet Spiritum Dei in se et praecepta Dei in conspectu eius sunt, qui Moysi ualde notus sit et familiaris, id est, in quo sit claritas legis et scientia, ut possint eum audire filii Israel. Nec tamen licitum est fauore nouorum recedere a sanguine principum quibus priuilegio diuinae promissionis et iure generis debe-

---

10 sinagoge A : sinagogae S

---

2 *quia quem oportet* etc.: v. Orig. *Hom. in Lev. viii.* 4, 5 in versione Ruffini quae apud medii aevi auctores Hieronymo attributa est (Migne *Patr. Graec.* xii. 469); eundem locum citat Gratianus *Decret.* II. viii. 1. c. 15 (Friedberg i. 594, 595). 6 *Dicit enim* etc.: v. Orig. *Hom. in Num. xxvii.* 18 *seqq.* in vers. Ruffini (Migne *Patr. Graec.* xii. 744, 745); eundem locum citat Gratianus *Decret.* II. viii. 1. c. 16. 19 *Mortuo Salphaat* etc.: v. Num. xxvii. 1–6. 23 *actionum*: sc. munerum publicorum; v. Forc. ed. de-Vit s. v. *actio* 5; *Thes. Ling. Lat.* s. v. *actio* I. 2; Du Cange s. v. *actio* 1.

tur successio liberorum, si tamen (ut praescriptum est) d ambulauerint in iustitiis Domini. Si uero a uia paulisper defluxerint, non statim usquequaque deiciuntur, sed patienter corripitur iniustitia, donec fiat conspicuum eos pertinaces esse in malo. Neque enim Roboam statim excussus est a solio patris, ex quo, seniorum contempto consilio, recessit a uia Salomonis, onus importabile uolens imponere in humeris filiorum Israel. Verumtamen cissum est regnum eius, recedentibus decem tribubus post Hieroboam seruum Salomonis, fueruntque regna diuisa, dum regnum habuit Iuda uel Israel. Sensit ergo de contumacia penam, de gratia Dei et priuilegio sanguinis misericordiam, ut rex quidem maneret sed magna regni parte mutilatus. Vnde hoc illi? Quia adheserat consiliis iuuenum, con-
550 a tempnens uias et praecepta prudentiae. Impossibile enim est ut salubriter disponat principatum qui non agitur consilio sapientum. Ve, inquit, terrae cuius rex puer est et cuius consiliarii mane comedunt; beata terra cuius rex nobilis est et cuius principes uescuntur tempore suo ad refectionem non ad luxuriam; ibi etenim sapientia esse non potest. Hinc sanctus Iob: Sapientia ubi inuenitur, et quis est locus intelligentiae? Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter uiuentium. Non aequabitur ei labentium quicquam, trahitur enim sapientia de occultis. Longe utilius iuuenes reppulisset, adquiescens consilio seniorum, uitam beati Iob habens regnandi formam. Audi
b ergo quid de se fateatur: Quando procedebam ad portam ciuitatis et in platea cathedram parabant michi; uidebant me iuuenes et abscondebantur, et senes assurgentes stabant; principes cessabant loqui et superponebant digitum ori suo; uocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adherebat. Auris audiens beatificabat me, et oculus uidens

3 deflexerint SM 6 *post* patris *add.* sed B 8 scissum AM
9 x. S : x^cem M 20 enim M 30 supponebant M

5 *Roboam*: v. 3 Reg. xii. 17 *Ve terrae* etc.: Eccles. x. 16, 17. 20 *ibi*: sc. in regno ubi princeps consilio sapientum non agitur. 21 *Sapientia* etc.: Iob xxviii. 12, 13. 23 *Non aequabitur* etc.: v. Iob xxviii. 17, 19. 24 *trahitur* etc.: Iob xxviii. 18. 25 *reppulisset*: sc. Roboam. 27 *Quando procedebam* etc.: Iob xxix. 7–22, 24, 25.

testimonium reddebat michi, eo quod liberassem pauperem uociferantem et pupillum cui non erat adiutor. Benedictio perituri super me ueniebat, et cor uiduae consolatus sum. Iustitia indutus sum, et uestiui me, sicut uestimento et diademate, iudicio meo. Oculus fui ceco et pes claudo. Pater eram pauperum, et causam, quam nesciebam, diligentissime inuestigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam praedam. Dicebamque: In nidulo c
meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies. Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea; gloria mea semper innouabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur. Qui me audiebant, sententiam expectabant, et intenti tacebant ad consilium meum. Verbis meis addere nichil audebant, et super illos stillabat eloquium meum. Si quando ridebam ad eos, non credebant, et lux uultus mei non cadebat in terram. Si uoluissem ire ad eos, sedebam primus; cumque sederem quasi rex exercitu circumstante, eram tamen merentium consolator. Ecce regnandi in uiro iusto ex magna parte expressa est formula, d
quam si per singula exequi uoluerimus, integri libri magnitudinem insertarum uirtutum series uel sola complebit. Diligens lector singula uerba discutiet, quia in his omnibus nec iota nec apex a misterio salutis uacat. Pauca tamen quae in ipsa superficie uerborum eminent, quanta potero breuitate perstringam. Quando, inquit, lauabam pedes meos butiro et petra fundebat michi riuos olei; cum in parata cathedra residerem in platea, abscondebantur iuuenes et michi senes astabant. Innuit ergo quia rerum affluentia gratiarumque concursus ei prudentiam non excusserint, sed in his omnibus ex conscientia et testimonio bonorum operum auctoritas inconcussa permansit. Egrediebatur enim ad portam qui latebris non egebat, et qui docendi promeruerat sedem, senum prudentiam erigebat leuitate iuuenili ab- 551 a
scondita. Cessabant loqui principes, et lingua ducum gutturi adherebat, non audentes grandia loqui, et imponere

23 mysterio M 26 butyro M 30 hiis S

23 *nec iota nec apex*: v. Matt. v. 18. 25 *Quando lauabam* etc.: v. Iob xxix. 6 seqq. 35 *imponere* etc.: v. Matt. xxiii. 4.

in humeris hominum onera importabilia, quae nec superficie digiti tangi solent. Docebat enim omnem uirtutis laudem in actione consistere, cassumque esse splendorem uerbi cui non subest soliditas operis. In omni opere, inquit Salomon, erit abundantia; ubi autem uerba sunt plurima, ibi frequenter egestas. Principum uero et ducum est alios in uia morum praecedere, non quae facienda sunt aliis tumide intonare. Auris audiens et oculus uidens beatificabat me. Instrumenta corporis eleganter expressit, quibus b sensus animae maxime conualescit; exteriorum namque notitia oculi et auris obsequio fidelissime transit ad animam, et thesauros cordis saepius lingua incauta dispergit. Quod uero 'audiens' et 'uidens' adiecit, sapientis iudicium exprimit iuxta illud: Beatus qui loquitur in aure audientis. Non itaque beatificatum se dicit linguis hominum quae in alterutram partem uel amore uel odio frequenter impelluntur. Sufficit ei testimonium conscientiae, praesertim cum roboratum sit iudicio sapientum. Eo, inquit, quod liberassem pauperem, pupillum, et periturum; et consolatus sum cor uiduae. In his enim maxime principalis claret auctoritas quae a Domino instituta est ad iniurias propulsandas. Haec quidem sunt opera misericordiae, et erit c nomen agentis ea benedictum in secula. Sed, ne credas eum remissiore clementia uitiis audaciam praestitisse: Iustitia, inquit, indutus sum, et diademate iudicio meo; causam, quam nesciebam, diligentissime inuestigabam. Oportet enim iudicem cuncta rimari et ordinem rerum plena inquisitione discutere, nec ante obuiare alicui quam causa sit legitimis rationibus plenissime limitata. Vt enim ait ethicus, ad penitendum properat quisquis cito

---

4 subest] est M 5 habundantia A[1]SM 6 ducum] diuitum M 22 opera sunt M 29 legittimis BSM

---

4 *In omni opere* etc.: Prov. xiv. 23. 8 *Auris* etc.: Iob xxix. 11. 14 *Beatus qui loquitur* etc.: In hoc proverbium alibi non incidi. 27 *Oportet enim* etc.: v. Ivon. Carnot. *Decret.* vi. 316 (Migne *P. L.* clxi. 510), Grat. *Decret.* II. xxx. 1. c. 11 (Friedberg i. 1107) ex epistola Eleutherii papae ad Galliae provincias. 30 *ethicus*: Publ. Syr. (ed. Friedrich p. 29) *Ad paenitendum properat cito qui iudicat.*

iudicat. Conterebam molas iniqui. Iniquus est quisquis in iudiciis sequitur non causam sed praedam, qui sic munera diligit ut sequatur retributiones. Et licet aequum sit quod decernit ad pretium, auaritiae seruiens pergit in mortem. Vnde sequitur: Et de dentibus illius auferebam d praedam, dicebamque: In nidulo meo moriar. Mentem itaque composuerat qui rerum suarum amplitudine contentus erat. Nec auaritiae aut ambitionis stimulo urgebatur, ut domum domui, agrum agro coniungeret usque ad terminos loci ac si solus habitaturus esset in superficie terrae.

Et sicut palma multiplicabo dies. Rem admirandam Aristotiles in septimo Probleumatum et Plutarcus in octauo Memorabilium dicit: Si super palmae, inquiunt, arboris lignum magna pondera imponas, ac tantum grauiter urgeas oneres, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum cedit nec in terram flectitur, sed aduersus pondus resurgit et sursum nititur recuruaturque. Propterea, inquit Plutarcus, placuit palmam signum esse uictoriae in certaminibus, quoniam ligni ingenium 552 a huiusmodi est ut urgentibus opprimentibusque non cedat. Fertur item quod ramus eius palmae, quae Graece dicitur basileros, auelli non potest si trahatur deorsum, sed, si sursum producas, cedit. Constat autem quia truncus palmae uel stipes a radice contrahitur sed in superioribus dilatatur. Secus autem est in quauis arbore quae tanto magis turgescit quo ad terram stipes uicinius accedit. Per palmam ergo significatur iustitia inuincibilis, quae descensum non nouit sed solum ad superiora processum. Vnde: Iustus ut palma florebit. Radix mea aperta est

12 Aristoles M problematum AM 13 plutarchus AM 18 plutarchus AM 20 oprimentibusque S 28 decensum SM[1]

5 *Et de dentibus* etc.: Iob xxix. 17, 18. 9 *domum* etc.: v. Isa. v. 8. 11 *Et sicut* etc.: Iob xxix. 18. 12 *Aristotiles in septimo* etc.: Gell. iii. 6. Hunc Ioannis nostri locum contulit Hertzius in ed. maiore. 13 *Memorabilium*: *Symposiacorum* Gell.; v. Plut. *Quaest. Conviv.* 8. 4 § 5 (724 E). 25 *Secus autem* etc.: v. Greg. M. *Mor.* xix. 27 § 49 in Iob xxix. 18 (Migne *P. L.* lxxvi. 130); cuius sententiam citat Grat. *Decret.* I. xlvii. c. 3 (Friedberg i. 170). 29 *Iustus ut* etc.: Ps. xci. 13. *Radix* etc.: Iob xxix. 19.

secus aquas (scripturarum utique et uirtutum, de quibus supra) et ros (scilicet gratiae) morabitur in messione mea. Intellige bonorum operum, quorum manipulos electis reponet b apud se in illa die iustus iudex. Vnde sequitur: Gloria mea semper innouabitur et arcus meus instaurabitur; quia

est aliquid quo tendit et in quo dirigit arcum
iustus,
nec passim sequitur coruos testaque lutoque.

Qui me audiebant, expectabant sententiam, et cetera. Saepe dictum est sententiam in bono semper accipiendam esse, iuxta illud: Sapientior uidetur sibi piger septem uiris loquentibus sententias. Audis in sapiente tria concurrere. Intenti, inquit, tacebant ad consilium meum, uerbis meis nichil addere audebant, stillabat super eos eloquium meum. c Res ardua desiderat attentionem et uirum grauem decet consilia meditari, ut quicquid agit, quicquid loquitur, sit pro consilio homini sapientiam affectanti. Est autem oris circumcisi illa proferre, quibus nichil liceat demi uel apponi. Est autem uiro graui turpissimum, si iugiter se fabulis et nugis immisceat et inter congarrientes perstrepat ueluti rabulus anser admixtus oloribus et omnem materiam credat aptam esse litigiis.

Ambigitur quid enim? Castor sciat an Docilis plus,
Brundusium Numici melius uia ducat an Apii.

Praeterea quae abundant, sui copiositate uilescunt, et cum multiloquio peccatum non desit, pauca prudenter loquentis sermo est pretiosus. Vnde Socrates quaerenti quo modo

18 demi liceat C[1]S 21, 22 aptam credat A 24 appi B 25 habundant A[1]SM

3 *manipulos*: v. Ps. cxxv. 6. *reponet* etc.: v. 2 Tim. iv. 8. 4 *Gloria* etc.: Iob xxix. 20. 6 *est aliquid* etc.: v. Pers. *Sat.* iii. 60, 61. 9 *Qui me* etc.: Iob xxix. 21. 11 *Sapientior* etc.: Prov. xxvi. 16. 13 *Intenti* etc.: Iob xxix. 21, 22. 17, 18 *oris circumcisi*: cf. Exod. vi. 12. 21 *rabulus*: *Item a* rabie *dicitur* rabulus . . . *et* rabidus . . . *i. e. rabie plenus, rabiei datus; furore plenus iratus insanus* Ioann. de Ianua *Catholic.* s.v. *rabies*; v. Du Cange ed. 1886 s. v. *rabulus.* 23 *Ambigitur* etc.: Hor. *Ep.* i. 18. 19, 20. *Docilis*: *Dolichos* Hor. 24 *Numici*: *Minuci* Hor. 27 *Vnde Socrates* etc.: cf. quae citat Woelfflinus *Caec. Balb.* p. 33 ex cod. Monacensi *Agesilaus interrogatus, quemadmodum quis hominibus placere posset, Si gesserit,*

quis famam optimam compararet: Si gessèrit, inquit, d optima et loquutus fuerit pauca. Hoc est quod uir iustus et ueritus delinquere in sermone dicit stillasse eloquium suum; qui enim non delinquit in uerbo, hic perfectus est uir. Si quando ridebam ad eos, non credebant. Risus leuitatis indicium; et quo patentior, eo impudentior et reprehensibilior est. Ait enim: Stultus in risu exaltat uocem suam; et Saluator fleuit, qui utique risisse non legitur. Nec enim facile crediderim pronum esse ad cachinnum qui sub tanta ambiguitate de risu loquitur ut etsi riserit non credatur. Et lux uultus mei non cadebat in terram. Risit forte uir iustus, sed eum in hilaritate temporalis ineptia nulla resoluit, et quicquid terrenum erat in moribus, uultum uerebatur austerum. Si uoluissem 553 a ire ad eos, sedebam primus. Prima siquidem cathedra dignus erat qui alios tantarum uirtutum itinere praecedebat. Cum sederet quasi rex famulantibus aliis, lacrimas merentium abstergebat. Iocunda quidem conclusio, cum potestas publica sic studet praeesse ut in uniuersitate sua tristem aliquem esse non patiatur. Qua uero arte id fiet, moralis campus subiectus exequitur tanta quidem amenitate florum et fructuum ubertate ut, si quis eum ingreditur,

---

2 locutus M 6 impudentior] pudentior M 12 hylaritate M 18 *post* Iocunda *add.* si M

---

inquit, optima et locutus fuerit pauca; Walt. Burley *de Vita et Moribus Philosophorum* c. 30 (ed. Colon. 1472, p. 26) (Socrates) *interrogatus in quo quis famam bonam acquirere posset, ait: 'Si gesserit optima et locutus fuerit pauca.'* 3 *dicit stillasse*: nam qui pauca loquitur, stillare eloquium dici potest. 4 *qui enim* etc.: v. Iac. iii. 2. *delinquit*: *offendit* Vulg. 5 *Si quando* etc.: Iob xxix. 24. 7 *Stultus in risu* etc.: Eccli xxi. 23 ubi tamen legitur *Fatuus* pro *Stultus*. 8 *Saluator fleuit*: v. Epist. quae dicitur Lentuli ad S.P.Q.R. (in Fabric. *Cod. Apocryph. N. T.* i. 301* seq.) de Christo: *nunquam uisus est ridere, flere autem saepe*; cf. Luc. xix. 41, Ioann. xi. 35. De hoc apocrypho vide quae fusius disseruit vir doctissimus E. von Dobschütz in *Texte und Untersuchungen* xviii (=N. F. iii) pp. 308** seqq.; cuius haec est sententia (p. 330**): 'Wir müssen uns also damit begnügen, in dieser Personalbeschreibung ein Produkt abendländischer Mönchslitteratur des 13. oder angehenden 14. Jahrhunderts zu erblicken, welches von dem kirchlichen Humanismus des 15. und 16. Jahrhunderts umgebildet und in der neuen Form mit grosser Vorliebe gepflegt und verbreitet worden ist.' Sed antiquioris saeculi esse id saltem quod de Christo risu et lacrimis ap. 'Lentulum' dicitur, ex hoc loco Ioannis plane apparet. 11 *Et lux* etc.: Iob xxix. 24. 14 *Si uoluissem* etc.: Iob xxix. 25.

Paradisi se deliciis gaudeat interesse. Miraris forte et attonitus obstupescis quemquam in exilio carnis huius tantae dulcedinis esse participem et celestium ciuium esse conciuem; sed an ita esse possit, ex operibus uiri iusti b tu ipse diiudica. Si negaui quod uolebant pauperibus, et oculos uiduae expectare feci; si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea, quia ab infantia creuit mecum miseratio et de utero matris meae egressa est mecum; si despexi praetereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem; si non benedixerunt michi latera eius, et de uelleribus ouium mearum calefactus est; si leuaui super pupillum manum meam, cum uiderem me in porta superiorem; humerus meus a iunctura sua cadat et brachium meum cum ossibus conteratur. Semper enim quasi tumentes fluctus super me timui Deum, et pondus eius ferre non potui. Si putaui aurum robur meum, et dixi obrizo: Fiducia mea; si letatus sum super multis diuitiis et quia plura repperit manus c mea; si uidi solem cum fulgeret et lunam incedentem clare, et letatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo, quae est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum; si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, et exultaui quod inuenisset eum malum; si non dixerunt uiri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius ut saturemur? foris non mansit peregrinus, ostium meum patuit uiatori; si abscondi quasi homo peccatum meum et celaui in sinu meo iniquitatem meam; si expaui ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me, et non magis tacui nec egressus d sum ostium; si aduersum me terra clamat, et cum ipsa sulci eius deflent; si fructus eius comedi absque pecunia, et animam agricolarum eius afflixi; pro frumento oriatur michi tribulus, et pro ordeo spina. An non credis eum ambulare in latitudine deliciarum Dei, qui de corde puro et conscientia bona et fide non ficta sub imprecatione tanta

26 hostium S

5 *Si negaui* usque ad *spina* (553 D): Iob xxxi. 16–29, 31–34, 38–40.
34 *de corde puro* etc.: 1 Tim. i. 5.

de se ista fatetur? Quis istorum uerborum desiderat interpretationem aut in tanta uirtutum luce non uidet? Nimium plane hebes est et obtusi ingenii, cui per se ista non lucent. In unum hic plurima congeruntur, quorum uel unum orbem quendam illustrare sufficeret. Si principes plura legere uel audire fastidiunt, saltem hoc tantillum legant audiant et inquisitione diligenti discutiant dum imitentur. Sequitur enim in eodem: Si audierint reges et obseruauerint uocem Domini, complebunt dies suos in 554 a
bono et annos suos in gloria; si autem non audierint, transibunt per gladium et consumentur stultitia. Videsne inutilium regum duplicem exitum? Aut enim per gladium transeunt, aut stultitia consumuntur. Et recte dicuntur transire per gladium, non finiri, eo quod gladius quasi quidam transitus eis est ad locum ubi secundum multitudinem iniquitatum suarum potentes potenter puniuntur; sed et stultitia consumit impios, quia in depressione populi robur principis eneruatur; populus namque contritus erigere uires principis non potest aut non uult.

Cap. 7. *Quae mala uel bona subiectis proueniant de moribus principum; quod et aliquorum strategemmaticis roboratur exemplis.* b

Quasi, inquit, qui mittit lapidem in aceruum Mercurii, sic qui dat insipienti honorem. Hoc a diuersis diuerso modo exponitur. Ego sapientiorum uenia impetrata aceruum credo Mercurii, in quo consistit ratio calculandi, quia Mercurius numen eorum est qui negotiationem exercent et ratiociniis suis diligenter inuigilant. Mittere ergo lapidem in aceruum quo regitur ratio calculandi est totam turbare

---

12 dupplicem BS 15 est eis M 18 *post* principis *add.* aut A 21 et *om.* M

8, 9 *Si audierint et obseruauerint* etc.: Iob xxxvi. 11, 12. 16 *potentes* etc.: v. Sap. vi. 7; cf. supra iv. 6 (524 c). 23 *Quasi qui mittit* etc.: Prov. xxvi. 8 ubi tamen legitur *Sicut* pro *Quasi*, *ita* pro *sic*, *tribuit* pro *dat*. 25 *Ego* etc.: Hanc interpretationem alibi non repperi. 28 *inuigilant*: cf. Fulgent. *Mythol.* i. 18 *Gallum quoque in eius* (sc. Mercurii) *ponunt tutelam, quod omnis negotiator semper invigilet.*

calculi rationem; et honorem conferre insipienti est rei publicae subuertere uitam. Et impossibile est ut alios utiliter regat, quem proprius subuertit error. Ait enim: Vbi non est gubernator, populus corruet. Et alibi: Rex insipiens perdet populum suum, et ciuitates inhabitabuntur
c super sensum prudentium. Omnis potentatus breuis uita, languor prolixior grauat medicum. Breuem languorem praecidet medicus; sic et rex hodie est et cras morietur. Cum enim morietur homo, hereditabit serpentes et bestias et uermes. Numquid quaeso pauperes opprimuntur iniuriis, attenuantur exactionibus, rapinis multiplicibus spoliantur, iubentur in se concurrere populi et orbem concutere, ut potentibus isti succedant heredes? Isti namque succedunt omnibus iure suo; nec desideratur sollempnitas testamenti, ab intestato emergunt; uelis nolis, hos habebis heredes. In secularibus litteris fertur dixisse Plato: Perinde est cum subditos opprimit magistratus, ac si caput corporis
d intumescat, ut a membris aut omnino aut sine molestia ferri non possit. Hanc autem passionem sine grauissimo dolore membrorum tolerari uel curari impossibile est. Si uero incurabilis fuerit passio, sic uiuere quam mori miserius est. Miseris autem nichil utilius est quam utcumque finire miseriam. Idem quoque dixisse legitur: Cum in subiectos potestas saeuit, idem est ac si tutor pupillum persequatur, uel eum suo mucrone iugules, ob cuius defensionem ab eodem traditum tibi gladium accepisti. Rem namque publicam frui iure pupilli percelebre est, et eam tunc demum recte procedere, cum caput eius se inutile esse

---

8 praescidet SM 14 solempnitas C: sollepnitas A: solennitas M

---

4 *Vbi non est* etc.: Prov. xi. 14. 4, 5 *Rex insipiens* etc.: Eccli x. 3. 6 *super*: *per* Vulg. *prudentium*: *δυναστῶν* Gr., *potentium* Vulg.; de hac lectione v. Sabatier *Bibl. Sacr. Vers. Antiq.* ad loc. *Omnis potentatus* etc.: Eccli x. 11–13. 16 *Plato*: Vbi dicta Platonis quae sequuntur legerit Ioannes, adhuc nescio. Exstant etiam (forsan auctore Nostro) ap. Burley *de Vitis et Moribus Philosophorum* c. 52. 20, 21 *Si uero incurabilis* etc.: cf. Plat. *Legg.* ix. 862 E *ὃν δ' ἂν ἀνιάτως εἰς ταῦτα ἔχοντα αἴσθηται νομοθέτης, δίκην τούτοισι καὶ νόμον θήσει τινά, γιγνώσκων που τοῖς τοιούτοις πᾶσιν ὡς οὔτε αὐτοῖς ἔτι ζῆν ἄμεινον κ.τ.λ.* 23 *Idem*: sc. (ut videtur) Plato. 26, 27 *Rem namque publicam* etc.: v. Cod. Iustin. xi. 30 § 3.

cognoscit, nisi fideliter membris cohereat. Haec ille, et quidem eleganter et uere. Sed, ut michi uidetur, coherentia fidelis et firma esse non potest, ubi non est tenax unio 555 a uoluntatum et quasi ipsarum animarum conglutinatio. Quae si defuerit, hominum frustra sibi congruunt opera, cum dolus in perniciem pergat sine affectu proficiendi. Simulatores, inquit Iob, et callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt cum uincti fuerint; morietur in tempestate anima eorum, et uita eorum inter effeminatos. Operibus namque causam praestat nunc pudor, timor interdum. Sed iunctura illa solidissima est quae ex adipe fidei et dilectionis procedit et in solo uirtutis fundamento subsistit. Opera tamen, quia morum argumenta sunt, gratiam pariunt, quia nichil utilius, nichil efficacius est ad statum magistratuum et processum. Inde est illud imperatoris aut (si mauis) uersificatoris egregii, dum tamen idem eos sensisse non ambigas: b

Sis pius in primis; nam, cum uincamur in omni
munere, sola deos aequat clementia nobis.
Neu dubie suspectus agas neu falsus amicis
rumorumue auidus; qui talia curat, inanes
horrebit strepitus, nulla non anxius hora.
Non sic excubiae nec circumstantia pila
quam tutatur amor. Non extorquebis amari;
hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.

Alexander, cum hieme ducens exercitum resideret ad ignem, recognoscere praetereuntes copias coepit, cumque conspexisset quendam prope exanimatum frigore, iussit eum sedere in loco suo, dicens: Si in Persis natus esses, in regia sella resedisse capitale foret, sed in Macedonia nato conceditur. Fertur et aliud de eodem; quod, cum c uirgo eximiae pulchritudinis, finitimae gentis principi desponsata, inter captiuas adesse nuntiaretur, ei abstinentia summa pepercit, ut ne illam quidem aspexerit; qua mox

3 unio tenax M 25 hyeme M 27 conspexisset] respexisset M 31 pulcritudinis AS

7 *Simulatores* etc.: Iob xxxvi. 13, 14. 15 *imperatoris*: sc. Theodosii. 17 *Sis pius* etc.: Claudian. *Panegyr. de IV Cons. Honorii* 276–283. 25 *Alexander* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 6 § 3. 27, 28 *iussit* usque ad *dicens*: *considere loco suo iussit dixitque* Frontin. 31 *uirgo eximiae* etc.: v. Frontin. *Strat.* ii. 11 § 6.

ad sponsum remissa, uniuersae gentis per hoc beneficium sibi mentes reconciliauit. Sic humanitate suorum alienorum animos sibi iustitia deuinxit. Simile est quod Scipio Affricanus in Hispania gessisse legitur, cui cum uirgo nobilis, omnium in se decoris admiratione conuertens oculos, adducta esset, eam sponso nomine Alicio reddidit, adiciens et aurum quod parentes in redemptionem captiuae attulerant, ut esset uirgini in dotem aut marito in munus nuptiale. Itaque multiplici magnificentia uniuersa gens
d uicta, quae forte alias cessura non fuerat, Romani imperii populo accessit. Camillo Faliscos obsidenti magister ludi liberos Faliscorum tamquam ambulandi causa extra murum eductos tradidit, dicens retentis obsidibus ciuitatem necessario facturam imperata. Camillus uero non solum spreuit perfidiam sed restrictis manibus post terga magistrum uirgis agendum ad parentes pueris tradidit, adeptus beneficio uictoriam quam fraude non concupierat; nam Falisci ob hanc iustitiam sponte se dediderunt. Extat quoque eiusdem Camilli non ignobilior titulus. Cum enim post subactas ciuitates et triumphos insignes, militaris manus inuidia concitata, dampnatus et expulsus est ciuitate, quasi
556 a praeda communi iniquius distributa, irruentibus Senonibus Gallis in urbem et Romanis undecimo miliario uictis apud flumen Alliam nec in ipsa urbe quicquam praeter Capitolium seruari posset et hoc auro dato ut Galli recederent, Camillus, etiam ingratae compatiens patriae, eosdem cecidit, aurum abstulit, Romanorum aquilas reportauit. Vnde in sexto Virgilii inter ceteros Eneadas praediscit Eneas

referentem signa Camillum.

Itaque, ab exilio reuocatus, tertio triumphans urbem ingressus est et appellatus secundus Romulus, quasi alter patriae conditor.

---

4 gessisse] egisse M 5 occulos A 15 posterga S 28 uirgilius M 31 apellatus S

---

4 *cum uirgo* etc.: v. Frontin. *Strat.* ii. 11 § 5. 11 *Camillo* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 4 § 1. 19 *Cum enim* etc.: v. Eutrop. i. 20 §§ 2, 3. 27 *Vnde* etc.: Hanc clausulam versumque Vergilii non habet Eutropius. 29 *referentem signa Camillum*: Verg. *Aen.* vi. 825.

Iulius Iginus in libro sexto de Vita Rebusque Illustrium Virorum quod de Fabricio sequitur, refert; nam praecedentia Plutarchi in Institutione Traiani, et Iulii Frontini in libro Strategemmatum sunt. Venerunt ergo secundo b legati Samnitum ad Gaium Fabricium, multas et magnas res memorantes, quae bene ac beniuole post redditam pacem Samnitibus fecerat, offerentes dono grandem pecuniam et orantes ut eam acciperet et uteretur, eo quod multa ad necessitatem uictus et splendorem domus tanto uiro deesse constaret. Nichil enim lautum paratumque erat pro amplitudine hominis et dignitate uirtutis. Fabricius uero planas manus ab auribus ad oculos et infra et deinceps ad nares et ad gulam et ad os et deinde ad uentrem et ima deduxit, et legatis in haec uerba respondit: Dum omnibus his membris, quae attigi, resistere atque imperare potero, michi nichil omnino deerit, ideoque uobis reseruate pecuniam c necessariam usibus uestris, nec eam quibus necessaria aut grata non est ingeratis; Romani siquidem non curant habere aurum, sed imperare uolunt habentibus aurum. Hoc Iulius Iginus. Frontinus uero refert quod ad Fabricium ducem Romanorum medicus Pirri Epirotarum regis peruenit, pollicitus se uenenum daturum Pirro, dum merces sibi, in qua operae pretium foret, constitueretur. Quo facinore Fabricius egere uictoriam suam non arbitratus regi medicum detexit atque ea fide meruit ut ad amicitiam Romanorum appetendam compelleret Pirrum. Pace mea decertent in casu isto Valerius Maximus et Claudius

---

1 vi S: vi^{to} M 1, 2 uirorum illustrium M 7 sannitibus S 12 occulos A 13 os et ad gulam M 15 resistire S 26 apetendam S

---

1 *Iulius Iginus* etc.: v. Gell. i. 14. 4 *secundo*: Hoc vocabulum, quod interpretari nequeo, ex incuria aut Ioannis ipsius aut codicis Gelliani, quo utebatur, scriptoris ortum et pro *sexto* scriptum esse suspicor; nam ita ap. Gellium legitur: *Iulius Hyginus in libro de uita rebusque illustrium uirorum sexto legatos dicit* etc. 18 *Romani* etc.: v. Frontin. *Strat.* iv. 3 § 2. 20, 21 *ad Fabricium* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 4 § 2. 22 *dum*: *si* Frontin. 26, 27 *Pace mea* etc.: v. Gell. iii. 8. 27 *Valerius Maximus*: potius Valerius Antias. Haud mirum est Ioannem in nomen notius incidisse, praesertim cum ap. Val. Max. 6. 5 § 1 rem eandem de Timochare narratam invenisset.

Quadrigarius, contendentes de nomine et officio proditoris.
d An Timocares fuerit iuxta Valerium pater illius qui in regis conuiuio pocula ministrabat, an secundum Quadrigarium Nicias medicus, non multum curo, dummodo constet consules Romanorum eo subegisse Pirrum, quod perfidiam fuerant aspernati. Epistolam uero consulum ad Pirrum hanc fuisse Quadrigarius refert: Consules Romani salutem dicunt Pirro regi. Nos pro tuis iniuriis continuo animo commoti inimiciter tecum bellare studemus, sed cum muniis exempli et fidei. Ergo uisum est ut te saluum uelimus, quo sit quem armis possimus uincere. Ad nos uenit Nicias familiaris tuus, qui sibi a nobis praemium peteret, si te clam interfecisset. Id nos negamus uelle,
557 a neue ob eam rem quicquam commodi expectaret, denuntiauimus. Simul etiam uisum est ut te certiorem faceremus, ne quid eiusmodi, si accidisset, nostro consilio factum putarent ciuitates, sciturae quod nobis non placet promissis aut pretio aut dolis pugnare. Tu, nisi caues, iacebis. Quid referam quod, cum ei regni medietatem Pirrus obtulisset, ut pacem conditionibus aequis admitteret, contemptus est? Sed nec regni medietatem adquieuit accipere ut amicitiam promitteret regi. Cum uero Cineas uir praestantissimus, qui Romam missus fuerat, reuersus interrogaretur qualis Roma esset, respondit se regum uidisse patriam, eo quod fere omnes tales essent illic qualis esset solus Pirrus in Epiro uel reliqua Grecia. Audita ergo
b constantia Fabricii, inquit rex: Hic est utique ille Fabricius qui difficilius a uirtute quam sol a cursu suo auerti potest. Imperator Cesar Augustus Germanicus eo bello quo uictis hostibus Germanici cognomen meruit, cum in finibus copiarum castella poneret, pro fructibus locorum, quae uallo comprehendebat, pretium solui iussit, atque ita iustitiae

1 proditoris] conditoris M 14 comodi S 16 huiusmodi SM 22 Cyneas B

7, 8 *Consules Romani* etc.: Gell. iii. 8 § 8; discrepantiam lectionis inter Ioannem nostrum et codd. Gellii commentatus est Hertzius in ed. maiore. 19 *cum ei regni* etc.: v. Flor. i. 13 § 21. 22 *Cum uero Cineas* etc.: v. Eutrop. ii. 13 § 3. 29 *Imperator Cesar* etc.: Frontin. *Strat.* ii. 11 § 7.

fama omnium fidem astrinxit. Quid de continentia dicam rerumque contemptu, quandoquidem Plutarchi strategemmatica nonnulla promisi? Marcum Catonem eodem uino quo remiges contentum fuisse traditur. Atthilius Regulus, cum summis rebus praefuisset, adeo pauper fuit ut se coniugem liberosque toleraret agello qui colebatur per unum uillicum; cuius audita morte, scripsit senatui de c
successore sibi creando et, destitutis rebus obitu serui, necessariam esse praesentiam suam. Gneius Scipio post res prospere in Hispania gestas in summa paupertate decessit, ne ea quidem relicta pecunia quae sufficeret in dotem feminarum; quas ob inopiam publice dotauit senatus. Idem praestiterunt Athenienses filiis Aristidis post amplissimarum rerum administrationem in summa paupertate defuncti. Hannibal de nocte surgere solitus non requiescebat ante noctem, crepusculo demum socios ad cenam uocabat, neque amplius quam duobus lectis discumbebatur apud eum. Idem, cum sub Hasdribale militaret imperatore, plerumque super nudam humum sagulo tectus sompnos capiebat. Emilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem accepto pane uesci solitum. Item et de Alexandro Macedone dicitur. d
Augustus Caesar minimi cibi erat atque uulgaris. Fere secundarium panem et pisciculos minutos et caseum bibulum manu pressum et ficus biferas uirides maxime appetebat, uescebaturque ante cenam, quocumque tempore et loco stomacus desiderasset; unde ipse in quadam epistola: Ne Iudeus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbatum seruat quam ego hodie seruaui qui in balneo post horam primam noctis duas buccatas manducaui priusquam ungi inciperem. Iram quoque citissime remit-

---

14 amministrationem M 20 somnos S capiebat sompnos M 25 bifferas M 27 stomachus M 28 equidem A tyberi B

---

3 *Marcum Catonem* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 3 § 1. 4 *Atthilius Regulus* etc. usque ad *defuncti* (557 c): Frontin. *Strat.* iv. 3 §§ 3-5. 8 *sibi creando*: desunt ap. Frontin. 15 *Hannibal* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 3 §§ 7-10. 16 *socios*: deest ap. Frontin. 23 *minimi cibi* etc.: v. Suet. *Aug.* 76. 25 *bibulum*: *bubulum* Sueton. 31 *Iram* etc.: Haec clausula ap. Sueton. non exstat.

tebat, dum iniuriantis animum uideret immutatum, et, sicut ipse dicebat, celerius quam asparagi coquantur; hoc enim uerbo rei festinatae uelocitatem solebat exprimere. 558 a In sermone siquidem et hoc et quaedam alia nobiliter usurpauerat, quod litterae eius antigraphae ostendunt, in quibus, cum aliquid numquam futurum credebat, illud fore dicebat ad Kalendas Grecas. Masinissam nonagesimum etatis annum agentem meridie ante tabernaculum stantem uel ambulantem capere solitum cibos legimus. Gaius Curius, cum uictis ab eo Sabinis ex senatus consulto ampliaretur ei modus agri quem consummati milites accipiebant, gregalium portione contentus fuit, malum ciuem dicens cui non esset idem quod ceteris satis. Vniuersi quoque exercitus saepe notabilis fuit continentia, sicut eius qui sub Marco Scauro insignem gloriam meruit. Nam b memoriae tradidit Scaurus continentiam militarem: Pomiferam, inquit, arborem, quam in pede castrorum fuerat complexa mentatio, postremo die, concinentibus eneatoribus et abeuntibus nobis, intactis fructibus exercitus reliquit indempnem. Auspiciis ergo imperatoriis Cesaris Domitiani Augusti, Germanico bello quod Iulius Ciuilis in Gallia mouerat, Lingonum opulentissima ciuitas, quae ad Ciuilem desciuerat, cum aduenientem ab exercitu Cesaris populationem timeret, quod praeter spem inuiolata nichil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta septuaginta milia armatorum tradidit michi. Lucilius Mommius, qui Corintho capta non Italiam solum sed etiam prouinciam tabulis statuisque exornauit, adeo nichil ex manubiis tantis in c suum conuertit usum, ut filiam eius inopem senatus ex publico dotauerit. Constantia quoque, cum ex pluribus strategemmatibus pateat, in uirtute Romanorum maxime claret. Eorum siquidem magnificentia et uirtute, si omnium gentium historiae reuoluantur, nichil clarius lucet.

---

15 marcho CB 26 Lucius B Mommius] maromius M 33 hystoriae M

---

2 *celerius* etc.: v. Suet. *Aug.* 87. 4 *In sermone* etc.: v. Suet. *Aug.* 87. 5 *antigraphae*: *autographae* Suet. 7 *Masinissam* etc.: Frontin. *Strat.* iv. 3 §§ 11–15. 10 *Gaius*: *M'.* Frontin. 20 *imperatoriis*: *imperatoris* Frontin. 23 *aduenientem ab*: *aduenientе* Frontin. 26 *Lucilius Mommius*: *L. Mummius* Frontin.

Declarat hoc amplissimi splendor imperii, quo nullum minus ab exordio neque maioribus incrementis processu continuo dilatatum humana potest memoria recordari. Nam et quietae libertatis, iustitiae cultu, reuerentia legum, finitimarumque gentium amicitiis, maturitate consiliorum et grauitate uerborum et operum obtinuerunt ut orbem suae subicerent ditioni. Sed, quia de constantia eorum coepimus, unum de Strategemmatibus Iulii Frontini pro multis ponatur in medio. Cum itaque urbis menibus d
Hannibal assideret, ostentandae fiduciae gratia, supplementum exercitibus, quos in Hispania habebant, diuersa porta miserunt. Idem agrum in quo castra Hannibalis erant, defuncto forte domino, uenalem ad id pretii licendo perduxerunt, quo is ager ante bellum uenierat. Hi, dum ab Hannibale obsiderentur et ipsi obsiderent Capuam, decreuerunt ne nisi ea capta reuocaretur inde exercitus.

Cap. 8. *Quare Traianus uideatur omnibus praeferendus.*

Nunc autem, ut in Traiano Plutarchi strategemmaticis ponatur modus, tantae fortitudinis et ciuilitatis fuit ut 559 a
Romani imperii fines, quod post Augustum defensum magis fuerat quam nobiliter ampliatum, longe lateque diffunderet. Gloriam tamen militarem moderatione superauit, Romae et per prouincias omnibus se aequalem exhibens, amicos salutandi causa frequentans uel egrotantes uel festis diebus, cum eisdem indiscreta uicissim habens conuiuia, uehiculis eorum et uestibus indifferenter utens, publice et priuatim ditans omnes, immunitates ciuitatibus largiens, relaxans tributa prouinciis, nulli grauis, carus omnibus, adeo ut usque ad nostram etatem in senatu non aliter principibus acclametur: Felicior Augusto, melior sis Traiano! Sic itaque memoriae eius delatum est et

11 hyspania M 14 uenerat S¹M Hii S 18 ut *om.* A 30 aclametur S

9 *Cum itaque* etc.: Frontin. *Strat.* iii. 18 §§ 1–3. De variis lectionibus Ioannis in locis e Frontino citatis consule Gundermannum in ed. Frontini Teubner. praef. p. xi. 15 *obsiderentur . . . obsiderent*: *obsidentur . . . obsiderunt* Frontin. 19 *fortitudinis* etc.: v. Eutrop. viii. 2 §§ 1, 2. 22 *Gloriam tamen* etc.: v. Eutrop. viii. 4. 29 *ut usque* etc.: Eutrop. viii. 5 § 3.

b opinio bonitatis eius in tantum praeualuit ut amicis laudantibus uel assentantibus occasionem magnificentissimi praestet exempli. Recte laudatur in Iulio animi magnitudo inuicti et efficacia operis, cum illius mens et manus ad fere impossibilia sibi suffecerint. Quantus in armata militia fuerit, non modo Galli Britonesque primum ab eo subacti sed tota ciuilis belli fortuna et Cesareae domus series protestatur. In litteratorio studio tantus erat ut quaternas simul dictaret epistolas. Quis in iuris ciuilis peritia fuerit, ueteres Romanorum indicant leges. Potentis ingenii uires quam iugiter in philosophia exercuit, praedicat et extollit uel sola inuentio bissexti. Quod autem omnibus mirabilius est, amoribus et negotiis simul operam dabat, et in singulis quae aggrediebatur, tantus
c erat ut eis solis uacare crederetur; simul totus erat singulorum et omnium. Laudes uero Augusti totus orbis concelebrat, et Titum amorem humani generis suas scilicet delicias iocunda memoria ueneratur. Ego his omnibus Traianum praeferre non dubito, qui in solius uirtutis cultu regni constituit maiestatem. Ethicum iuxta qui recte fecerit, regem arbitratur. Tale est illud quod sub nomine Theodosii praecipit Claudianus:

Tu licet extremos late dominere per Indos,
te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
seruitii patiere iugum, tolerabis iniquas
interius leges; tunc omnia iure tenebis,
cum poteris rex esse tui; procliuior usus
d in peiora datur, suadetque licentia luxum
illecebrisque effrena fauet; tunc uiuere caste
asperius, cum promta Venus; tum durius irae
consulitur, cum pena patet; sed comprime motus;
nec tibi quid liceat sed quid fecisse decebit
occurrat, mentemque domet respectus honesti.

11 phylosophia M 14 agrediebatur S 20 Eticum A 31 prompta BM tum] cum M

3 *Recte laudatur*: forsan in *Institutione Traiani*. 9 *quaternas* etc.: v. Solin. i. § 107. 17 *amorem humani generis* etc.: v. Suet. *Tit.* 1. 20 *Ethicum*: v. Hor. *Ep.* i. 1. 59, 60. 23 *Tu licet* etc.: Claudian. *Panegyr. de IV Cons. Honorii* 257–268.

Vt uero in laude Traiani facilius adquiescant qui alios ei praeferendos opinantur, uirtutes eius legitur commendasse sanctissimus papa Gregorius et fusis pro eo lacrimis inferorum compescuisse incendia, Domino remunerante in misericordia uberi iustitiam quam uiduae flenti exhibuerat Traianus. Cum enim memoratus imperator iam equum ascendisset ad bellum profecturus, uidua, apprehenso pede illius, miserabiliter lugens sibi iustitiam fieri petiit de his qui filium eius optimum et innocentissimum iuuenem 560 a iniuste occiderant. Tu, inquit, Auguste, imperas, et ego tam atrocem iniuriam patior? Ego, inquit imperator, satisfaciam tibi cum rediero. Quid, inquit illa, si non redieris? Successor meus, ait Traianus, satisfaciet tibi. Et illa: Quid tibi proderit, si alius benefecerit? Tu michi debitor es, secundum opera mercedem recepturus; fraus utique est nolle reddere quod debetur. Successor tuus iniuriam patientibus pro se tenebitur; te non liberabit

---

2 *legitur*: cf. Abaelard. *Theol. Christian.* (*Opp.* ed. Cousin ii. p. 439). Ex hac fabula celeberrima, quam tamen constat esse natam ex errore hominum recentiorum caelaturam quandam in foro Traiani Romae visam de vidua potius quam de provincia supplice male intelligentium, orta est inter theologos haud parva controversia. Narratur inter ea *quae de Gregorii miraculis penes Anglorum ecclesias uulgo leguntur* a Ioanne Diacono in Vita Greg. Magni ii. 44 (Migne *P. L.* lxxv. 104–106); exstat etiam in tractatu *de his qui in fide dormierunt* qui nomine Ioannis Damasceni falso, ut videtur, inscribitur (Migne *Patrol. Graec.* xcv. 262, 263). Ait Ioannes Diaconus: *Non legitur Gregorii precibus Traiani anima ab inferno liberata et in paradiso reposita, quod omnino incredibile videtur propter illud quod scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non intrabit in regnum caelorum; sed simpliciter dicitur ab inferni solummodo cruciatibus liberata, etc.* Sed quod negat Ioannes Diaconus, postea asseruerunt cum alii, inter quos erat auctor libri *Fiore di Filosofi* Brunetto Latino Dantis magistro attributi (ed. Bonon. 1865, pp. 60, 61), tum etiam et ipse Dantes *Parad.* xx. 44, 45 (cf. *Purg.* x. 73–93). Vide S. Thom. Aquin. *in IV Sent. dict. xlv. qu.* 2 qu. i. 2 (=*Summae Theolog.* iiiae partis supplem. qu. lxxi. 5), qui dicit *quod de facto Traiani potest probabiliter aestimari quod precibus B. Gregorii ad vitam fuerit revocatus et ita gratiam consecutus sit.* Quod ad bonam Traiani apud Christianos famam pertinet, conferenda sunt Acta S. Eustathii spuria (v. Act. SS. Sept. vi. 132, 134), ubi legitur S. Eustathium, etsi Christianus esset, a Traiano ut magistrum militum cingulo cinctum esse, sed *alterum* qui surrexerat *pro eo imperatorem nomine Adrianum, gentilem ipsum, peiorem impietatibus*, eundem quem cinxerat Traianus bestiis obiecisse quia diis propter victoriam sacrificare noluisset; quod ad viduae et imperatoris colloquium, rem haud dissimilem de Hadriano (ut indicavit H. F. Cary ad locum Dantis *Purgatorii* supra cit.) narrat Dio Cassius lxix. 6.

iustitia aliena; bene agetur cum successore tuo, si liberauerit se ipsum. His uerbis motus imperator descendit de equo et causam praesentialiter examinauit et condigna
b satisfactione uiduam consolatus est. Fertur autem beatissimus papa tam diu pro eo fudisse lacrimas, donec ei in reuelatione nuntiatum sit Traianum a penis inferni liberatum, sub ea tamen conditione ne ulterius pro aliquo infideli Deum sollicitare praesumeret. Vnde merito praefertur aliis cuius uirtus prae ceteris ita sanctis placuit ut eorum meritis solus sit liberatus. Et haec quidem de capite rei publicae dicta sunt.

Cap. 9. *De his qui in re publica obtinent locum cordis, et quod iniqui arcendi sunt a consiliis potestatum, et de timore Dei, et sapientia, et philosophia.*

Cordis locum, auctore Plutarco, senatus optinet. Senatus uero, sicut maioribus placuit, officii nomen est et habet
c etatis notam; siquidem senatus dicitur a senectute. Eum uero Athenienses Ariopagum dicebant, eo quod in illis totius populi uirtus consisteret et, cum ab eis praeclara plurima inuenta sint, nichil salubrius, nichil gloriosius institutum est quam senatus. Quid enim nobilius est cetu senum qui emeriti a uulgaribus officiis ad consilii et regiminis officium transeunt et in marcido corpore exerunt mentis uires? Eo sapientiae magis apti negotiis, quo in

15 plutarcho AM Senatus] sic SM

5 *pro eo fudisse lacrimas*: v. Ioann. Diac. loc. cit.: *Sed cum de superioribus miraculis Romanorum sit nemo qui dubitet, de hoc quod apud Saxonas legitur, huius precibus Traiani animam ab inferni cruciatibus liberatam, ob id vel maxime dubitare videtur, quod tantus doctor nequaquam praesumeret pro pagano prorsus orare; qui quarto Dialogorum suorum librorum* (Migne *P. L.* lxxvii. 404) *docuerit eamdem causam esse cur non oretur a sanctis in futuro iudicio pro peccatoribus aeterno igne damnatis, quae nunc etiam causa est ut non orent pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, non advertentes quia non legitur pro Traiano Gregorium exorasse, sed tantum fleuisse.* De precibus tamen loqui non veriti sunt Abaelardus et S. Thomas Aquinas in locis supra citatis. 16 *sicut maioribus placuit*: v. Cic. *de Senectute* 6 § 19. 19 *cum ab eis* etc.: cf. Aristid. in *Panathenaico* p. 171 Dind. *οὐ γάρ ἐστιν ὑπὲρ τὸν Ἄρειον πάγον οὐδὲν εὑρεῖν εἴ τις ὑπερβολὴν ζητοίη*, quem si citaret *Institutionis Traiani* auctor certe Plutarcho posterior fuit.

exercitiis corporis minus possunt. Eorum utique tantus
honor extitit apud Grecos ut duces rei publicae nusquam
procederent, nichil egregium ageretur quod senes instituti
non inducerent aut approbarent, et, quod magis est, ab d
initio urbis conditae nomina eorum aureis litteris scripta
sunt, ipsique patres conscripti ab omnibus appellati qui
alios sapientia etate et affectu paterno praecedebant. Penes
istos consiliorum erat auctoritas et omnium publice geren-
dorum. Ceterum licet ab etate nominis uideatur esse
origo, hanc ego arbitror tam corporis esse quam mentis.
Etas namque mentis sapientia est in qua omnium officiorum
consistit distributio et artificium totius uitae. Ars namque
recte uiuendi (ut Stoicis placet) ars artium est. Nullam
uero esse artem maximarum rerum, cum in minimis quoque
artem esse nullus ignoret, opinio est hominum parum
considerate loquentium et in maximis rebus errantium,
omnia magis pro libito statuentium quam pro ueritate.
Est autem, ut antiquis philosophis placet, sapientia rerum 561 a
diuinarum et humanarum princeps et gerendorum omitten-
dorumque scientia. Huic uero insistere philosophari est,
eo quod philosophia sit studium sapientiae. Vt ergo
antiquis placuit, ad ostium sapientiae philosophia pulsat
et, cum ei apertum fuerit, anima rerum luce dulciter
illustrata, nomen philosophiae euanescit; aut, sicut per-
spicacioribus uisum est, uoluntatis appetitus impletur, cum
flos studii uergit in fructum; nam philosophiae finis
sapientia est. Sed nescio quonam pacto iam uersamur
in fine illius cuius initium nondum agnouimus, quod in

---

6 apellati S 13 stoycis A 18 phylosophis M 21 phylosophia M 22 phylosophia M 24 phylosophiae M

---

11 *omnium officiorum* etc.: cf. Val. Max. 2. 6 § 4, et supra, i. 3 (390 B). 12 *Ars namque* etc.: Hanc formulam non repperi; cf. Cic. *Tusc. Disp.* iv. 3 § 5, Aug. *de Civ. Dei* iv. 21, Macrob. *Sat.* vii. 15 § 14. 18 *Est autem* etc.: v. Cic. *de Off.* i. 43 § 153. 21 *philosophia studium sapientiae*: Cic. *de Off.* ii. 2 § 5. *Vt ergo antiquis* etc.: Quo auctore dicat quae sequuntur, nescio; de philosophia et sapientia cf. Sen. *Ep.* 89 §§ 4–7. 22 *ad ostium*: Markland 'sic p. 245,' [i. e. c. 10 563 A] 'Anglicismus "knocks at the door".' Nam Latine *pulsare ostium* dicitur; notandum tamen est Ambros. *in Ps. cxviii Serm.* xii. § 14 ex versione antiqua Itala Cant. v. 2 citare: *Vox fratris mei pulsat ad ianuam.* 28 *initium* etc.: v. *Dig.* i. 2 § 1 *certe cuiusque rei potissima pars principium est.*

rebus omnibus potentissima pars esse censetur. Verum-
b tamen qui finem nouit, initium ignorare non potest, cum radix initii per multiplices uirtutis tramites usque ad coronam finis fructusque dulcedinem uiuacitatis suae soliditate pertranseat. Ecce, inquit beatus Iob, timor Domini ipsa est sapientia et recedere a malo intelligentia. Aliam uero radicem sapientiae nusquam inuenio, cum in eo consentiant omnes quod initium sapientiae timor Domini. Timor ergo initium et in timore processus est et omnium uirtutum culmen, siue illud caritatem siue sapientiam dicas, non usquequaque alienum est a timore. A filiali seruilem diuide; in hoc initium, in illo sapientiae constitue perfectionem. Quocumque modo se luxus uerborum extollat, uerum est quia sapientia initiatur in
c timore et quod sanctus timor Domini permanet in seculum seculi. Manet itaque radix et incrementis gratiae inualescens in ramos uirtutum proficit, et uis eius ad fructum perfectae caritatis usque pertingit, quae penarum nescit aculeos, cum non sit metus in caritate, qui penam habet, et sit timoris indicium quod bona opera iugiter facit et iustitiae continens eandem apprehendit. Metus ergo uidetur cedere, dum gratia proficit ad uirtutem; quia iam non timet seruiliter qui filiali affectu ad reuerentiam et bona opera incitatur. Semper, inquit beatus Iob, quasi tumentes fluctus super me timui Deum, et pondus eius ferre non potui. Vtique se non quandoque dicit timuisse sed semper,
d et eum perfectum esse non dubitas, cui ipsius Domini testimonio uir similis non erat in terra. Nec eum metu penarum caritate deducta credibile est a malis temperasse quem in perfectione iustitiae fuisse non ambigis consummatum. Iam in commendatione timoris sermo processit

---

13 *post* constitue *add.* profectum et exinde M 19 karitate S 21 Metus] Modus CBAS[1]

---

5 *Ecce timor* etc.: Iob xxviii. 28. 8, 9 *initium sapientiae timor Domini*: Ps. cx. 10, Eccli i. 16. 12 *A filiali* etc.: cf. Bed. *in Prov. i.* 7 (Migne *P. L.* xci. 939). 15 *sanctus timor* etc.: v. Ps. xviii. 10. 19 *non sit metus* etc.: v. 1 Ioann. iv. 18 (ubi *timor* legitur). 20 *bona opera* etc.: v. Eccli xv. 1. 24 *Semper* etc.: Iob xxxi. 23. 27, 28 *ipsius Domini testimonio*: v. Iob i. 8.

et nondum innotuit quid sit timor. Sed utinam consistat in corde, cuius appellatio totiens uersatur in ore. Si enim mentem ille tetigerit, lingua efficacius et sibi salubrius disputabit. Nam in ore frustra uoluuntur uerba, si uirtutis deficiunt opera. Est autem timor Dei, sicut beatissimus papa Gregorius asserit, nichil eorum quae agenda sunt praetermittere. Hoc utique praetermittitur quod nec opere nec uoluntate impletur. Quicquid enim uis et non potes, factum Deus reputat, eo quod uoluntas plena 562 a totius operis mercedem consequitur. Certum est autem quia qui Deum timet, nichil negligit et bona facit. Qui uero diligenter omnia inuestigat et cognitis rebus quae sunt agenda exequitur, proculdubio sapiens est et aptissimus consiliis principum. Vbi tanta morum grauitas innotuerit, etatem corporis frustra quisque causatur. Hic est enim senex, quem praeeligendum consiliis sapientiae monita docent. Ait enim: Senectus uenerabilis est non diuturna neque numero annorum computata. Gloria senum canities. Cani sunt sensus hominis, et etas senectutis uita immaculata. Beatus plane qui hanc apprehendit etatem, ut de innocentia uitae conscientiae suae testimonio b gaudeat. Sed dicis forte: Quis est hic, et laudabimus eum? Vtique non eum arbitror expectandum dandis consiliis, qui peccatum non fecerit, sed quem peccare non iuuat, qui peccatum oderit uirtute gaudeat et eam magno desiderio concupiscat, hominem scilicet bonae uoluntatis. Sed nec istud ad unguem resecandum est; benigniori potius (ut dicitur) Minerua, qui non simpliciter sed aliorum col-

2 apellatio S 8 Quicquit A 23 arbitror eum A

5 *Est autem timor* etc.: v. Greg. M. *Mor.* i. 3 § 3 in Iob i. 1 (Migne *P. L.* lxxv. 530). 11 *qui Deum timet* etc.: Eccles. vii. 19. *et bona facit*: v. Eccli xv. 1. 17 *Senectus* etc.: Sap. iv. 8. 18, 19 *Gloria senum canities*: Prov. xx. 29; *gloria* pro Vulg. *dignitas* citat Sabatier ex Hieron. *Comm. in Isa. iii.* 2 (Migne *P. L.* xxiv. 59). 19 *Cani sunt* etc.: Sap. iv. 8, 9. 22 *Quis est hic* etc.: Eccli xxxi. 9. 26 *hominem bonae uoluntatis*: v. Luc. ii. 14. 27 *ad unguem resecandum*: v. Cic. *de Amicitia* 5 § 18. 27, 28 *benigniori Minerua*: opp. *inuita Minerua* Cic. *Off.* i. 31 § 110, Hor. *A. P.* 385. 28 *qui non* etc.: sc. *eum arbitror exspectandum dandis consiliis, qui non* etc.

latione innocens uideatur. Quis enim gloriabitur se usquequaque castum habere cor, cum et astra munda non sint in conspectu illius qui in angelis suis repperit prauitatem? Iniqui ergo arcendi sunt, superbi et auari, et omnis huius-
c modi pestis hominum. Nichil enim perniciosius est iniquo diuitis consiliario. Omni, inquit, custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso uita procedit. Est itaque prouidendum potestati ne consiliarii eius indigeant, ne aliena immoderatius concupiscant. Quod etiam ad eos usque protenditur, qui in corpore rei publicae interiorum obtinent uicem, quos quaestores et commentarienses et rerum priuatarum comites esse praediximus. Haec enim omnia ad satietatem reficienda sunt, et hanc ex necessitate et usu, habita ratione personarum, oportet interpretari. Si enim reficiantur auidius et minus digerant, generant morbos aut incurabiles aut difficiles. Impossibile siquidem est quemquam iustitiam et pecuniam sequi; aut enim uni istorum
d quilibet adherebit et alterum contempnet, aut torquebitur altero melioris expers. Auaro namque teste Sapientia nichil scelestius est et nichil iniquius quam amare pecuniam; hac enim animam suam uenalem habet et in uita sua proiecit intima sua. Et forte ideo crates pectoris costarumque soliditatem et extremae cutis claustrum natura diligentissima parens circumposuit intestinis, quo aduersus omnem exteriorem uiolentiam fierent tutiora, et eis quod necesse est ministrat, nec umquam sine salutis suae dispendio exterioribus exponuntur. Oportet autem in re publica hanc naturae opificis seruari imaginem et his necessariorum copiam de publico ministrari.

10 optinent ASM 28 ymaginem M

1 *Quis gloriabitur* etc.: Prov. xx. 9, citatum sec. Hieron. *Dial. adv. Pelagianos* ii. 4 (Migne *P. L.* xxiii. 539); v. Sabatier ad loc. 2 *astra munda* etc.: v. Iob xxv. 5; *astra* pro Vulg. *stellae* citat Sabatier ex Hieron. *Dialog. adv. Pelagianos* ii. 24 (Migne *P. L.* xxiii. 563). 3 *in angelis* etc.: Iob iv. 18. 6 *Omni custodia* etc.: Prov. iv. 23. 12 *praediximus*: v. supra c. 2 (540 c). 17 *uni istorum* etc.: v. Luc. xvi. 13. 19 *Auaro* etc.: v. Eccli x. 9, 10. 21 *hac*: *hic* Vulg. 22 *crates pectoris*: Verg. *Aen.* xii. 508. 28 *naturae opificis*: v. Plin. *Hist. Nat.* xxxi. 1. 1 § 1.

Cap. 10. *De lateribus potestatum, quorum necessitas explenda est, malitia reprimenda.* a

Sed et in lateribus, his scilicet qui principibus debent assistere, haec naturae formula seruanda est. Constat enim quia a conuictu mores formantur. Qui tangit picem inquinatur ab ea;

uuaque contacta liuorem ducit ab uua.

Nec domi illorum iustitiam esse credas aut ueritatem aut pietatem, apud quos uides omnia esse uenalia. Christus ipse exclusus est et, si pulsat ad ostium, non aperitur ei; fugiunt et fugant gratiam qui omnia ad pretium et gratis b faciunt nichil. Si preces porrigendae sunt, si causa examinanda, si executioni mandanda sententia, si conficienda cautio, omnia nummus agit, ueritas ceca est, pietas manca, dum

quantum quisque sua nummorum seruat in arca,
tantum habet et fidei.
Contempnere fulmina pauper
creditur atque deos, diis ignoscentibus ipsis.

Qui corruptior moribus et corrumpentior muneribus apud istos beatior est. Si principum manus euaseris, grandis tibi restat uia arta et ardua; antequam tortores extremos effugias, sudandum est tibi. Ecce instrumenta tua conficit Cossus; si eum salutare licuerit, pro magno reputa. Si c cedulam non attuleris, frustra accedes. Si autem attuleris, inutilis est nec adquiescet ut manus nobilis uitio membranae degeneret. Quid multa? Suam necesse est comparari, cum nec opera nec calamus aut sepiolae aut nigrae lolliginis succus tibi constet inemptus. Sed et ipsas

10 hostium CA^{1}S 19 ignocentibus S 25 scedulam AM
26 acquiescet CBA 28 sepyole M

5 *Qui tangit* etc.: v. Eccli xiii. 1. 7 *uuaque* etc.: Iuv. *Sat.* ii. 81. 10 *si pulsat* etc.: v. Apoc. iii. 20. *ad ostium*: v. supra c. 9 (561 A). 11 *omnia ad pretium*: v. Iuv. *Sat.* iii. 183, 184. 16 *quantum quisque* etc.: Iuv. *Sat.* iii. 143, 144. 18 *Contempnere* etc.: Iuv. *Sat.* iii. 145, 146. 24 *Cossus*: v. Iuv. *Sat.* iii. 184. 28, 29 *nigrae lolliginis succus*: Hor. *Sat.* i. 4. 100.

sillabas et apices, nisi eum tibi propitium feceris, sic distorquebit, tot tibi uerborum ponet tendiculas, ut pro pace bella pro quiete ligitium amici instrumento uideatur inscribere. Si cingulum forte tibi uenustius fuerit, si incisorium aptius, si quid in minuta suppellectili decentius, rebus eius connumera, nisi tibi perire uelis operam et impensam. Aut enim precibus extorquebitur aut eas d liberalitate praeuenies. Tandem pilleum, qualecumque sit, asportabit amicus in memoriam tui. Iam a Cosso digrederis, sed tibi ignis purgatorius imminet, superest Vegento, quem multa sollicitabis instantia et magno artificio gestus precum et munerum ut te clauso labello respiciat. Tunc de singulis uerbis in consilium itur, deliberationi praescribit tempus, et apices singuli ponuntur in statera. Nisi eum praemulseris, occurret tibi non fideliter rei gestae concepta series aut stilus incultus oberit aut a publica forma notarii uel scriniarii diuertens benignitas aut negligentia iuris; et aliquis semper nodus pecunia uindice indigebit. Vt 564 a uero minimum ledat, longa expectatione torqueberis, dum differtur quod negari non potest. Experto crede, in manus eorum milies incidi, et (ut aliquid de fabulis mutuemur) portitor immitis Caron, qui nemini pepercit umquam, istis longe clementior est; stipe siquidem uel triente solet esse contentus. At isti asses integros sibi multiplicari iubent. Sed quid est quod apud curiales omnia queror esse uenalia, cum ea etiam quae non sunt, rerum scilicet priuationes, uenalitio constet esse obnoxia? Non opus, non sermo gratuitus est, non tacetur nisi ad pretium; silentium namque res uenalis est. Hoc forte a Demostene acceperunt, qui cum Aristodimum actorem fabularum interrogasset quantum mercedis uti ageret accepisset, et responderetur

---

5 supellectili S

---

5 *incisorium*: 'Orbiculus mensarius, super quo escas *incidimus*' (Du Cange s. v.); Anglice *trencher*. 10 *Vegento*: potius *Veiento*; v. Iuv. *Sat.* iii. 185. 12 *ut te clauso* etc.: Iuv. *Sat.* iii. 185. 18 *nodus uindice*: v. Hor. *A. P.* 191. 22 *Caron*: v. Iuv. *Sat.* iii. 265–267. 30 *cum Aristodimum* etc.: v. Gell. xi. 9 § 2.

ei: Talentum; At ego, inquit Demostenes, plus accepi ut tacerem. Causidicorum siquidem est lingua dampnifica, b nisi eam, ut dici solet, funibus argenteis uincias. Nec unum, nisi forte potentissimus sit, proficit illaqueare muneribus, quia in quo unius tibi conciliatur gratia, aliorum concitatur inuidia. Sibi namque praereptum arbitrantur quod aliis erogatur. Hoc autem a maximis pertransit ad minimos qui, nisi mulceantur obsequiis et reficiantur muneribus, sibi fieri iniuriam suspicantur.

Maxima quaeque domus seruis est plena superbis;

et eadem cupidis plena est et auaris. Illi tamen perniciosius nocent inter omnes curiae nugatores, qui sub praetextu honestatis et liberalitatis miseriae suae solent ineptias colorare, qui nitidiores incedunt, qui splendidius c epulantur, qui propriam ad mensam saepius extraneos compellunt accedere, humaniores domi, foris benigniores, affabiliores in sermone, liberiores in sententiis, in proximorum cultu munifici et omnium uirtutum imitatione praeclari. Vt enim ait ethicus: Totius iniustitiae nulla est capitalior quam eorum qui, cum maxime decipiunt, id agunt ut boni uiri esse uideantur. His utique uirtutis umbra licentiam facit; et unde uix oportuerat sperari ueniam, gloriam assequuntur. Possunt impune plurima extorquere qui paruo non possunt, immo dedignantur esse contenti. Notum quidem est et generale prouerbium quia

seruiet eternum qui paruo nesciet uti.

Ne tamen cum his me bellum inexorabile gerere putes, d munera curiales licenter accipiant, dum non extorqueant impudenter. Pudor autem abicitur simul ac ad exactiones uentum est. Verbum, inquit, uerecundum supplici ac submissa uoce dicendum Rogo; nec gratis tulit qui cum

17 affabiles M 23 assecuntur S 24 *post* immo *add.* non SM dignantur S 31 summissa A

8 *reficiantur*: cf. *refresher* apud nos de pecunia advocatis iterum data vulgo dictum; cf. notam ad voc. *refrigerio* supra iii. 7 (488 A). 10 *Maxima quaeque* etc.: Iuv. *Sat.* v. 66. 19 *Totius iniustitiae* etc.: Cic. *de Off.* i. 13 § 41. 26 *seruiet eternum* etc.: Hor. *Ep.* i. 10. 41. 30 *Verbum* etc.: v. Sen. *de Benef.* ii. 2 § 1.

rogaret accepit. Bis enim emit qui rogat; ad rei namque uel spei pretium uerecundiam uendidit. Munus uero iustae reprehensionis non habet notam quod deuotio liberalitatis obtulit, non improbitas deprecantis extorsit; ita tamen ut iniquorum munera non acceptet, cum ingrati hominis
565 a sit uotis non fouere beneficium et impium pro muneribus iustificare dicente Domino sit iniquum. Vtique beneficium accipere est uendere libertatem; et dedecens est seruos esse qui debent aliis imperare. Verumtamen et causae ratio habenda est et personae, ut nec a turpi nec turpiter accipiatur quod ex loco et tempore et modo latius oportet inquiri. Nam plerumque a manu, plerumque a causa, a tempore interdum, interdum a loco uel modo splendent munera uel sordescunt. At improbitas curialium eo usque innotuit ut de testimonio conscientiae, de uenustate morum, de odore opinionis, de sinceritate causae, de torrente eloquentiae, nisi pretio interueniente quis frustra confidat.

Ipse licet uenias Musis comitatus, Omere,
si nichil attuleris, ibis Omere foras.

b Non modo leones et tigrides eloquentiae beneficio lenisse dictus est Orpheus sed apud ipsum Ditem uox dulcior perorauit canemque tricipitem exorauit causa fauorabilior ut admissam semel Euridicen contra morem inferorum liceret educere. Tu uero, licet Orpheus sis aut Arion uel ille qui solo testudinis sono saxa, ut dicitur, emolliuit, nichil apud curiales efficies, nisi plumbea eorum corda aureo uel argenteo malleo uanitatis uel cupiditatis incude emollias. Inclementiam Cerberi omnes abhorrent; ego me credo uidisse hostiarios Cerbero duriores. Apud inferos tamen Cerberus unus est; quot sunt diuerticula curialium, tot

4 optulit A 5 ut *om.* M 6 beneficum S 9 Verumptamen A 29 ostiarios A²M

1 *Bis emit* etc.: Sic converti potest *Bis gratum quo opus est, si offeras ultro datum* Publ. Syr. (ed. Friedrich p. 31). 6 *impium* etc.: v. Isa. v. 23. 18 *Ipse licet* etc.: Ov. *Art. Amat.* ii. 279, 280. 21 *Orpheus*: v. Verg. *Georg.* iv. 454–503, Ov. *Metam.* x. 4–63. 22 *canem tricipitem*: Cic. *Tusc. Disp.* ii. 10 § 22. 25 *ille*: sc. Amphion; v. Hor. *A. P.* 394, 395; qui etiam v. 393 Orphei *tigres rabidosque leones* lenientis mentionem facit.

Cerberi sunt. Atrienses quoque Cerbereos sustinebis totamque familiam quae semper aut mordet aut latrat. Omnes uero, quotquot sunt, in uno medicos audierunt c dicentes: Dum dolet, accipe; facturi etiam, si sibi expedire crediderint, ut doleat quod sanum est. In uno tamen piissimos esse miraberis, quod querelas libenter audiunt, fouent humiliorum causas et eo usque patrocinantur afflictis, dum exhauriant loculos pleniorum. Nam quocumque modo causa procedat, hoc semper agitur ut loculi impleantur, etsi auaritia nequeat satiari. Quisquis in istorum manus inciderit, si penitens inuenitur, opinor haec tormenta ei sufficere posse ad ueniam. Nichil adeo graue est quod hic expiari non possit. Quid enim miserius est quam superbis assidere liminibus, praetergredientium tolerare fastum et contemptibilium calcari contemptu perferre molestias excussorum et ab indignis quaeuis indigna perferre? Socrates, d cum eum Alcipiades interrogaret quare Xantippem, uxorem admodum morosam iurgiosam et quae diu noctuque muliebribus scatebat molestiis, domo non abigeret, inquit: Cum talem domi perpetior, insuesco et exerceor ut ceterorum quoque foris petulantiam et iniuriam facilius feram. Veteri celebratur prouerbio quia uacuae manus temeraria petitio est; et profecto importunus precator est qui dandas res ad uerba confidit. Vtrobique enim scilicet apud curiales et medicos obtinet:

Pro solis uerbis montanis utimur herbis;
pro caris rebus pigmentis et speciebus.

---

12 *post* Nichil *add.* enim M 17 alcypiades M xantyppem M
18 *post* morosam *add.* et A 25 optinet BA

---

4 *Dum dolet, accipe*: v. supra ii. 29 (476 c) et notas ad loc. 13 *Quid enim miserius* etc.: cf. Shakespeare *Hamlet* iii. 1. 70–74

For who would bear the whips and scorns of time,
The oppressor's wrong, the proud man's contumely,
. . . .
The insolence of office and the spurns
That patient merit of the unworthy takes, etc.

16 *Socrates* etc.: v. Gell. i. 17 §§ 1–3. 22 *uacuae* etc.: Hoc proverbium alibi non repperi. 26 *Pro solis uerbis* etc.: Hi versiculi exstant in quibusdam *Regiminis Sanitatis* seu *Scholae Salernitanae* editionibus (*Collect. Salernit.* Neap. 1859 tom. v. p. 103; Meaux St-Marc *L'École de Salerne* Par. 1880 p. 266).

a Inter alios tamen benigniores sunt qui minimum possunt, licet fere omnes proni sint ad nocendum quod cuiuis longe facilius est quam prodesse. Exerceant ergo nundinas suas, loculos alienos exhauriant, farciant suos, possideant quantum Paccuuius, montibus aurum exaequent, nec ament aliquem nec amentur ab ullo, sint admirationi ignotis dum domesticis sint odio uel contemptui. Tale aliquid in ueterum Romanorum scriptis inuenies. Cum Publius Cineus Grecinus (aut si alio potius dicitur nomine) argueretur ab amicis quod uxorem formosam castam et nobilem repudiaret, respondit: Et hic soccus, quem cernitis, nouus elegans et inspectoribus omnibus placens est, sed nemo scit praeter
b me solum ubi me premat. Legitur in libro Numerorum quod cum Madianitis fornicans Israel indignationem Domini prouocauerit, donec Finees Zambri filium Salu cum succuba Madianitide educto ense transuerberauit et in occasu nocentum quieuit ira Dei. Factus est ergo sermo Domini ad Moysen dicens: Tolle cunctos principes populi et suspende eos contra solem in patibulis. Peccauerat quidem populus et fornicatio principum non exprimitur, rapi tamen praecipiuntur principes ad patibulum et in pena eorum quies delinquenti populo reparatur, eo quod ex negligentia praesidentium saepissime prouenit excessus subditorum. Refert itaque potestatis istorum cohibere malitiam et eisdem de publico prouidere ut omnis grassandi
c occasio subtrahatur. Quod et in iure Romano antiquitus cautum est, alioquin auctor uidebitur maleficii quod praetermisso officio emendare contempnit. His enim flagellis hominum, innocentumque tortoribus, quo praeclarior et

5 pacuuius A 12 in pectoribus C^2BAM 15 Salomi M 16 madianidide S 18 *post* populi *add.* israel A

4 *possideant* etc.: v. Iuv. *Sat.* xii. 128–130. 8, 9 *Cum Publius Cineus Grecinus* etc.: v. Hieron. *adv. Iovinian.* i. 48 (Migne *P. L.* xxiii. 279) qui tamen *quemdam apud Romanos nobilem* tacito nomine ita dixisse asserit. Idem etiam tacito Romani nomine apud Plutarchum *Coniug. Praec.* 22 (141 A, B) legitur. 11, 12 *nouus elegans et inspectoribus omnibus placens est*: *uidetur uobis nouus et elegans* Hieron.; *καλὸς ἰδεῖν καὶ καινός* Plut. 13 *Legitur* etc.: v. Num. xxv. 6 seqq. 18 *Tolle cunctos* etc.: Num. xxv. 4. 26 *Quod et in iure* etc.: v. *Authentic.* coll. ii. tit. 2 (=*Nov.* viii.) c. 7.

potentior, eo plenior et perniciosior curia est. Frequens etenim est ut curia recipiat uel faciat uitiosos, apud quos inualescit audacia delinquendi cum ex familiaritate potentum uitiis indulgetur. Sed et de anteacta uita cuiuscumque frustra praesumitur, cum inter curiales uix possit innocentia retineri. Quis est enim cui uirtutem non excutiant curialium nugae? Quis est tantus, quis tam solidus ut corrumpi non possit? Optimus est qui resistit diutius, qui ualidius, qui corrumpitur minus. Nam, ut sit uirtus incolumis, a curialium uita diuertendum est. Prouide quisquis hoc dixerit et prudenter curiae naturam d
expressit:

Exeat aula
qui uult esse pius.

Vnde eleganter fons Salmacis infamia mollitiei insignis eidem comparatur. Vt enim in fabulis est, unda illius aspectu decora est, gustu dulcis, suauis tactu et omnium sensuum usu gratissima, sed tanta mollitie ingredientes eneruat ut uiris effeminatis nobiliorem adimat sexum; nec ante quisquam egreditur quam stupeat et doleat se mutatum esse in feminam. Aut enim cedens omnino sexus in deteriorem degenerat aut ueteris dignitatis aliquo manente uestigio hermafroditum induit, qui quodam delinquentis 567 a
naturae ludibrio sic utriusque sexus ostentat imaginem ut neutrius retineat ueritatem. Hac autem poetici nube figmenti nugarum curialium repraesentatur imago, quae uiros abiecta uirtute emolliunt aut imagine retenta peruertunt. Qui curialium ineptias induit et philosophi uel boni uiri officium pollicetur, hermafroditus est, qui duro uultu et hispido muliebrem deturpat uenustatem et uirum muliebribus polluit et incestat. Res siquidem monstruosa est philosophus curialis; et, dum utrumque esse affectat,

2 etenim] enim AS[1] 23 ermafroditum M 24 ymaginem M 26 ymago M 27 *post* aut *add.* uirtutis M ymagine M 29 ermafroditus CA[1]SM

13 *Exeat aula* etc.: Lucan. *Phars.* viii. 493, 4. 15 *Salmacis*: v. Ov. *Metam.* iv. 285 seqq.

neutrum est, eo quod curia philosophiam excludit et ineptias curiales philosophus usquequaque non recipit. Non tamen ad omnem curiam comparatio transit sed ad **b** illam dumtaxat quae insipientis distemperatur arbitrio. Qui enim sapiens est nugas abigit, componit domum et uniuersa illius subicit rationi. Vt enim ait Sapientia: Quae communicatio sancto homini ad canem aut luci ad tenebras? Omne animal diligit simile sibi et omnis homo proximum suum. Omnis caro ad similem sibi coniungitur et omnis homo sociabitur simili sibi. Si lupus agno aliquando communicauit, sic peccator iusto.

Cap. 11. *De oculis auribus et lingua potestatum, et de officio praesidis, et quod iudicem oportet habere iuris et aequi notitiam, uoluntatem boni, et potestatem exequendi, et quod iuramento debet esse legibus alligatus et a sordibus munerum alienus.*

c Sequitur oculorum aurium et linguae collatio, quam in praesidibus prouinciarum consistere superius dictum est. Praeses igitur est qui in iure reddendo prouincialibus praesidet. Hic autem aequi et iniqui debet habere notitiam et facultatem et animum eius quod iustum est exequendi. Nam sicut medico euentus mortalitatis imputari non debet, ita, si quid triste per imperitiam eius contigerit, ei merito imputatur. Quod si nouit et non uult, non ex ignorantia sed ex malitia condempnatur. Finis siquidem utriusque dampnatio est; licet ignari mitius puniantur, nisi forte ignorantiam negligentia procurauerit. Nam si ignorantia **d** inuincibilis est, non affert mortem sed ab innatis tenebris excusatur. Si uero scit et uult aequitati seruire nec potest, non tam praesidis est culpa quam principis. Sed ad religionem iudicis haec eadem pertinere certissimum est, cum ipsum iuris oporteat habere notitiam, uoluntatem boni,

---

1 phylosophiam M 8 sibi simile M 29 et *om.* C²BA

---

7 *Quae communicatio* etc.: Eccli xiii. 22; 2 Cor. vi. 14. 8 *Omne animal* etc.: Eccli xiii. 19–21. 22 *sicut medico* etc.: v. *Dig.* i. 18. 6 § 7.

uires exequendi, et sacramento debeat esse legibus obligatus ut sibi omnino illicitum nouerit ab earum sinceritate diuertere. Nam de sapientia eius Sapientia docet. Iudex, inquit sapiens, iudicauit populum suum et principatus sensati stabilis erit. Secundum iudicem populi, sic et ministri eius; et qualis rector est ciuitatis, tales et inhabitantes in ea. Sed et uires necessarias esse non tacuit, dicens: Noli quaerere iudex fieri, nisi ualeas uirtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis et 568 a ponas scandalum in agilitate tua. Non pecces in multitudine ciuitatis nec te immittas in populum; neque alliges duplicia peccata, nec enim in uno eris immunis. Noli esse pusillanimis in anima tua; exorare et facere elemosinam non despicias. Ne dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus, et offerente me Deo altissimo suscipiet munera mea. Non irrideas hominem in amaritudine animae; est enim qui humiliat et exaltat circumspector Deus. Ex his diligenti lectori occurret quod uoluntas boni non minus iudici necessaria est quam notitia uel potestas, cum non modo de suis sed ex alienis delictis teneatur et duplici suorum et aliorum prematur onere ut nec in multitudine munerum citra munditiam uoluntatis sit ei fiducia ante b Deum. Vnde et Plato egregie quidem et luculenter (si tamen audiatur) eos qui de rei publicae gerendo magistratu contendunt, ita inter se uersari asserit ut si nautae sub aduersa tempestate decertent quis eorum debeat potissimum gubernare. In quo fortunae calculo aut nullus aut rarus idemque temerarius est qui sine arte et uiribus uendicet magistratum. Et meo quidem tempore nichil miserabilius uidi quam iudices scientiae legis ignaros, bonae uoluntatis inanes, quod conuincit amor munerum et retributionum, id uirium quod habent in obsequio auaritiae iactantiae aut carnis et sanguinis exercentes et a necessitate sacramenti

12 dupplitia A 26 auersa M

3 *Iudex* etc.: Eccli x. 1, 2. 4 *iudicauit*: *iudicabit* Vulg. 8 *Noli quaerere* etc.: Eccli vii. 6–12. 23 *Vnde et Plato* etc.: v. Cic. *de Off.* i. 25 § 87 (ex Plat. *Reip.* vi. 488 B).

c legitimi absolutos. Ex quo planum est principes, qui eis ordinariam iurisdictionem contulerunt, iuris esse ignaros uel contemptores. Sed, quicquid de peritia iuris dicamus aut de uiribus exequendi, iudicem oportet esse religiosissimum et qui omne iniquum morte ipsa magis oderit. Quia ergo praesides ordinariam habent iuris dicendi potestatem, ipsorum et iudicum aliorum una est speculatio; et quod de his dicitur, facile ad aliorum consequentiam trahitur. Est itaque primum quod ex necessitate officii utrisque indicitur, ut iustitiae in omnibus pareatur et nichil eorum quae facienda sunt, fiat ad pretium. Nam quod iniustum est, usquequaque non licet ut nec pro temporali uita fieri liceat.
d Quod uero iustum est, mercedis interuentu non indiget, cum per se fieri debeat et iniquum sit uendere quod debetur. Iustitiam ergo uendere iniquitas est; iniustitiam, iniqua insania. Haec siquidem ubique reprobata est ut nusquam esse debeat; illa ubique debita est ut sine scelere uendi non possit. Neque enim Balaam ex eo culpatur, quod populi Dei causam dampnauerat aliudue dixerit quam quod Dominus inspirabat, sed quia auaritia excecatus, infidelium causam instruens, quomodo ad prouocandam iram Dei delinqueret Israel dictante malitia procurauit. Quaerebat ergo quomodo iuste iustificaret causam impii et quasi illuso Deo gratiam eius subtraheret electis. Aut si aduersa iustificari non posset causa, hoc saltem agebat ut et ab ista
569 a recederet Deus. Compugnantibus namque iniquis, uincere (ut dicitur) consueuit qui uiribus superior est. Balaamitas uideas plurimos qui, licet iniquam nolint ferre sententiam, corrupti tamen muneribus iustitiam partis unius in alteram quauis arte transferre moliuntur. Non facile dixerim utrum sit nequius, licet uenditor aequitatis malitiam fuco fallaciori coloret. Potest tamen uideri nequior qui officii sui principem et reginam, cui fides famulatur, quasi mercem in foro distrahit ac si seruus infidelis dominum uendat.

---

2 iurisditionem CA 19 condempnauerat M 23 ergo *om.* A

---

18 *Balaam*: v. 2 Petr. ii. 15.

Omnis etenim magistratus iustitiae famulus est. Constat autem quia aequitas alienatur a uenditore, licet ad emptorem non transeat; et empta iniquitas sic ad emptorem transit ut nequaquam a uenditore recedat. Et quod in aliis contractibus non reperitur, solus ille iustitiam uendit qui non b habet. Siquidem ante commercium relinquit sordidum uenditorem. Nonne sordidus est qui ad acceptas uel oblatas sordes conscientiam polluit et non tam iustitiam uenalem habet quam animam suam? Doctor gentium diuitias honores et totius mundi uariam suppellectilem contempnit ut stercora, ut solum lucrifaciat Christum, ratus omnia, quae dispendium salutis afferunt, sordibus aggreganda. Recte quidem et fideliter, eo quod nichil mundum, nichil honestum, nichil decens salutem impedit, sed sola turpitudo, quae, sicut dedecet, sic et immunda est et certe inutilis, adeo dampnosa ut nullo temporali emolumento ualeat compensari. Quid enim prodest homini, si uniuersum mundum lucretur faciens detrimentum animae suae? Et uide quia non dixit c mundum inutilem ubi salus perditur, sed etiam ubi minuitur gloria. Quantumuis rutilent gemmae, aurum splendeat et omnibus lenociniis suis arrideat mundus, quicquid munditiam hominis perimit, sordidum; quod decorem animae extinguit, turpe; quod honestatem subuertit, ignominiosum est. Vnde et apud antiquos etiam salutiferae ueritatis ignaros omne quod ex debito officii gratuitum esse oportet, si fiat ad pretium, in sordibus computatur. Ipsius quoque pretii sic dilatant interpretationem, ut non modo pecuniam speciemue contineat, sed obsequium omnemque operam, quatenus alias non debetur. Quod enim ex sordibus est, quid erit nisi sordidum? Non enim potest arbor mala d fructus bonos facere, cum in eo uis naturae consistat, ut

1 etenim] enim SM 2 autem] enim M 5 repperitur AM
10 supellectilem S contemnit C 12 agreganda S

9. *Doctor gentium*: v. Philipp. iii. 8. 17 *Quid enim prodest* etc.: v. Luc. ix. 25. In Vulg. hodierna *proficit* legitur; sed *prodest* exstat in codice Brixiano; v. Wordsworth & White p. 369. 24 *apud antiquos*: v. Cic. *de Off.* ii. 6 §§ 21, 22. 30 *Non potest arbor* etc.: Matt. vii. 18.

similia ex similibus procreentur. Ceterum, quia praesidum et aliorum iudicum communem esse inspectionem praemisimus, aequitatis et publicae quietis ministri sunt, quos tanto circumspectiores et cautiores oportet esse magisque sollicitos, quo illius reseruantur examini, cuius prudentia circumueniri non potest aut iustitia corrumpi; illo optinente, ut in quo iudicio iudicauerint, iudicentur, et mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem in sinus suos a iudice iusto recipiant.

570 a Cap. 12. *De sacramento iudicum, et collatione Pitagorae et Alexandri, et in quibus rebus gratiam partibus possit facere iudex, et de quaestionibus captiosis.*

Et quidem iudices sacramento legibus alligantur iurati, quia omni modo iudicium cum ueritate et legum obseruatione disponent. Ipsoque iure cautum est ut sacrorum Euangeliorum scripturae terribiles ante sedem iudicialem deponantur ibique ab initio litium ad finem usque permaneant nec amoueantur nisi sententia recitata, quo totius consistorii latitudo Dei ipsius repleta praesentia omnibus ad sacrosanctas scripturas metum incutiat et reuerentiam et ab inquisitione ueritatis omnis iniquitas propulsetur.
b Omnes quoque carnis et sanguinis religio iudiciaria propellit affectus euacuans iram et odium, metum et amicitiam; quia, ut ait Iulius Cesar, haud facile animus uerum prouidet, ubi ista proficiunt. Hinc est illud prouerbium auctore Cicerone apud antiquos celeberrimum: Exuit personam iudicis quisquis amicum induit. Aequitas enim, cui iudex obsequium debet, odii sinistram aut amoris dexteram nescit; nam a ueritate non licet in iudiciis declinare. Vt uero plurimum indulgeatur amicitiae, amico interdum

---

10 pithagore S *in indice* 16 euuangeliorum AS 24 haut CBAS 28 dextram M

---

7 *in quo iudicio* etc.: v. Matt. vii. 2, Luc. vi. 38. 13 *sacramento*: v. Cod. Iustin. iii. 1. 14. 16 *scripturae* etc.: v. ibid. § 3. 24 *Iulius Cesar*: Hoc Caesaris dictum non repperi; cf. Catonis *Dist.* ii. 4 (Baehrens *Poet. Lat. Min.* i. 223; cf. infra viii. 7. 651 A) *Impedit ira animum ne possit cernere uerum.* 26 *Exuit* etc.: Cic. *de Off.* iii. 10 § 43 habet: *ponit personam amici cum induit iudicis.*

dilationis gratiam facit. Hoc tamen ipsum raro et non nisi causa cognita. Porro, dum causa anceps est, dilatio protelatur, si non contentionis, saltem decisionis. Nam iudicia festinata penitentiam pariunt. Vnde et Greci, cum urgentur ad sententiam antequam de causa liqueat, c respondent patres suos solem apud antipodas non uidisse sed expectasse semper donec et ipsis oriretur. Dicunt enim praeproperum esse uiatorem qui, antequam lucifer oriatur, crassis adhuc tenebris luceque remota, dietam aggreditur. Sed nec iudicem terreat auctoritas ligatorum, cum Pitagorae in longissimum tempus sit dilata petitio, et Alexandri Macedonis in castrensi iudicio sit causa dampnata; quod et ille acceptum habuit, iudicibus agens gratiam, quorum in eo fidem probauerat, quod iustitiam omni potentatui praeferebant. Nichil uero praeclarius de Alexandro illo, quem publica opinio magnum asserit, in aliqua historia meo iudicio repperi. Michi quidem semper (ut tamen pace eorum loquar, qui temeritatem uirtuti prae- d ferunt) ditissimo Alexandro pauper Pitagoras maior erit. Quod ut mecum conicias, collationem Philippi et Alexandri Trogo Pompeio uel Iustino compendiario eius (si mauis) auctore reuoluas. Ait ergo: Fuit Philippus rex armorum quam conuiuiorum studiosior, cui maximae opes erant instrumenta bellorum, diuitiarum quaestus quam custodia sollertior. Itaque inter cotidianas rapinas semper inops erat. Misericordia in eo et perfidia pari iure dilectae. Apud eum nulla ratio uincendi turpis. Blandus pariter et insidiosus alloquio, qui plura promitteret quam praestaret; in seria et iocos artifex. Amicitias utilitate non fide colebat.

3 descisionis C 10 agreditur S 11 pithagore S: pytagorae M 13 damnata CB 19 pithagoras S: pytagoras M 25 inobs S

4 *Greci*: Hoc Graecorum responsum non reperire potui. 9 *dietam*: i. e. *iter unius diei*; v. Du Cange ed. 1884 s. v. *Dieta* 2. 10 *ligatorum*: coniici potest *litigatorum* (cf. infra c. 13. 573 A ubi ex Codice Iustiniani citatur); si *ligatorum* retineatur, sensu *coniurantium* (v. Du Cange ed. 1885 s. v. *ligati*) intelligendum est. 11 *Pitagorae*: potius *Protagorae*; v. Gell. v. 10 § 15. 13 *ille*: sc. Alexander. 21 *Trogo Pompeio*: Iustinum Trogi Pompeii epitomen scripsisse docet Aug. *de Civ. Dei* iv. 6; v. Schaarschmidt. *Iohann. Saresb.* p. 89. 22 *Fuit Philippus* usque ad *consummauit* (571 B): Iustin. ix. 8 §§ 4–21.

a Gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quaerere sollempnis illi consuetudo. Inter haec eloquentia et insignis oratio, acuminis et sollertiae plena, ut nec ornatui facilitas nec facilitati inuentionum deesset ornatus. Huic Alexander filius successit, et uirtute et uitiis patre maior. Itaque uincendi ratio utrique diuersa. Hic aperta, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fusis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam uincere; hic ubi exarsisset, nec dilatio ultionis nec modus erat. Vini nimis uterque auidus, sed ebrietatis diuersa uitia. Patri mos erat etiam de conuiuio in hostem procurrere, se temere periculis offerre; Alexander non in hostem sed in suos
b saeuiebat. Quamobrem saepe Philippum uulneratum praelia remiserunt, hic amicorum interfectorum conuiuio frequenter excessit. Regnare ille cum amicis uolebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Litterarum cultus utrique similis. Sollertiae pater maioris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi uictis filio animus promptior et honestior. Frugalitati pater, luxuriae filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater iecit, operis tanti gloriam filius consummauit. Ast in uno non modo patris sed omnium ingenuorum transcendit uitia, quod incontinentissimae fuit inuidiae, adeo ut etiam paterni
c triumphi ei lacrimas extorquerent ac si ei uirtus paterna omnium gerendorum praeriperet gloriam. Eos etiam aut propriis manibus interficiebat aut rapi praecipiebat ad penam, qui paternae uirtutis praeconia praedicabant. At Pitagoras apud philosophos tantae extitit auctoritatis ut ad omnium quaestionum decisionem sufficeret, si in parte

2 sollemnis S: solennis M 15 phylippum M 17 cum amicis ille M 21 promtior CBA 31 pithagoras CAS 32 descisionem CS

17 *uolebat*: *nolebat* Iustin. 24 *tanti*: *totius* Iustin. 26 *adeo ut* etc.: Hoc de Alexandro narrat Plutarchus *Vit. Alex.* c. 5 (cf. *Apophthegm.* 179 D); apud Latinos tamen non inveni. 28 *Eos etiam* etc.: v. Iustin. xii. 6. 30 *praeconia*: *praeconium* pro *patrocinium* in Iustin. xii. 6 § 4 forsan legit Ioannes. 31 *Pitagoras* etc.: v. Cic. *de Nat. Deor.* i. 5 § 10.

crederetur Pitagoras extitisse. Tantum namque opinio praeiudicata poterat ut nichil conualesceret ab opposito, dum hoc ipse dixisse diceretur, et ex usu adquiescentium uox ipsa pronominis Pitagoram indicabat. Cum enim simpliciter dicebatur: Ipse hoc dixit; ex praecepta auctoritate, teste Tullio, Pitagoram intelligi oportebat. Hic tamen tota auctoritate sua nequaquam iudicium flexit, sed adhuc interueniente dilatione propter rei ambiguitatem pendet sententia. Thema quidem huiusmodi est: d

Euallus adolescens diues eloquentiae discendae gratia causasque orandi cupiens fuit. Hic in disciplina Pitagorae se dedit, promittens pecuniam quantam Pitagoras petierat, data medietate antequam ingrederetur, daturus alteram quo primum die causam apud iudices perorasset et uicisset. Postea cum diutius auditor assertorque Pitagorae fuisset facundiamque promouisset a studio et transcurso tempore longiori causantibus patrocinium denegaret, ut putabatur, ne doctoris impleret mercedem, habito consilio litem cum eo Pitagoras contestatur. Cum ergo ad iudices ineundae constituendaeque causae uenissent gratia, Pitagoras sic exorsus est: Disce, inquit, stultissime adolescens, utroque 572 a
id modo fore uti reddas quod peto, siue pro te pronuntiatum erit siue contra te. Nam si contra te lis data erit, merces michi ex sententia debebitur, quia ego euicero; sin uero secundum te iudicatum erit, merces michi ex pacto debebitur, quia tu uiceris. Ad ea placide Euallus: Opto, inquit, huic tuae tam ancipiti captioni isse obuiam, si uerba non ipse facerem atque alio patrono uterer. Sed magis in ista uictoria proludium est, cum te non in causa tantum

1 pithagoras CS: pytagoras M 4 pithagoram CS: pytagoram M 6 pithagoram CS: ptagoram B 10 adholescens A 12 pithagoras CS 15 pithagore S 19, 20. pithagoras CS 21 adholescens A 23 erit] fuerit A erit data M 24 euistero C 29 preludium BM

10 *Euallus adolescens* etc.: v. Gell. v. 10; in editione Gellii sua maiore discrepantias Ioannis a textu vulgato contulit Hertzius. *gratia*: om. Gell. 11 *Pitagorae*: *Protagorae* Gell. passim; ut dicit Noster infra 572 B. 13 *data* usque ad *alteram*: *dimidiumque eius dedit iam tunc statim priusquam disceret pepigitque ut reliquum dimidium daret*, Gell.

sed in argumento quoque isto euicero. Disce ergo tu, magister sapientissime, utroque modo futurum uti non reddam quod petis, siue contra me pronuntiatum fuerit
b siue pro me. Nam, si iudices pro causa mea senserint, nichil tibi ex sententia debebitur, quia ego uicero; si contra pronuntiatum fuerit, nichil tibi ex pacto debeo, quia non uicero. Sic ab adolescente discipulo magister eloquentiae inclitus suo argumento confutatus est et captionis uersutae et excogitatae frustratus fuit. Tum iudices, ut antiquae uerbis utar historiae, dubiosum hoc inexplicabileque esse quod utrimque dicebatur rati, ne sententia sua utramque in partem dicta ipsa sese rescinderet, rem iniudicatam reliquerunt, causam in diem longissimum protelantes. Nec multum refert ad propositum Pitagoras an Protagoras, sicut Quintiliano placet et Agellio, litigauerit; neque enim uis est in nomine, dum constet rem ambiguam
c sine temeritate diffiniri non posse. Sunt autem multae captiosae quaestiones, quae tutius et commodius praesertim in iudiciis differuntur quam accelerentur. Vnde et apud dialecticos genus hoc tractus appellatur et a Grecis dicitur, ubi quicquid uerum esse statueris falsum repperitur. Et, si plerumque in his per exceptionem doli mali possit res temperari, et aequitas ipsa iuris interdum queat mitigare rigorem, nisi urgentissima rerum necessitas cogat, in talibus sententiam expedit differre quam ferre. Fere a puero

5 uiscero A 7 uiscero A[1] adholescente A 8 est *om.* M 9 cogitatae M 10 hystorie B: hystoriae M 14 pithagoras CS 15 prothagoras CS et agellio placet C[1]S 20 apellatur S 21 reperitur CB 23 mittigare S

15 *Quintiliano*: v. *Inst. Or.* iii. 1 § 10. 19, 20 *apud dialecticos* etc.: v. *Dig.* xxxv. 2. 88 *dixi τῶν ἀπόρων hanc quaestionem esse qui tractatus apud dialecticos τοῦ ψευδομένου dicitur, etenim quidquid constituerimus uerum esse falsum repperietur . . . ergo per exceptionem doli mali tota ea res temperanda erit.* In *Policratici* codicibus omnibus quos inspexi, in ed. principe et in ed. Par. 1513 omissis vocabulis Graecis legitur *hoc tractus appellatur et a graecis dicitur ubi*, etc. In ed. Lugd. 1513 post *dicitur* sequitur lacuna; quae in edd. Lugd. Bat. 1595 et 1639 vocabulo ζήτησις expletur; nota tamen in margine addita '*al.* abest.' In editionibus recentioribus usque ad nostram legitur ζήτησις, quod vocabulum unde venerit in eius mentem qui editionem Plantinianam (Lugd. Bat. 1595) recognovit, prorsus ignoro.

didicisti quia in quaestionibus, quae habent positiones implicitas et quae latenter inuoluunt contraria, laboriosa solutio est, nisi forte te antiquo Nestore reputes cautiorem. Ne credas somnio, Agamemnoni dictum est in sompnis, dum in excidio Troiaę Grecia laboraret. Huiusque somnii d
interpretationem Ioui censuerunt Grecorum sapientissimi reseruandam. Laborantes uidi quamplurimos, dum quaeritur an qui dicit 'Ego mentior' uerum dicat. Sed neminem uidi qui Scillam uitaret et Caribdim, nisi debilem aut propitium sustinuerit hostem. At in litigiosis disputationibus et declamationibus scolasticis sine periculo ista uersantur. Sed ubi ad forum uentum est, in quo inanis ostentatio ingenii conquiescit et seria dumtaxat agitantur, sine periculo litigatorum aut iudicis in sententiae calculo non erratur. Nec est, ut opinor, quicquam utilius quam periculum differri, si omnino uitari non potest. Iniquissimum tamen est iurgia protelari, cum alterutrius 573 a
litigantium periclitatur utilitas et rei difficultas moram non contrahit. Quicquid igitur expediri potest, accelerandum est; quod consultiore tractatu indiget, differendum.

Cap. 13. *Quomodo iudicium debeat ordinari, et de conceptione sacramenti calumpniae, quod ex necessitate praestant actor et reus, et quid immineat illi qui iuramentum subire detrectat, et de sacramento aduocatorum, et pena calumniatorum, siue praeuaricantium aut tergiuersantium.*

Vt uero rerum ueritas citius illucescat, litigatores ipsos personas uidelicet principales non ante ad litem iudex

4 sompnio ASM   5 sompnii ASM   11 *post* periculo *add.* isto M

3 *Nestore*: v. Macrob. *de Somn. Scip.* i. 3 § 15; cf. supra ii. 15 (429 D).   4 *Ne credas* etc.: Hoc sophismatis τοῦ ψευδομένου exemplum nusquam alibi reperire potui.   7 *Laborantes* etc.: cf. Cic. *Acad.* ii. 30 § 96, Sen. *Ep.* 45 § 10.   21 *Cap.* 13: Hoc cap. cum sequente laudat Savignius *Gesch. des röm. Rechts im Mittelalter* c. 36 (iv. 368) 'So findet sich darin eine Uebersicht des Prozesses nach dem Justinianischen Recht, die um so mehr Lob verdient, da die Rechtswissenschaft doch nur zu den Nebenbeschäftigungen des Mannes gehörte, und da Er schwerlich irgend eine fremde Vorarbeit benutzen konnte.'   27 *litigatores* etc.: v. Cod. Iustin. ii. 58. 2.

admittit quam ei praestito sacramento faciant fidem quod iustitiae suae insistent et calumpniam omnem facient procul. b Actor quidem iuret non calumpniandi animo litem mouisse sed existimando bonam habere causam et quod nichil in tota lite faciet calumpniose ut nec probatio nec dilatio frustratoria exigatur sed id solum quod iustitia uidetur exigere. Reus autem iurabit quod putans se bona instantia uti peruenit ad reluctandum et quod in nullo totius litis articulo calumpniose uersabitur, id solum a iudice uel aduersario exigens quod pro ueritate putat ex necessitate iustitiae exhibendum. Vterque uero iuramenti sui extrema clausula hoc complectetur, ut iurent se nichil dedisse aut promisisse aut daturos esse uel per se uel per mediam personam siue iudicibus siue aliis quibuscumque personis pro ea causa exceptis his quae aduocatis et quibusdam aliis certis personis de iuris indulgentia c praestari licet. Quod si actor sic iurare recusauerit, exclusus a lite cadit ab actione tamquam improbus litigator. Reus uero detrectans subire iuramentum habetur pro confesso et sententiam dampnationis expectat. Sed et ipsi patroni causarum, quo fidelior possit esse examinatio, ab ipsa contestatione litis iuramento artantur ad ueritatem et fidem, iurantes quod, cum omni uirtute sua omnique ope quod iustum et uerum existimauerint clientibus suis inferre procurabunt, nichil studii relinquentes prout cuique possibile est et quod ex industria sua non protrahent lites. Nam eas oportet a iudicibus infra biennium uel triennium terminari. Ipsos quoque aduocatos pari distributione d partibus exaequabit, siue eos petierint siue non, ut aequo Marte possit causa procedere. Haec autem paritas et in uirtutis merito et uiuacitate ingenii, consilii profunditate

17 auctor M 27 a iudicibus oportet A

3, 4 *Actor . . . causam*: verba Iustiniani. 7, 8 *Reus . . . reluctandum*: fere verba Iustiniani. 11 *Vterque* etc.: v. *Authentic.* cxvii. coll. ix. tit. 5 § 1 (=*Nov.* cxxiv. 1). 17 *Quod si actor* etc.: v. Cod. Iustin. ii. 58. 2 §§ 6–8. 20, 21 *Sed et ipsi patroni* etc.: v. Cod. iii. 1. 14 § 4. 27 *Nam eas* etc.: v. Cod. iii. 1. 13. 28 *Ipsos quoque aduocatos* etc.: v. Cod. ii. 6. 7.

et opinione scientiae et nominis auctoritate consistit, ut haec omnia, si fieri potest, apud partes quadam aequitatis lance librentur. Quod si unius prae ceteris est fama hilarior, ex officio iudicantis prout poterit parti aduersariae compensabitur. Qui tamen alicuius litigatorum archana praenouit, non patrocinabitur aduersario, nisi forte citra coniuentiam iudicis separatim cum pluribus alter tractauerit ut alteri paris defensionis copia subtrahatur. Nec est qui a iudice monitus sine excusatione probabili possit cuicumque parti patrocinium denegare, nisi forum sibi praecludi uelit, ut postmodum in causis agendis minime 574 a
audiatur. Si uero praeuaricatus fuerit aduocatus, in conuictum oportet pro qualitate commissi penam grauissimam exerceri. Munus siquidem patrocinii fidelissime inplendum est et sine aduersariorum iniuria. Rationibus namque non probris contendendum est, et ex edicto principis patitur opinionis dispendium quisquis negotio derelicto procax in aduersarii sui contumeliam aut palam pergit aut subdole. Sed, licet patrono merces ex causa honorarii debeatur, concinnatorem uel redemptorem litium esse non licet, ut certae partis emolumentum cum graui damno litigatoris et quadam depraedatione paciscatur. Quicquid autem patronus allegauerit praesente domino perinde est habendum ac si proferatur a domino, nisi ex b
continenti, id est infra proximum triduum contradixerit. Licet autem patronum uinci contigerit, in nullo leditur fama eius, si nichil omisit ex contingentibus et clientis sui iustitiam fideliter fouit; non enim cogitur patrocinari mendacio. Si quid uero lesionis affert causa, in litigantes cadit, siue ciuiliter siue criminaliter actum sit. Hoc autem, quicquid sit, sententia diffinitiua declarat, quae reos condemnat uel absoluit et interdum in ipsos auctores consultissime acerbitatis effundit aculeos. Nam, ut de

4 hylarior CBM 7 aliter M 13 comissi S

5 *Qui tamen alicuius* etc.: Verba non sententiam Cod. ii. 6. 7 § 3 reminiscitur Ioannes. 8, 9 *Nec est qui* etc.: v. Cod. ii. 6. 7 § 2. 15 *Rationibus* etc.: v. Cod. ii. 6. 6 § 1. 19 *Sed, licet* etc.: v. Cod. ii. 6. 5. 23 *Quicquid* etc.: v. Cod. ii. 9 §§ 1, 3.

ciuilibus taceatur, in quibus tamen est eadem inuenire, accusatorum temeritas tribus modis detegitur tribusque subicitur penis. Aut enim calumpniantur aut praeuarican-
c tur aut tergiuersantur. Est autem calumpniari crimina falsa intendere; praeuaricari uera abscondere; at in uniuersum ab accusatione desistere tergiuersari est. Sed lege Remia calumpniantes ad uindictam poscit similitudo supplicii, ita tamen ut postquam reus absolutus fuerit, cum de accusatoris consilio et mente constiterit, si iusto errore lapsus est, absoluatur. Si uero in euidenti calumpnia deprehensus est, pena legitima condempnatur. Quod ipsius pronuntiationis manifestatur uerbo; nam, si pronuntiatum est 'Non probasti,' pepercit actori; si uero, 'Calumpniatus es,' condempnauit eum; et licet de pena infamiae nichil subiecerit, tamen potestas legis aduersus eum exercebitur, adeo ut importet infamiam.

d Cap. 14. *De ratione instrumentorum.*

At in ipsa disquisitione consilii tam in ciuilibus quam in criminalibus causis ad examinandas probationes instrumentorum ratio habenda est. Et quidem instrumenta dicuntur omnia quibus causa instrui potest, siue sint testimonia siue testes; haec tamen illis potiora sunt, eo quod testes testimoniis praeferuntur. Nam, cum testes examinari possint, testimonia semper et apud omnes eadem sunt. In ipsa uero testium examinatione non potest ex regula aliqua diffiniri quid magis iudicem sequi oporteat. Si enim testes omnes eiusdem honestatis et estimationis sint et negotii qualitas ac iudicis motus cum his con-
575 a currerit, sequenda sunt omnia testimonia. Sin uero quidam eorum aliud dixerint, licet impari numero, credendum

3 calumniantur CB 6 accusione S renua CBA 7 calumniantes CB 8 acusatoris S 11 legittima BM condempnetur M 18 in *om.* S 22 praeferantur B 25 aliqua regula BAS

2 *accusatorum* etc.: v. *Dig.* xlviii. 16. 1 §§ 1–4. 14 *infamiae*: infamiam, cuius in loc. cit. nulla est mentio, calumniae praevaricationisve in iudicio publico poenam fuisse docet *Dig.* iii. 2. 1. 19, 20 *instrumenta* etc.: cf. *Dig.* l. 16. 99 §§ 2, 3. 20, 21 *siue sint testimonia siue testes*: Quomodo differant inter se *testis* et *testimonium*, apparet ex *Dig.* xxii. 5. 3 § 3.

est quod naturae negotii conuenit, quod inimicitiae aut gratiae suspicione caret; confirmabitque iudex motum animi sui ex argumentis et testimoniis quae rei aptiora et uero proximiora esse compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testium fidem et testimonia quibus potius lux ueritatis assistit. Ipsis quoque praesumptionibus frequentissime stabit donec probetur contrarium. Nam et Salomon, cum in litigio meretricum infantem diuidi praecepisset, et altera eum mallet alteri uiuum cedere, ipsa tamen reclamante: Nec michi nec tibi sit, sed diuidatur; illi uiuum infantem restituendum censuit, quae non adquieuit ut uiuus moreretur. Argumento si- b
quidem probabili trahebatur ut matrem crederet quae diligebat, cum opinionem eius aut fidem aduersa probatio nequaquam euacuaret. Vnde et diuus Adrianus rescripsit iudicantis dilatans in examinatione testium facultatem; et uerba quidem epistolae haec sunt: Tu magis scire potes quanta fides habenda sit testibus, qui cuius dignitatis et cuius estimationis sint, et qui simpliciter uisi sint dicere, utrum unum eundemque sermonem meditatum attulerint an ad ea quae interrogaueris ex tempore uerisimiliter responderint. Quae argumenta et quemadmodum cuique rei probandae sufficiant, nullo certo modo satis diffiniri potest. Alias numerus testium, alias dignitas et auctoritas, alias ueluti consentiens fama confirmat rei de qua quaeritur c
fidem. Hoc igitur solum tibi respondere possum summatim, non utique ad unam speciem probationis cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te estimare oportere quid aut credas aut parum probatum tibi opineris. Iudici ergo plurimum licet, dum in omnibus seruiat ueritati, quam si (ut solet) apud improbos periclitari cognouerit, ad professionem eius qui necessarii fuerint,

---

2 modum M 17 sunt haec M 21 uerisimile M 28 allegari A[2] 30 ergo] uero M

---

8 *Nam et Salomon* etc.: v. 3 Reg. iii. 16 seqq. 15 *Vnde et diuus Adrianus* usque ad *opineris* (575 c): v. *Dig.* xxii. 5. 3 §§ 1, 2. 32 *qui necessarii fuerint* etc.: v. *Dig.* xxii. 5. 3 § 6.

euocabit et ad testimonium compellet inuitos; his tamen exceptis, quos aduersus certas personas testificari iura non cogunt.

Cap. 15. *Quae pertineant ad religionem proconsulum* d *praesidum et ordinariorum iudicum, et quatenus exenia protendi liceat; et de Cicerone, Bernardo, Martino, Gaufrido Carnotensi.*

Pertinet autem ad religionem praesidis prouidere ne potentiores uiri iniuriis afficiant humiliores, ne defensores eorum calumpniosis criminibus insectentur innocentes. Prohibebitque illatas exactiones et uiolentias factas et extortas metu uenditiones et cautiones uel sine pretii numeratione, ne et ipse prouinciam in praebendis hospitiis oneret, denique ne quis iniquum lucrum uel dampnum sentiat, praecauebit. Congruit enim bono et graui praesidi curare ut pacata et quieta sit prouincia; quod facile optinebit, si sollicite agat ut malis hominibus prouincia 576 a careat eosque conquirat. Nam et sacrilegos latrones fures plagarios conquirere debet et, prout quisque deliquerit, in eum animaduertere receptatoresque eorum, sine quibus latro diutius latere non potest. Omni uero ius reddenti obseruandum est ut in adeundo quidem facilem se praebeat sed contempni non patiatur. Vnde mandatis adicitur ne praesides in ulteriorem familiaritatem prouinciales admittant; nam ex conuersatione aequali contemptio nascitur dignitatis. Et summatim ita ius reddi debet ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat. Sed et in cognoscendo nec excandescere aduersus eos quos malos putat, nec

---

14 honeret S 15 sentiet BA 17 obtinebit C 26 sumatim S

1, 2 *his tamen exceptis*: Quos excipi oporteat, Paulus docet in *Dig.* xxii. 5. 4. 8 *Pertinet autem* etc.: *Dig.* i. 18. 6 § 2. 11 *Prohibebitque* etc.: v. *Dig.* i. 18. 6. init. *illatas*: *illicitas* habet *Dig.* . 13 *ne et ipse* etc.: v. *Dig.* i. 16. 4. init. 14 *ne quis* etc.: Revertitur ad *Dig.* i. 18. 6. 15 *Congruit* etc.: *Dig.* i. 18. 13. 21 *Omni uero ius* usque ad *detegit*: *Dig.* i. 18. 19. 26 *Et summatim* etc.: In *Dig.* legitur *Sed et in cognoscendo . . . detegit* et postea *Et summatim . . . augeat.*

precibus calamitosorum illacrimari oportet; id enim non
est constantis et recti iudicis, cuius motum animi uultus
detegit. Quid enim in uiro graui deformius quam si
ad auram genae pallent, cutis in rugas contrahitur, scintil- b
lant oculi, turbantur uultus; aut si sanguinem faciei ira
accendit et quasi excludit in superficie, spumantia torquentur labra, brachia iactantur, saliunt pedes, corpus
trepidat et toto gestu non tam iratum exprimit quam
insanum. Certe, cum tales uideo, compatior illis michique
metuo memor hominum quos in Affrica esse in libro
Naturalis Historiae apud Plinium didici. Dicuntur enim
effascinare uoce et lingua ut, si impensius forte laudauerint
pulchras arbores, segetes ameniores, letiores infantes, equos
egregios, pecudes pastu et cultu optimas, repente moriantur
aut pereant. Fascinatio quoque oculorum exitialis est.
Refert idem esse homines in Illiricis, qui interimant c
uidendo quos diutius irati uiderint, eosque ipsos mares
feminasque qui uisu nocentes sunt, pupillas in singulis
oculis habere binas. Apollonides quoque perhibet in
Sitia nasci feminas quae Bithiae uocantur, et easdem in
oculis binas habere pupillas et perimere si quem uisu
forte iratae aspexerint. Vereor ne his cognati sint iudices
iracundi. Tradunt etiam phisiognomi eos, qui habent
oculos maculosos, ad nequitiam proniores. Quae uero de
praesidibus aliisque iudicibus dicta sunt, debent et apud
proconsules, quos nostrates uulgariter dicunt iustitias esse
errantes, optinere. Et nomen quidem erroris, etsi non

6, 7 toquentur C 11 hystoriae M 12 effacinare A 13 pulcras AS 19 bina C Appollonides B peribet A 26 esse *om.* A

10, 11 *in libro Naturalis Historiae apud Plinium*: v. Plin. vii. 2 § 16. 16 *Refert idem* etc.: v. Plin. loc. cit. 19 *Apollonides* etc.: v. Plin. loc. cit. § 17. 23 *Tradunt* etc.: cf. Abubecri Rasis *ad regem Mansorem de re medicina* ii. 28 in Gerardi Cremonensis vers. Lat. (Foerster *Script. Physiognom.* ii. p. 165) *maculae multae circa pupillam in oculo apparentes malum significant hominem.* 26, 27 *iustitias errantes*: cf. infra c. 16 (580 A); itinera annua per universum regnum Angliae per statutum a. 1166 imperata nondum facere soliti sunt iudices regii. Itaque hunc locum aut ad vicecomites (Anglice *sheriffs*) aut ad fiscales respicere coniecit Stubbs in praef. ad *Gesta Regis Henrici II* Benedicto Petriburgensi ascripta (*Rolls Series* 49 b, p. lviii. n. 1).

officio, personis tamen eorum conuenit, qui euntes post d concupiscentias suas in sectatu auaritiae et depraedatione popularium a tramite aequitatis aberrant. Debent autem officia omnium esse gratuita, ut nichil ultra statutum exigatur sed nec recipiatur. Sed forte quid statutum sit quaeris. Plebiscito continetur ne quis praesidum munus donumue caperet, nisi esculentum poculentumue, et id quidem intra dies proximos prodigatur. Quod et ad proconsules aliosque magistratus ex mandato principis transit. Non uero in totum debent exeniis abstinere, sed modum adhibere. Vt uero nec in totum abstineant nec auare modum exeniorum excedant, diuus Seuerus et imperator Antoninus elegantissime sunt epistola moderati. Cuius epistolae uerba sunt haec: Quantum ad exenia 577 a pertinet, audi quod sentimus. Vetus prouerbium est: Nec omnia, nec semper, nec ab omnibus. Nam ualde inhumanum est a nemine accipere; sed passim, uilissimum; et per omnia, auarissimum. Quod autem mandatis continetur, ne donum uel munus ipse proconsul uel qui in alio officio erit accipiat ematue quid nisi uictus cotidiani causa, quod ad exenia iam non pertinet sed ad ea quae edulium excedant usum. Sed nec exenia producenda sunt ad munerum qualitatem. Licet enim patrocinium iustum possit uendere aduocatus et peritus iuris sanum consilium, iudicium uendere omnino non licet. Cicero, cum in Palatio domum uellet emere et pecuniam in praesens non haberet, a Silla, qui tunc reus erat, mutuo sextertium uicies tacite b accepit. Ea res, priusquam emeretur, prodita est et in uulgus exiuit; obiectumque est ei quod pecuniam domus emendae causa a reo accepisset. Tunc Cicero inopinata obprobratione permotus accepisse se negauit, dicens se

---

10 xeniis S[1]M 12 xeniorum S[1]M 14 xenia M 17 *post* uilissimum *add.* est SM 19 domum A 21 xenia M 22 xenia M

---

6 *Plebiscito* etc.: *Dig.* i. 18. 18. 10 *Non uero . . . qualitatem* (557 A): v. *Dig.* i. 16. 6 § 3. 13 *Antoninus*: sc. Caracalla. 23 *Licet enim* etc.: v. Grat. *Decret.* II. xi. 3. c. 71, xiv. 5 c. 15 § 1 (Friedb. i. 663, 742) ex Aug. *Ep.* cliii. § 23 (Migne *P. L.* xxxiii. 663). 25 *Cicero* etc.: Gell. xii. 12.

domum non esse empturum; atque: Adeo falsum est, inquit, quod obicitis, ut uerum sit me pecuniam accepisse, si domum emero. Sed, cum postea emisset et hoc mendacium in senatu ei ab inimicis obiceretur, risit satis atque inter ridendum: Imprudentes, inquit, homines estis, cum ignoratis prudentis et cauti patrisfamilias esse, quod emere uelit se empturum esse negare propter competitores emptionis. Sic itaque quod infitiari non poterat, urbano facetoque diluit dicto, rem magis dignam faciens risu quam crimine. Familiare siquidem habebat ut, quotiens obiectum c turpe abnegare non posset, responsione ioculari illud eluderet. Amplectendae memoriae et imitandae sanctitatis summus pontifex Eugenius, quem uidisti, nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat aut cui litem crederet imminere. Vnde, cum in aduentu suo prior quidam modicae facultatis, cuius causam nondum audierat, ei marcam auri deuotione multa instanter offerret: Nondum, inquit, domum ingressus es, et iam uis corrumpere dominum? Corruptionem namque uir sanctus credidit quicquid offerebatur iudici lite pendente. Bernardus quoque Clareuallensis

---

1 *Adeo falsum* etc.: *adeo, inquit, uerum sit accepisse me pecuniam* Gell. 5 *Imprudentes*: ἀκοινονόητοι Gell. 8 *quod infitiari* etc.: v. Gell. xii. 12 § 1. 12 *Amplectendae* etc.: Quae sequuntur usque ad *scribit* (577 D) citat Pauli *M. G. H.* SS. xxvii. p. 46. 13 *Eugenius*: De Eugenii III incorruptibilitate cf. Bernard. *de Consideratione* iii. 3 (Migne *P. L.* clxxxii, 764, 765). *uidisti*: sc. Thomas cancellarius. Illum cum Theobaldo archiepiscopo Cantuariensi in concilio Remensi, quod a. 1148 habuit Eugenius III, interfuisse testatur Noster in *Historia Pontificali* c. 8 (Pertz *Mon. Germ. Hist.* SS. xx. 522). Cf. *Vitam S. Thomae auctore Willelmo filio Stephani* (ed. Robertson *Rolls Series* 67 c. p. 16) *Intellecta mox ipsius* (sc. Thomae) *industria, mittebat eum archiepiscopus* (Theobaldus) *aliquotiens Romam pro negotiis ecclesiae Anglorum; ubi, Domino favente, sapienter se gerens, in plurimam summorum pontificum et sanctae ecclesiae Romanae gratiam receptus est.* Ad talem missionem respicere videtur Gervasius Cantuariensis (*Rolls Series* 73 a. p. 150) *Papa . . . Cantuariensi prohibuerat archiepiscopo* (Theobaldo) *ne filium regis* (Stephani) *. . . in regem sublimaret. Hoc autem factum est subtilissima prouidentia et perquisitione cuiusdam Thomae clerici natione Londinensis.* 20 *Bernardus*: Bernardus apud Redonas in Britannia minore natus ideoque Redonensis dictus in coenobio Clarevallensi, cuius abbas erat S. Bernardus, vitam monasticam suscepit. Postea ab Eugenio III, ipso Cisterciensi et S. Bernardi disciPULO, ad cardinalis dignitatem a. 1150 (v. De Mas Latrie *Trésor de Chronologie* p. 1186) provectus est. Eiusdem Eugenii bullis testis subscripsit a 31 Dec. 1152 ad 10 Apr. 1152 (v. Jaffé *Reg. Pontif.* ed. 1886 ii. p. 20).

monachus et sanctorum Cosmae et Damiani diaconus et d cardinalis Romae degens in excelsis singulariter habitauit, excutiens manus suas ab omni munere, ut nondum natus sit cuius aurum uel argentum in munus acceperit. Quid referam Martinum, qui contra morem a legatione pauper rediens, cum ab episcopo Florentino equum socio necessarium magna compulsus instantia accepisset, eundem restituit donatori, ex quo eum ab initio dati muneris causam in Romana ecclesia uentilandam habuisse cognouit? Quod et plenius sanctus Bernardus Clareuallensis abbas, qui eum perfectius nouerat, refert in libro doctrinali quem ad sanctum Eugenium de Contemplatione uel Consideratione scribit. Taceo quod uenerabilis pater Gaufridus Carnotensis legatus Aquitaniae prouincialium munera non recepit, nisi in causa esculenti et poculenti et hoc cum

---

1 *post* diaconus *om.* et SM   11 nouit A

Bernardum Redonensem iterum ob contemptum pecuniae laudat Ioannes infra vi. 24 (624 c). Mortuus est a. 1154 (De Mas Latrie loc. cit.). 2 *in excelsis habitauit* etc.: v. Isa. xxxiii. 15, 16. 5 *Martinum*: Pauli loc. supra cit. 'Martinus presbyter card. S. Stephani in Celio monte qui Innocentii [II] actis a 23 Ian. 1133 usque ad 19 Mai subscripsit et a. 1134 ineunte legatione in regnum Danorum perfunctus est.' De hac legatione cf. Bernhardi *Lothar von Supplinburg* (Lips. 1879) p. 489. Genuensis erat Martinus, e familia Cibonum ortus; promotus est ad card. presbyteri dignitatem ab Innocentio II circ. a. 1130. Mortuus est circ. a. 1144; v. De Mas Latrie *Trésor de Chronologie* p. 1184. *legatione*: in Dacia i.e. Dania sec. S. Bernardum loc. infra cit. 6 *episcopo Florentino*: i.e. Gotifredo de Contalbertis, qui sedit a. 1113–1142 (v. Ughelli *Ital. Sacr.* iii. 89 seqq.). *equum*: *quo Pisas ubi eramus tunc peruectus est* Bernard. loc. infra cit. Ad concilium Pisanum ab Innocentio II a. 1134 habitum respicit S. Bernardus, quo in concilio iterum excommunicatus est Petrus Leonis dictus Anacletus antipapa; v. De Mas Latrie *Trésor de Chronologie* p. 1293. 11 *refert* etc.: v. Bernard. *de Consideratione* iv. 5 § 13 (Migne *P. L.* clxxxii. 782, 783). 13, 14 *Gaufridus Carnotensis*: Gaufridus II de Leugis (de Léves) episcopus Carnotensis post obitum S. Ivonis electus a. 1116. Ab Innocentio II legatus sedis apostolicae super Bituricensem, Burdigalensem, Turonensem et Dolensem provincias institutus est. Concilio Pisano a. 1134 interfuit. Mortuus est a. 1148. De illo consule *Gall. Christian.* viii. 1134–1141 (ed. 1744) et Abaelardi *Hist. Calamitatum* c. 9 (ed. Cousin. i. pp. 20–22). Exstant epistolae ab eodem scriptae in Migne *P. L.* clxxiii. 1413, clxxxii. 694, clxxxvi. 1399. Illius etiam mentionem faciunt Bollandistae in *Actis SS.* inter praetermissos 25 Ian. et 1 Feb. 14 *legatus Aquitaniae*: cf. *S. Bernardi Vit. I^am* ii. 6 (Migne *P. L.* clxxxv. 286 seqq.).

summa frugalitate; sed omnia, quae in exeniorum ratione a offerebantur, ut stercora contempnebat. Testatur sanctus Clareuallensis quod piscem, quem uulgo sturionem dicunt, a deuoto quodam legationis suae clerico gratis accipere noluit nec ante adquieuit offerentis improbitati quam ei pro admisso exenio pretium numeraret.

Cap. 16. *De crimine repetundarum, quo tenentur et praesides et iudices, qui aliquid omnino accipiunt propter eas res quae sibi sunt ex officio faciendae: et de Samuele, qui docet iuge sacrificium esse debere in domo iudicis, quae seipsam oblatione iustitiae et bonorum operum exhibet templum Dei.*

Sed crebrescentibus uitiis etiam in clero sunt hodie continentiae tantae exempla rarissima, cum tamen de b censura legum summa continentia magistratibus omnibus sit indicta, adeo quidem ut qui ordinariam gesserit potestatem, quicquid ex uetere delegationis titulo profligauerit, cum dispendio pudoris atque fortunae, id est honoris atque dignitatis, de propriis facultatibus intra prouinciam positus inferre cogatur. Lege quoque Iulia repetundarum tenetur qui, cum aliquam potestatem haberet, ob iudicandum uel non iudicandum, decernendum uel non decernendum, aut ob denuntiandum testimonium uel non denuntiandum pecuniam acceperit et in summa quo magis aut minus quid ex officio suo faceret. Nec usu capi potest quod accipitur, antequam redeat in potestatem eius a quo profectum est aut heredis. Venditiones quoque c et locationes pluris minorisue factas lex ista rescindit, et ea dampnati testimonium publicum dicere aut iudices esse aut postulare prohibentur; et licet conuicti extra ordinem hodie puniantur, plerumque dampnantur exilio, uel etiam durius, prout admiserint. Sed et ab heredibus pena

1 xeniorum SM 6 xenio M 13 crebescentibus CB

2, 3 *Testatur sanctus Clareuallensis*: i.e. S. Bernardus in lib. *de Consideratione* iv. 5 § 14. 20 *Lege Iulia* usque ad *admiserint*: v. *Dig.* xlviii. 11. 3, 6, 4, 8, 7. 32 *ab heredibus* etc.: v. Cod. Iustin. ix. 27. 2.

repetitur. Inspice uerba legis et quanta indignatione crimen hoc persequatur attende: Vt unius, inquit, pena metus possit esse multorum, ducem qui male egit ad prouinciam, quam nudauerat, cum custodia competenti ire praecipimus, ut non solum quod egit non dicam domesticus sed manipularius et minister accepit, uerum ut id quod ipse a prouincialibus meis rapuit aut sustulit, in
d quadruplum inuitus exoluat. Itemque: Omnes cognitores et iudices a pecuniis atque patrimoniis manus abstineant, neque alienum iurgium putent suam praedam. Etenim priuatorum litium cognitor idemque mercator statutam legibus cogetur subire iacturam. Et illud: Iubemus quoque et hortamur ut, si quis forte honoratorum decurionum possessorum postremo etiam colonorum a cuiuslibet ordinis iudice fuerit aliqua ratione concussus, si quis sciat uenalem de iure fuisse sententiam, si quis penam uel pretio remissam uel uitio cupiditatis ingestam; si quis postremo quacumque de causa improbum iudicem potuerit approbare, is uel administrante eo uel post administrationem depositam in publicum prodeat, deferat crimen, delatum approbet, cum probauerit et uictoriam reportaturus et gloriam.
579 a Vtinam haec uel audiantur a nostris; nam ut seruentur optare uix audeo. Quos quotiens diligentius intueor, concussores mihi potius uideor uidere quam iudices, ac si ad hoc solum dati sint ut prouinciam spolient. Sed et leges ipsae et consuetudines, quibus nunc uiuitur, insidiae sunt

8 exsoluat SM   19 amministrante M

2 *Vt unius* etc.: Cod. ix. 27. 1.   5 *egit: eius* Cod.   8 *Omnes cognitores* etc.: Cod. ix. 27. 3.   12 *Iubemus* etc.: Cod. ix. 27. 4.   26 *consuetudines*: Notandum est illam dissensionem inter Henricum II et Thomam archiepiscopum Cantuariensem (ad quem, dum adhuc cancellarius erat, scriptus est *Policraticus*) de regni *consuetudinibus* ortam esse; quae in concilio celeberrimo apud Clarendonam habito *exigit rex* (ut verbis Nostri in *Vit. S. Thomae* c. 15 utar) *instantius ut . . . publice recenserentur et expresso et absoluto omnium episcoporum assensu firmarentur, nulla omnino conditione adiecta* (qualis scilicet fuerat ista Thomae formula *saluo ordine meo*). De *consuetudine* v. *Dig.* i. 3. 32, 38; cf. Isidor. *Orig.* ii. 10 § 2 (Migne *P. L.* lxxxii. 130) qui iurisconsultorum sententias sic breviter expressit: *Consuetudo est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex.*

et laquei calumpniantium. Verborum tendiculae proponuntur et aucupationes sillabarum; uae simplici qui sillabizare non nouit! Feci, inquit, iudicium et iustitiam; non tradas me calumpniantibus me. Ac si aperte dicat: Qui iudicium peruertunt et iustitiam deserunt, tradantur calumpniatori qui filios Adam ante conspectum Domini accusat die ac nocte. Legitur in libro Regnorum ad uniuersum Israel dixisse Samuelem: Ecce audiui uocem uestram iuxta omnia quae locuti estis ad me, et constitui b super uos regem. Et nunc rex graditur ante uos; ego autem senui et incanui; porro filii mei uobiscum sunt; ita conuersatus sum coram uobis ab adolescentia mea usque ad diem hanc. Ecce praesto sum. Loquimini de me coram Domino et coram Christo eius, utrum bouem cuiusquam tulerim an asinum, si quempiam calumpniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi; et contempnam illud hodie restituamque uobis. O pudicum animum, o continentem manum, o iudicem incorruptum, et uocem magnificam admirandam et imitandam uniuersis quae de conscientia pura sic loquitur! Loquimini de me coram Domino et Christo eius, qui in celo et in terra iudices iudicant. Loquimini, inquam, si c bouem cuiusquam aut asinum tulerim. Vtique uillas et praedia aut immensa pondera auri uel argenti aut pretiosae suppellectilis onera non extorserat qui magni reputabat iudicem bouem oblatum accepisse uel asinum. Si quempiam calumpniatus sum, si oppressi aliquem. Neminem iniuste uexauerat qui omnes calumpnias excludebat; nec iudicium eius peruertebat caro uel sanguis qui nullum umquam oppressit. Si enim in manus eius quisquam inciderat, non eum iudex sed propria iniquitas opprimebat. Si de

6 conspectu B Domini] dei BAS

3 *Feci* etc.: Ps. cxviii. 121. 6 *calumpniatori* etc.: v. Apoc. xii. 10; ubi *accusator* legitur in versionibus quas habemus. Cf. tamen Hilarium *in Ps. cxviii.* 122 (Migne *P. L.* ix. 609) *Scriptura in Apocalypsi calumniatorem eum* [sc. diabolum] *esse testante*; v. Sabatier *Bibl. Sacr. Lat. Vers. Antiq.* iii. 1014. 7, 8 *ad uniuersum Israel* usque ad *restituamque uobis*: 1 Reg. xii. 1–3.

manu cuiusquam munus accepi, contempnam illud hodie restituamque uobis. Quid quaeso expressius dici poterat? Vt in summa omnem auaritiae suspicionem tollat, nullius d muneris conscientiam se docet habuisse paratus contempnere et restituere, si quid omnino exigi posset. Malebat enim illud restituere in praesenti quam cum usuris reddere in futuro, et contempnere illud hodie satius iudicabat quam in conspectu Dei et omnium electorum ex ea causa in euum contemptibilis apparere. Sed quid ad hanc contestationem eius respondit auditor? Audi. Et dixerunt. Qui? Vtique totus Israel; nam ad omnes sermonem direxerat. Non es calumpniatus nos neque oppressisti neque tulisti de manu alicuius quippiam. Si quis proconsulum praesidumue aut tribunus aut centurio decurioue aut omnino aliquis magistratus tale testimonium a prouincialibus 580 a meruit, ad prouinciam nostram quaeso accedat ut nostros doceat magistratus. Nam de uicecomitibus et iustitiis quae, ut uulgari nostro utar, recte dicuntur errantes, nichil tale auditur, eo quod diligunt munera et sequuntur retributiones, nec liberant pauperem a potente, aduenae et pupillo non iudicant, et causa uiduae non ingreditur ad eos. Porro nec iudices ecclesiastici sequuntur Samuelem, sed sicut populus, sic et sacerdos. In commune conqueritur Sapientia: Tenentes legem nescierunt me; principes facti

---

4 docet se M 9 constitutionem M 19 secuntur M 22 sequntur A: secuntur M

---

12 *Non es calumpniatus* etc.: 1 Reg. xii. 4. 17 *vicecomitibus*: Anglice *Sheriffs*. 18 *recte dicuntur errantes*: *De iustitiis errantibus*, Anglice *justices in eyre*, v. supra c. 15 (576 c); ad eorum titulum simili modo alludit Petrus Blesensis qui in *Ep.* 95 ad Henricum II sic scribit (Migne *P. L.* ccvii. 298): *Ipsos enim iustitiarios quos uulgariter errantes uel itinerantes dicimus, dum errata hominum diligenter explorant, frequenter errare contingit.* Mox exemplum Samuelis laudat. Fatetur se *Policraticum* legisse ad fin. *Ep.* 22, ad Nostrum ipsum scriptae: *Librum uestrum de nugis curialibus legi, et mirabiliter me refecit; nam et ibi optima forma eruditionis est et propter artificiosam sententiarum varietatem inaestimabilis materia voluptatis.* 20 *liberant* etc.: v. Ps. lxxi. 12. 20, 21 *aduenae et pupillo*: Ierem. vii. 6 et saepe alibi apud Vet. Test. scriptores. 21 *pupillo* etc.: Isa. i. 23. 23 *sicut populus* etc.: Isa. xxiv. 2. 24 *Tenentes* etc.: Ierem. ii. 8. *principes* etc.: v. Osee viii. 4. *principes exstiterunt et non cognoui* Vulg.

sunt et ego ignoraui. Quod ut ab humilioribus liqueat, qui decani sunt uel archidiaconi, nisi illi (ut Symon noster uenerabilis doctor in lege Domini dicere consueuerat) in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta

---

2 Simon AS

---

2 *decani*: Intellige decanos rurales siue Christianitatis; v. Du Cange ed. 1884 s. v. *Decanus Episcopi*. *archidiaconi*: cf. quod ad Nicolaum de Sigillo archidiaconum Huntendoniae nuper factum scribit Ioannes in *Ep.* clxvi. *Erat, ut memini, genus hominum qui in Ecclesia Dei archidiaconorum censentur nomine, quibus uestra discretio omnem salutis uiam querebatur esse praeclusam. Nam, ut dicere consueuistis, diligunt munera, sequuntur retributiones, ad iniurias proni sunt, calumniis gaudent, peccata populi comedunt et bibunt, quibus uiuitur ex rapto, ut non sit hospes ab hospite tutus. Qui in eis praestantissimi sunt, debent utique seruare legem Domini, sed non faciunt. Haec et similia solebat in miserrima conditione hominum uestrae pietatis miseratio deplorare. Bonis autem uiris et amicis uestris agendum est gratias Deo et domino Lincolniensi qui aperuit oculos uestros et uiam docuit qua hoc genus hominum non modo perueniat ad salutem inerrabili saluandorum corona decoratum sed et superiorem consequatur aureolam quae sicut martyrio laureatos et uirginitate uernantes sic praedicationis officio coruscantis insignit. A Domino quidem factum est istud, qui oculos caecitatis uestrae aperuit et patefacta ueritate in causa archidiaconorum perniciosam fecit mutare sententiam. Licet autem merito gaudeant archidiaconi uestro iudicio absoluti, credo me non minorem quam ipsos concepisse de uestra promotione laetitiam, quia, ubicumque locorum sim, me ad honorem et obsequium uestrum, in quibus discretionis uestrae sensura praescribere dignaretur, promptissima uoluntate deuoui.* Vide etiam de archidiaconorum et decanorum *Simoniaca prauitate Ep.* 69 pro Theobaldo archiepiscopo ad episcopum Cestrensem a Ioanne nostro scriptam: cf. decretum Alexandri III de archidiaconi Conventrensis exactionibus in *Decretalibus Greg. IX.* V. xxxvii. 3 (Friedberg. ii. 880) et c. 12 in *Vita S. Thomae Cantuar. auctore Anon. II.* (*Rolls Series* 67 d. 95, 96) et plurimos alios locos apud rerum istius aevi scriptores. *Symon*: Quaeri potest ad quem respicere uelit. Fateor me olim de Simone priore, postea abbate S. Albani cogitavisse, codicis *Policratici* A in Museo Britannico (Reg. 13 D iv) servati scriptore, quem *uirum uitae uenerabilem et bene litteratum, Scripturarum et librorum amatorem specialem* necnon S. Thomae Cantuariensis amicum fuisse narrat Thomas Walsingham in *Gestis Abbatum Monasterii S. Albani* (*Rolls Series* 28. 4 a) pp. 183 seqq. Memini etiam Ioannem iam adolescentem in theologia praceptorem habuisse Simonem Pexiacensem quem *Metalog.* ii. 10 (869 A) *fidum lectorem sed obtusiorem disputatorem* vocat. Sed mihi hunc locum cum epistola ad Nicolaum de Sigillo supra citata conferenti in mentem venit suspicio eundem virum et hic et illic spectari, quem forsan Simonem iocose vocat, quasi archidiaconi munere, quod olim simoniacum appellaverat, iam ipsum fungentem. 3 *consueuerat*: sc. (si recte de Ioannis proposito suspicatus sum) nondum ad archidiaconatum promotus, quem a. 1155 (ut videtur; v. Le Neve *Fasti Eccl. Angl.* ed. Hardy ii. p. 48) mortuo Henrico Huntendoniensi historiographo iam vacantem accepit. 3,4 *in quorum* etc.: Ps. xxv. 10.

b est muneribus? Felicissimum regem Anglorum, et Normannorum et Aquitaniae adhuc inuictissimum ducem interroga quid etiam de his sentiat quos intrudit, et dicet, ut opinor, quia non est malum in clero quod isti non faciant.

Episcoporum nomen et officium uenerabile est, si tanta impleretur sollicitudine quanta interdum petitur ambitione. Et diligerentur ut patres, timerentur ut domini, colerentur ut sancti, si exactionibus parcerent et proicerent ex animo quicquid prouenit ex calumpnia et omnem quaestum minime crederent pietatem. Ceterum sibi reuerentiam subtrahunt et amorem, dum honores ambiunt, pecuniam cupiunt, et uel suas faciunt uel alienas calumpnias fouent. Et quidem nescio quomodo notam et penam omnem euadant qui c exactionem et totius calumpniosi quaestus sibi ad minus bessem uendicant. Nam aut solidum assem usurpant sibi aut, ut multum, trientem dumtaxat archidiaconis et aliis officialibus (ne dicam cum populo ministris iniquitatis) cedunt. Sed nec legati Sedis apostolicae manus suas excutiunt ab omni munere, qui interdum in prouinciis ita debaccantur ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sit Sathan a facie Domini. Concutiunt angulos domus ut prosternant filios et filias eius qui languores et dolores animarum curauit in cruce. Commouent et conturbant terram ut uideantur habere quod sanari oporteat. Hic tamen non de omnibus sermo est, sed de his qui Patris uoluntate contempta seruiunt suae. Constat enim quia d in omni officio domus Domini sic relinquuntur quidam ut alii assumantur. Vidi ego ipse in omnibus his decanos scilicet archidiaconos episcopos et legatos tanta sollicitudine operari in messe Domini ut merito fidei et uirtutis recte

2 aquitanorum S 3 his] suis SM 6 *post* Episcoporum *add.* tamen S 21 debachantur BM 23 langores S 29 asumantur CB

10 *omnem quaestum* etc.: v. 1 Tim. vi. 5 18 *officialibus*: in *officiales* i. e. iudices episcopales acerrime invehitur Petrus Blesensis archidiaconus ipse *Ep.* xxv (Migne *P. L.* ccvii. 88 seqq.). 19 *Sed nec legati* etc.: Hanc sententiam minio notavit Matth. Parkerus in cod. C *marg.* 21 *egressus* etc.: v. Iob ii. 7. 22 *Concutiunt* etc.: v. Iob i. 18, 19. 28 *sic relinquuntur* etc.: v. Matt. xxiv. 40, 41.

uideri posset uineam Patris in manu eorum prudenter et utiliter collocatam. At alii sic uersantur ac si ad Thebas in facinus excitandas mittatur ab inferis Thesiphone uel Megera. Nam fere sic ab aula contra omnium uota fidelium ad Ecclesiae publica officia accesserunt. Apud hos

iudicium nichil est nisi publica merces,
atque eques, in causa qui sedet, empta probat.

Iustificant impium pro muneribus, exultant in rebus pessimis, letantur cum mala fiunt,

uixque tenent lacrimas cum nil lacrimabile cernunt.

Siquidem peccata populi comedunt et uestiuntur eis et 581 a
in eis multipliciter luxuriantur, acceptores personarum et quasi quidam bonorum mallei; hoc enim didicerunt ab eis a quibus electi sunt. Ait Sapientia: Venatio leonis onager in heremo, sic et pascua sunt diuitum pauperes. Et sicut abominatio est superbo humilitas, sic execratio est diuitis pauper. Diues commotus confirmabitur ab amicis; humilis autem, cum ceciderit, expellitur et a notis. Diuiti decepto multi recuperatores; locutus est superbe, et iustificauerunt illum. Humilis deceptus est, insuper et arguitur; locutus est sensate, et non est ei datus locus. Diues locutus est, et omnes tacuerunt et uerbum illius usque ad nubes perducent. Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic? et, si offenderit, subuertunt illum. Et haec b
quidem sunt iudicia eorum qui iustitiae diuitias praeferunt et nichil potius ducunt quam habere diuitias, quo tamen uix aliquid inutilius est. Nullus istorum exultat cum Christum uidet in terris, nullus eorum est qui uelit eum cum hominibus conuersari, nullus qui ad bona opera

3 fascinus CS[1] tesiphone SM 16 abhominatio SM 20, 21 et insuper M 25 *post* eorum *add.* quos curia docuit, immo omnium A *marg.* SM *marg.*

1 *uineam Patris* etc.: v. Matt. xxi. 33 seqq. 2–5 *alii* usque ad *accesserunt*: minio notavit Parkerus in cod. C *marg.* 2 *ad Thebas* etc.: v. Stat. *Theb.* xi. 57–61. 6 *iudicium* etc.: Petron. *Sat.* c. 14. 8 *Iustificant* etc.: v. Isa. v. 23. 10 *uixque tenent* etc.: Ov. *Metam.* ii. 796. 11 *peccata populi comedunt*: v. Osee iv. 8. 14 *Venatio* usque ad *subuertunt illum*: Eccli xiii. 23–29.

proximorum decantet: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae uoluntatis. Hoc siquidem canticum est fidelium praelatorum qui speciosis incedunt pedibus et ex eo beatis quod pacem portant et pacem sanctimoniae sociam sine qua nemo uidebit Deum. Dicunt et hi cum Sapientia quia bona est substantia cui non est peccatum in conscientia, et nequissima paupertas in ore impii.
c Clamitant in plateis quia beatus uir qui inuentus est sine macula et qui post aurum non abiit. Ac si aperte dicant: Quisquis in munere cuiuslibet magistratus aurum quaerit, maculam inuenit, sine qua nec adquiri nec esse potest apud auidum possessorem. Quis umquam pecuniam sine sordidatione manuum tractauit diutius? Ex ea tamen certe minus manus sordet quam animus. Nolo mihi maiorum frigescant limina aut de nare canina sonare hic littera uideatur; non pono os meum in celum ut de patribus, qui orbem iudicant et a nullo iudicantur in terris, aliquid dicam nisi plenum fide caritate et reuerentia. Dicam tamen quod uerum est adeo ut ei nemo fidelium
d audeat refragari; dicam quod ipsi praedicant. Dicam, inquam, quia non potest ciuitas abscondi supra montem posita et nequaquam latere possunt notitiam publicam quae in conspectu gentium fiunt; siquidem

omne animi uitium tanto conspectius in se
crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Sal quoque infatuatum ad nichilum ualet ultra, nisi ut

---

21 ciuitas non potest A

---

1 *Gloria in excelsis* etc.: Luc. ii. 14. 3 *speciosis* etc.: v. Rom. x. 15; cf. Isa. lii. 7. 4, 5 *pacem sanctimoniae sociam* etc.: v. Heb. xii. 14. 6 *bona est substantia* etc.: Eccli xiii. 30. 8 *beatus qui inuentus* etc.: v. Eccli xxxi. 8. 15 *maiorum* etc.: v. Pers. *Sat.* i. 108–110. 15, 16 *canina littera*: sc. R; v. Donatum *ad Ter. Ad. ii. 4. 18* (*ne si magis irritatus siet*) *Irritari proprie canes dicuntur. Lucilius de littera R.* '*Irritata canis quod homo quam planius dictat.*' (v. Lucil. *Sat.* i. 10 ed. Baehrens *Poet. Lat. Min.* vi. 141.) 16 *pono* etc.: v. Ps. lxxii. 9. 17 *qui orbem iudicant* etc.: cf. 1 Cor. ii. 15 de viro spirituali. 21 *non potest ciuitas* etc.: Matt. v. 14. 24 *omne animi* etc.: Iuv. *Sat.* viii. 140, 141. 26 *Sal infatuatum* etc.: Matt. v. 13; de lectione, quae ab ed. Vulgatae lectione discrepat,

proiciatur foras et conculcetur ab hominibus, utpote uilis abiectio quae nec ad stercorationem agrorum prodest. Sol quoque orbem illustrat plenius, quia in eminenti est. Quid multa? Opera singulorum testimonium perhibent de eis. Sic Samuel operum testimonio iustificatus est. Sed, ne uideretur populus ei blandiri et quasi ex timore 582 a
uel fallacia falsae innocentiae et inanis iustitiae testimonium perhibere, populum religione iuramenti ad professionem ueri artandum censuit dicens: Testis est Dominus aduersus uos et testis Christus eius in die hac quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixit populus: Testis; ac si fidem Deo et regi suo debitam religiosae affirmationis obsidem faciant. Quod autem esculentum et poculentum acceperit, de scriptura certum non habeo. Sic enim scriptum est: Iudicabat quoque Samuel Israel cunctis diebus uitae suae, et ibat per singulos annos circumiens Bethel et Galgala et Masphat, et iudicabat Israelem in supradictis locis, reuertebaturque in Ramatha. Ibi enim erat domus eius et ibi iudicabat Israel. Quid aliud uidetur b
sonare littera, nisi quod prouinciam ex officio circuibat ad expletionem iudicii et reuertebatur domum ut de proprio satisfaceret necessitati? Edificauit etiam ibi altare Domino. Recte quidem, eo quod iuge sacrificium esse oporteat in domo iudicis quae cultu iustitiae et morum honestate et luce bonorum operum seipsam exhibet templum Dei; ubi amodo non immolatur sanguis hircorum et uitulorum nec cinis uitulae inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, sed per pontificem magnum qui

9 *post* ueri *add.* tamen M 16 circuiens ASM 17 betel S israelem A: israhelem S 26 hyrcorum BM

cf. Sabatier *Bibl. Sacr. Lat. Vers. Antiq.* iii. 22, 23; Wordsworth & White *Nov. Test. Lat.* i. 55. 2 *abiectio*: pro *re abiecta* ut in Ps. xxi. 7 *ego sum opprobrium hominum et abiectio plebis.* 4 *Opera singulorum testimonium perhibent de eis*: sicut de Christo opera sua; v. Ioann. v. 36, x. 25. 5 *iustificatus est*: ut dicitur Iac. ii. 21 seqq. de Abraham et Rahab. 9 *Testis est Dominus* etc.: 1 Reg. xii. 5. 15–19 *Iudicabat Samuel* usque ad *iudicabat Israel*: 1 Reg. vii. 15, 17. 22 *Edificauit* etc.: 1 Reg. vii. 17. 26 *sanguis hircorum* etc.: v. Heb. ix. 12–14. 28 *pontificem magnum* etc.: Heb. iv. 14.

penetrauit celos, Iesum Filium Dei, ubique locorum offerri debet

compositum ius fasque animi, sanctique recessus
mentis, et incoctum generoso pectus honesto.

c Veri siquidem adoratores sic adorant Patrem in spiritu et ueritate. Anne eum credis accepisse aliquid nomine sportularum? Hoc enim praetextu non tam iudices quam iudiciorum caupones, qui nequitiam suam honesta uolunt palliare licentia, iniquitatem suam colorare nituntur, quaerentes scilicet aliqua emolumenta negotiorum, quorum pro parte onera portant. Aut si emolumentum esse non licet, sit saltem compensatio sumptuum et dampnorum. Hi tamen rari sunt. Quis enim erubescit dicere: Quid michi dabis ut tibi iustitiam faciam? Nam ut pro seipsa exhibeatur, frustra expectas. Nonne simile est ac si dicatur: Quid michi uultis dare ut me ipsum abnegem, officium d prodam, et dominum uendam?

Cap. 17. *Pecuniam contempnendam esse pro sapientia; quod etiam ueterum philosophorum probatur exemplis.*

Leguntur plurimi philosophorum diuitias non modo contempsisse sed abiecisse quasi impedimentum sapientiae et uirtutis. Fecit hoc Socrates, quem omnium philosophorum sectae quasi prudentiae et ueritatis unicum fontem

---

16 uultis michi M 18 contemplandam C[1]BA[1] pro] prae AS 19 phylosophorum M 20 non modo diuitias M

1, 2 *ubique locorum offerri debet* etc.: Respicit ad Mal. i. 10, 11 ubi ad Israel dicit Deus *Non est mihi uoluntas in uobis ... et munus non suscipiam de manu uestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* 3 *compositum* etc.: Pers. *Sat.* ii. 73, 74. *sanctique*: *sanctosque* Pers. 5 *Veri adoratores* etc.: v. Ioann. iv. 23. 6 *eum*: sc. Samuelem. 22 *Socrates*: Hieron. loc. infra cit. sic introducit: *Pythagorae Socratis Antisthenis et reliquorum frugalitatem referrem in confusionem nostram* (sc. Christianorum), *nisi et longum esset et proprii operis indigeret*; Ioannem tamen ad rem respicere suspicor, quam non de Socrate sed de Cratete Hieron. *adv. Iovin.* ii. 9 narrat: *Vnde et Crates ille Thebanus proiecto in mari non paruo auri*

uenerantur. Antistenes quoque, cum gloriose rethoricam docuisset audissetque Socratem, dixisse fertur ad discipulos suos: Abite, magistrum quaerite, ego enim iam repperi. Statimque uenditis quae habebat et publice distributis nichil sibi plus quam palliolum reseruauit. Huius Diogenes ille famosissimus sectator fuit potentior rege Alexandro 583 a et naturae humanae uictor. Cum autem discipulorum Antistenes nullum reciperet et perseuerantem Diogenem remouere non posset, nouissime ei minatus est claua nisi abiret. Cui tum ille subiecisse caput fertur atque dixisse: Nullus tam durus baculus erit qui me a tuo possit consortio separare. Refert Satirus, qui uirorum illustrium scribit historias, quod iste Diogenes palliolo duplici usus sit propter frigus, peram pro cellario habuerit secumque portauerit, et quod clauam gerebat ob corpusculi fragilitatem qua iam senex membra sustentare solitus erat, et emorathios uulgo sit appellatus in praesentem horam poscens a quolibet et accipiens cibum. Habitauit autem in portarum uestibulis et in porticibus ciuitatum, usquequaque profitens uerum b et transeuntium abigens aut notans uitia quae mores fedabant. Cumque se torqueret in dolio, se domum uolubilem habere iocabatur et se cum temporibus immutantem. Frigore enim os dolii uertebat in meridiem, estate ad septentrionem; et ubicumque se sol inclinauerat, Diogenis simul praetorium uertebatur. Quodam uero tempore, cum

1 retoricam S 13 hystorias BM dupplici ASM 17 apellatus S 24 sol se M

pondere, Abite, inquit, pessum malae cupiditates; ego uos mergam, ne ipse mergar a uobis. Quod si quis existimat et abundantia ciborum potionumque se perfrui et uacare posse sapientiae, hoc est, et uersari in deliciis et deliciarum uitiis non teneri, seipsum decipit. 1 *Antistenes cum gloriose* usque ad *poculum* (583 B): Hieron. *adv. Iovin.* ii. 14 (Migne *P. L.* xxiii. 304, 305). 5 *plus: amplius* Hieron. 11 *consortio: obsequio* Hieron. 12 *Satirus*: male in margine exemplaris sui coniecit Marklandus *Laertius*; nam haec omnia ex Hieronymo desumpta sunt. De hoc Satyro v. Vossium *de Historicis Graecis* ed. Westermann. p. 495. 16 *emorathios*: i. e. ἡμερόβιος. 25 *Quodam uero tempore* etc.: Hanc de Diogene historiam ex Hieronymo citat etiam Abaelardus in *Sermone de S. Ioanne Baptista* et in *Theol. Christiana* (ed. Cousin i. 576; ii. 424).

in usum potandi caucum ligneum gereret, uidit puerum manu concaua bibere, et elisit eum in terram dicens: Nesciebam quod natura haberet poculum. Nichil umquam de animi rigore remisit, in eodem uultus tenore etiam aduersis interpellantibus perstitit et, ut plene Socraticum c nosses, calcatis turbinibus fortuitorum aduersis omnem dolorem et miseriam uniformi durauit praeposito. Dicebat enim haec semper a philosopho aliena et impotem sui animum, in quem fortunae quippiam licet. Virtutem eius et continentiam mors quoque indicat. Nam cum ad agonem Olimpiacum, qui magna frequentia Greciae celebrabatur, iam senex pergeret febri in itinere apprehensus, accubuit in crepidine uiae. Volentibus autem amicis aut in iumentum aut in uehiculum tollere non adquieuit, sed transiens ad arboris umbram ait: Abite quaeso et spectatum pergite. Haec nox aut me uictorem probabit aut uictum; si febrem uicero, ad agonem ueniam; si me uicerit, ad inferna descendam. Ibique per noctem eliso gutture, non tam mori se ait quam febrem morte excludere. d Deceptus opinione uirorum fortium et exemplo in extremae difficultatis articulo, ne aliunde inferretur mortem ultroneam credidit appetendam. Praeiudicata siquidem opinio sapientioribus persuaserat in commune ut mortem prouocare mallent quam turpe aliquid sustinere. Fecit hoc Cato, fecerunt et alii, qui ferrum aut cicutam aliudue toxicum praeoccupantes omnem et solam (ut putabant) turpitudinis effugiebant notam. Veritatis namque ignorantia eis patrocinari uidetur; sed crassa est et supina

7 proposito B[1]AS   11 olimpicum ASM

3 *Nichil umquam* usque ad *praeposito*: Solin. i. § 73. 4 *in eodem* usque ad *perstitit*: de Socrate habet Solinus. 7 *Dicebat* etc.: Hoc Diogenis dictum, quod apud antiquos non repperi, ex Nostro, ut videtur, citant Walterus Burley *De Vita et Moribus Philosophorum* c. 50 (ed. Colon. 1472 p. 40) et Ioannes Walensis *Compendiloq.* iii. 2. c. 2, *Breviloq.* iii. c. 1 (ed. Ven. 1497 pp. 182 P, 252 Z); cf. Diog. Laert. vi. 2 § 63. 9–19 *Virtutem* usque ad *excludere*: Hieron. loc. supra cit. 24, 25 *Fecit hoc Cato* etc.: cf. supra ii. c. 27 (470 B seqq.). De Catonis aliorumque morte voluntaria disserit Aug. *de Civ. Dei* i. 23; cf. xix. 4.

quae certa postponit incertis, et quicquid habetur optimum ex causa inani abicit et expellit. Nec in eo fortitudinis nomen assequitur, quod se prae ceteris fraudulenta opinio consequi gloriatur. Vtique fraudulenter et uane quia, **584 a** ut ait ille,

> rebus in aduersis facile est contempnere uitam;
> fortius ille facit qui miser esse potest.

Nemo eorum qui mortem prouocat excusabilis est; excusabiliores sunt qui imminentem abhorrent; quis enim consilium Domini cognouit et an possit mortem impendentem quacumque ratione effugere? Sandrococtus a rege Alexandro interfici iussus salutem celeritate pedum quaesiuit; ex qua fatigatione cum sompno captus iaceret, leo ingentis formae ad dormientem accessit sudoremque fluentem lingua ei detersit et blande expergefactum reliquit. Hoc prodigio primum ad spem regni maiestate ominis impulsus est. Molienti deinde bellum aduersus praefectos Alexandri elefantus infinitae magnitudinis ultro **b** se obtulit et ueluti domita mansuetudine eum tergo suscepit, duxque belli et praeliator postmodum insignis extitit. Andronicus quoque dampnatus ad bestias, cum leoni obiectus esset, qui et uastitudine corporis et impetu feruoris fremituque terrifico, sonoro quoque thoro comisque ceruicum fluctuantibus animos omnium oculosque in se conuerteret, illesus euasit eo quod, ubi eum leo procul aspexit, repente quasi admirans stetit ac deinde sensim et quasi iocabundus placide accessit ad hominem. Tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer et blande mouit hominisque se corpori adiungens crura eius et manus prope

---

10 cognouit consilium domini M 19 optulit BA

---

6 *rebus* etc.: Martial. xi. 56. 15, 16. *aduersis*: *angustis* Martial. 7 *fortius*: *fortiter* Martial. 9, 10 *Quis cognouit* etc.: v. Sap. ix. 13, 1 Cor. ii. 16. 11 *Sandrococtus* usque ad *extitit*: v. Iustin. xv. 4 §§ 16–19. 20 *extitit*: *fuit* Iustin. 21 *Andronicus* usque ad *medicus leonis* (585 B): v. Gell. v. 14 §§ 9 seqq.; lectiones Ioannis contulit Hertzius in ed. maioris apparatu critico. *Andronicus*: *Androclus* Gell. ('Ανδροκλῆς ap. Aelian. *de Nat. Anim.* vii. 48). 26 *quasi iocabundus*: *tamquam noscitabundus* Gell.

c iam metu exanimati lingua leniter demulsit, cum homo inter illata atrocis ferae blandimenta amissum animum recuperare posset et uix paulatim oculos ad contuendum leonem aperire. Hoc se Apion in urbanis spectaculis Romae uidisse refert, adiciens quia tunc facta quasi recognitione mutua letos, inquit, uideres et gratulabundos leonem et hominem. Et ob hanc rem et clamores populi maximos accersitus est homo a Cesare, et quare illi uni atrocissimus leo pepercerit, diligenter quaesitum est. Ille utique rem mirificam narrans ait: Cum prouinciam Affricam proconsulari imperio meus dominus optineret, ego ibi iniquis eius et cotidianis uerberibus ad fugam coactus sum, et quo d michi latebrae terrae illius forent a domino tutiores, in camporum et arenarum solitudines concessi. Et quasi aliud defuisset, consilium fuit quocumque modo mortem petere. Cum itaque sole medio rapido et flagranti quandam pro tempore caueam nactus essem latebrosam, in eam penetro meque recondo. Nec multo post ad eundem specum uenit hic leo, debili et cruento pede, gemitus edens et murmura, dolorem cruciatumque uulneris ingemiscens, cum miserantia auditoris, si quis adesset. Atque illic primo quidem conspectu aduenientis leonis territus sum et quasi toto animo consternatus. Sed postquam introgressus leo, uti res ipsa apparuit, in habitaculum illud suum me uidet ingressum procul et delitescentem, mitis et mansuetus accessit, et 585 a sublatum pedem ostendere michi et porrigere opis gratia uisus est. Ibi, inquit, ego stipitem ingentem uestigio pedis eius herentem reuulsi conceptamque saniem uulnere intimo expressi accuratiusque iam sine magna formidine siccaui penitus omnemque detersi cruorem. Ille tunc mea opera et medela leuatus, pede in manibus meis posito recubuit et quieuit atque ex eo die totum triennium ego

---

19 *post* cruento *add.* et crudeli M

14, 15 *quasi aliud defuisset*: *si defuisset cibus* Gell. 16 *rapido*: *rabido* Gell. 20 *dolorem* etc.: *dolorem cruciatumque uulneris commiserantia* Gell. Videtur in exemplari suo *cum miserantia* legisse Ioannes et uerba quae sequuntur quasi explicationem addidisse.

et leo in eodem specu eodemque uictu uiximus. Nam, si quas uenabatur feras, membra opimiora ad specum suggerebat, quae ego, ignis copiam non habens, meridiano sole tosta edebam. Sed ubi me, inquit, uitae illius ferinae iam pertesum est, leone uenatum profecto reliqui specum et, uiam ferme tridui permensus, a militibus uisus apprehensus et ad dominum ex Affrica Romam deductus sum. b Is me statim rei capitalis dampnandum dandumque ad bestias procurauit. Intelligo autem hunc quoque leonem me tunc separato captum gratiam nunc beneficii referre et medelae. Solutus itaque est pena Andronicus, et eidem leo totius populi suffragio donatus. Exinde amicantibus sibi homine et leone et urbem peragrantibus et circueuntibus dicebant omnes: Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis. Quaerisne historias notiores? De lacu leonum exiuit Daniel et pueri de camino ignis euaserunt illesi. Et apud omnes gentes ex gratia praeter opinionem ab imminentibus malis liberati sunt plurimi. Vnde nullus eorum qui manus iniecerunt sibi, satis ex- c cusatus est michi, licet magnis praeconiis ecclesiastica historia aliquos efferat prouocantes mortem quia temporariam uitam apud se quam pudicitiam periclitari malebant. At eos sic excusant infirmitas carnis et ignorantia iuris et incendium caritatis et forte mandatum familiare Dei, ut sic in simplicitate sua saluentur ut nequaquam ad consequentiam transeat quod simpliciter praesumpserunt. Quis enim locus est fortitudini, si sic tedeat animam uitae suae ut, quasi patientia uicta et praescissa semita meritorum, quod praecipitur aut nequeat aut negligat sustinere? Apud sapientes sic uita contempnitur quod turpitudinis pretium etiam etas altera sordet, sic diligitur ut, dum

2, 3 subgerebat SM 4 ferinae] ferme M 5 perthesum A 28 praecisa A^2S^2: praescisa M

15, 16 *De lacu leonum exiuit Daniel*: v. Dan. vi. 23, xiv. 40. 16 *pueri de camino ignis* etc.: v. Dan. iii. 17, 93, 94. 20 *licet magnis praeconiis* etc.: De mortem voluntariam ob pudicitiam periclitatam sibi inferentibus v. supra ii. c. 27 (470 B) et notas ad loc.

d innocenter teneri potest, nullius difficultatis irruente articulo propellatur. Sic ergo seruanda est uita ut sit contemptui; sic contempnenda est ut proficiat saluti. Sed quis est qui hodie contempnat animam, cum nullus aut rarus sit qui toto mentis hiatu pecuniam non concupiscat? Quidni? Cum

genus et formam regina Pecunia donet,
et bene nummatum decoret Suadela Venusque,

qui diues est, qui prosperatur in uiis suis, sapiens et felix iudicatur. Ad hoc alius uxorem ducit, alius quinque iuga boum aut uillam emit, commutantes pro his animam suam. Cecosque et claudos et debiles reputant, quibus mundus 586 a nequaquam arridet, quos tamen eiectis diuitibus in cenam nuptialem Sapientia introducit, ubi inebriantur ab ubertate domus Dei et torrente uoluptatis eternae potantur electi. Interim quicumque non habet diuitias stultus est, asinus, stipes, caudex, plumbum, aut si quid insensibilius est. Stultus ergo et miser est, si quis est pauper. Sed nec amari potest ab aliquo, quem mala fortuna premit, eo quod

nulla fides umquam miseros elegit amicos;

et iuste creditur quisque mala ferre quae sustinet. Adeoque regnum pecuniae inualuit ut desperetur de fide iudicis qui repellit munera offerentis. Si pascisci detrectas, pollicentis uideris odisse causam; et fortasse affectu uel b munere esse crederis praecorruptus, si permanere uis incorruptus. Sententia uel opinio philosophorum omnino euanuit, dum sic omnes post diuitias currant ac si alibi laborum requies dolorumque solatium inueniri non posset,

---

18 miserque M

---

7 *Cum genus* etc.: Hor. *Ep.* i. 6. 37, 38. 10 *alius uxorem* etc.: v. Luc. xiv. 18–20. 14 *Sapientia*: sic dominum in Christi parabola vocat, memor Prov. ix. 1 seqq. *Sapientia . . . immolauit uictimas suas, miscuit uinum, et proposuit mensam suam; misit ancillas suas ut uocarent ad arcem* etc. 14 *inebriantur* etc.: v. Ps. xxxv. 9 16 *stultus est, asinus* etc.: v. Ter. *Hauton Timor.* v. 1. 4. 21 *Nulla fides* etc.: Lucan. *Phars.* viii. 535.

ac si naufragi de profundo queant enatare facilius, si praegraui sarcina fuerint onerati. Sed quis umquam ulcerosus spinas congessit ut uolutatus in eis quiescat molliter? Profecto, si ei perfecte crederetur qui ait: Diuitiae sunt spinae, minime tanto studio a sapientibus nostri temporis quaererentur. Vt ergo Publius Carpus ait, diuites pauperibus miseriores sunt, eo quod a sapientia longius abeunt. Appetitus diuitiarum sapientiae exclusio est et fuga uirtutum; fecunda uirorum paupertas naturam optimam bene c
uiuendi ducem imitatur et uirtutum parens et custos est, solaque securitatem parit quae sola nescit incentiua bellorum. Non habet iurgia qui contentionis causas ignorat. Trepidat orbis, et Cesaream manum solus pauper non timet. Vtique si ob aliam causam non fugerentur aut contempnerentur diuitiae, nisi quia sapientiae uias sepiunt spinis, eas oportuerat non amari. Ne tamen his qui paupertatis erubescunt uilitate sordescere, philosophorum sit molesta opinio; diuitiarum non indicit philosophia fugam sed inhibet appetitum. Mentem sui compotem quaerit et quae in omni fortunae calculo sufficiat sibi, ita tamen ut sufficientia eius ex Deo sit. Sic auro tamquam fictilibus, fictilibus quasi auro utatur. Nam, sicut opes admittuntur ad usum, sic a sapiente contempnuntur abusu. Sed forte d
supellex uilis uidebitur ignominiosa magnatibus et honoris splendorem res tenuis decolorat; atqui longe praestantius est moribus splendere quam rebus, nec umquam rerum specie illustrabitur quem suae turpitudinis macula dehonestat.

---

1 naufragii M 17 phylosophorum M 24 suppellex BAM

4, 5 *Diuitiae sunt spinae*: v. Matt. xiii. 22. 6 *Publius Carpus*: Quem dicere velit Ioannes, equidem nescio. Inter Publii Syri reliquias non exstat tale dictum; cf. tamen. 210 (ed. Friedr. p. 47) *Hominem experiri multa paupertas iubet.* Pleraque huiusmodi, haud tamen totidem uerbis, apud Senecam invenies. 9 *naturam* etc.: Cic. *de Amicit.* 5 § 19. 13 *Trepidat* etc.: v. Lucan. *Phars.* v. 527–531. 20, 21 *sufficientia eius ex Deo sit*: v. 2 Cor. iii. 5. 21 *Sic auro* etc.: v. Sen. *Ep.* 5 § 6.

Fictilibus cenasse ferunt Anatoclea regem,
  atque abacum Samio saepe onerasse luto.
Quaerenti causam respondit: Rex ego cum sim
  Siciliae, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe quicumque repente
  diues ab exili progrediere domo.

587 a Res itaque non sunt in uitio sed usus. Et est philosophantis animi fructus nobilis generosa aequanimitas mentis; nam, si ex stupore est ut aequanimiter omnia portet, mens egra ab incolumitatis uirtute degenerat. Cum uero philosophandi sint multae semitae, illa prae ceteris michi uidetur esse nobilior et laudabilior

quae sic prandet olus patienter, rebus ut uti
nouerit, et rerum quae sic uersatur in usu,

ut olus et quaelibet extremae paupertatis exenia edocta sit non fastidire. Fructus siquidem philosophiae eximius est ut nouerit quis abundare et penuriam pati, ut leto
b animo aequanimiter omnia portet, ut obiecto solidae uirtutis obice omnem fortunam exarmet. Profecto quisquis haec assecutus est non sperat aut extimescit; et in eum semper fortuna quaelibet manca ruit. Quid, inquit curiosus philosophiae perscrutator, tibi philosophia contulit? Et Aristippus: Vt cum omnibus, ait, hominibus intrepide fabularer. Vtique, si honoris esset aut pecuniae reiue

1 anotoclea B   2 *ad* abacum *notam habet* uel agapem B *marg.*   7, 8 phylosophantis M   10, 11 pholosophandi C: phylosophandi M   16 phylosophiae M   17 habundare SM   21, 22 philosophi BAS: phylosophi M   22 phylosophia M

1 *Fictilibus* etc.: Auson. *Epigr.* ii (ed. Peiper p. 311).   *Fictilibus cenasse ferunt Anatoclea*: *Fama est fictilibus cenasse Agathoclea*, Auson.   2 *luto*: Hic versiculos duos praetermisit Ioannes.   3 *cum sim*: *qui sum* Auson.   4 *Siciliae*: *Sicaniae* Auson.   6 *domo*: *loco* Auson.   9 *si ex stupore est* etc.: cf. Tertullian. *de Patientia* c. 2 (Migne *P. L.* i. 1251) *affectatio humana caninae aequanimitatis stupore formata.*   13 *quae sic prandet* etc.: Hor. *Ep.* i. 17. 13–15: '*Si pranderet olus patienter, regibus uti Nollet Aristippus.*, '*Si sciret regibus uti, Fastidiret olus qui me notat.*' Hic habes verba Diogenis ad Aristippum et Aristippi ad Diogenem responsum. Pro his versiculis Ioannes noster, qui, ut suspicor, Horatii sensum minime intellexit, eos substituit quos in textu habes; cf. supra iii. 4 (482 A).   17 *abundare et penuriam pati*: Philipp. iv. 12.   20 *in eum* etc.: v. Hor. *Sat.* ii. 7. 88.   21 *Quid, inquit curiosus* etc.: v. Apul. *de Deo Socratis* Prol. 106 (ed. Hildebr. ii. p. 105).

alterius cupidus, hoc minime posset ueraciter respondere. Ad salutem tamen uia tutissima est diuitiis et rebus aliis expedito. Difficillimum enim est ut possessorum sui non impediant cursum. Quis nescit Ypodamiam praeuolasse ad palmam, dum concertantium procorum cursum proiecto auro potuit retardare? Mansit itaque uirgo inuicta, donec **c** uentum est ad pecuniae contemptorem, qui in contemptu auri uirginem superauit, aurum optinuit et ex eo (ut fingitur) certatricis puellae cereos axes fecit, dum incorruptionis amor pecuniae amorem absorbuit. Nonne hoc ipsum commendat iudicium Dei et eas contemptibiles facit, quod in egestate bonorum ipsis iniqui affluunt? Fit tamen interdum nescio quo pacto ut ad subuersionem iustorum **588 a** se eis ingerant; et quo diligentius excluduntur, ad ostium contemptoris studiosius pulsant. Quo beatus Eugenius munera cautius abigebat, ad eum undique multiplicius confluebant. Hoc quoque fere ubique accidit, ut fugiant dum quaeruntur, dum fugantur accelerant. Et haec quidem uia compendiosissima et honestissima est ad diuitias. Cum enim diuitiae prudenter excluduntur, et uita eterna adquiritur et cumulus diuitiarum accedit. Et si hoc nimis arduum uidetur aliis, uel a iudicibus tam ecclesiasticis quam mundanis, qui professione aut sacramento iustitiae obligati sunt, impleri oportet. Vtrorumque siquidem forma Samuel est, qui sic praefuit sacrificiis ut non parceret sanguini impiorum, sic iudicia utraque exercuit ut nullum **b**

8 obtinuit C   14 hostium B

4 *Quis nescit Ypodamiam* etc.: v. Serv. *Comm. in Verg. Georg. iii.* 7; sed videtur aut ipse Ioannes aut nescio quis auctor quem sequebatur fabulam de Hippodamia et Pelope cum fabula de Atalanta et Hippomene confudisse. 7 *pecuniae contemptorem*: Ita appellari potuit Hippomenes qui, neglectis malis aureis quae ut colligeret in medio cursu morata est Atalanta, ipse et victoria et virgine potitus est; v. Hygin. *Fab.* 185, Serv. *Comm. in Verg. Aen. iii.* 113. 9 *cereos*: Male legebatur in codicibus quibusdam *cereis* pro *aereis* in Servii loco supra cit. qui Myrtilum ab Hippodamia corruptum *factis aereis* (*cereis*) *axibus* victoriam Pelopi dedisse narrat. 9, 10 *incorruptionis*: quam significare potest cera, quippe quae corrumpi, id est putrescere, non solet. 14 *ad ostium pulsant*: v. not. ad. c. 9 (561 A). 15 *Eugenius*: sc. Eugenius III papa, de quo supra c. 15 (577 C). 25 *sic praefuit* etc.: v. 1 Reg. xv. 33. 26 *sic iudicia* etc.: v. 1 Reg. xii. 3. *utraque*: sc. ecclesiastica et civilia.

opprimeret et de manu cuiusquam nichil accepit. Hoc conscientia Samuelis attestatur et populus, et tamen non satis fit conscientiae scrupulosae, nisi sacramento suum populus testimonium roboraret. Ait enim: Testis est Dominus aduersus uos et testis Christus eius in die hac quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixit: Testis. Cuicumque obtestati prouinciales tale testimonium perhibent, ad iudicium omnipotentis et omnia scientis Dei securus accedat. Prouide namque causam instruit qui in examine conscientiam producit et diem humanum, quorum est iudex conscius in excelso. Qui uero cum Samuele non discutiunt hic iudicia sua, sed prompti ad excusationes c in peccatis quasi lotis manibus cum Pilato clamant: Mundus ego sum a sanguine iusti huius; quia contra legem peccauerunt, per legem dampnabuntur. Sed et illi dampnationis erunt participes, qui eos possunt cohibere nec uolunt. Et de his quidem satis dictum est sapienti. Proinde ad proportionem manuum, quam Plutarcus induxit, transeat stilus.

EXPLICIT LIBER V

---

1 *post* Hoc *add.* testatur M: Testatur hoc S 2 atestatur S 5 cristus S 20 Explicit Liber Quintus AM

4, 5 *Testis est Dominus* etc.: 1 Reg. xii. 5. 10 *conscientiam* etc.: v. 1 Cor. iv. 3, 4 *Mihi autem pro minimo est ut a uobis iudicer aut a die humano; sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est.* 12, 13 *excusationes in peccatis*: Ps. cxl. 4. 13 *lotis manibus* etc.: v. Matt. xxvii. 24. 13, 14 *Mundus*: *Innocens* Vulg. 14 *quia contra legem* etc.: v. Rom. ii. 12. 17 *satis dictum est sapienti*: v. Ter. *Phorm.* iii. 3. 8. 18 *manuum*: v. supra c. 3 (540 c).